B. BRISSONII I. C. ET IN SVPREMA PARISIENSI CVRIA ADVOCATI, DE IVRE CONVBIOrum Liber Singularis.

Ad Ampliſsimum Clariſsimúmque virum Michaelem Hoſpitalium ſummum Galliæ Cancellarium.



PARISIIS,
Apud BARTHOLOMÆVM MACÆVM, in monte D. Hilarij, ſub ſcuto Britanniæ.

M. DCV.

Cum Priuilegio Regis.

B. BRISSONII I.C. ET IN SVPREMA PARISIENSI CVRIA ADVOcati de iure Conubiorum Liber ſingularis.

SOLLEMNES nuptiarum ritus ita ſunt à me proprio libro expoſiti, vt vix quicquam ad plenã & perfectam eius argumenti cognitionem iure ac merito deſiderari poſſe videatur. Huic conſequens duxi, alterum de iuſtis iniuſtiſque Quiritium nuptiis librum adiungere. Superiori enim tractatui, hoc veluti cumulo addito, iuris ciuilis & antiquitatis Romanæ ſtudioſis, hac in parte ſatisfactum iri arbitror: quibus non modò, quo ritu, ſed & inter quas perſonas olim iuſtæ ac legitimæ nuptiæ contraherentur, vtriuſque libri coniunctione planum fiet. Atque vt via & arte procedat oratio, à qua ætate iuſtæ nuptiæ contraherentur, primum diſpiciendum eſſe cenſeo. Nam cum nuptiis habilẽ ætatem conſtituerimus, ad alias inſpectiones veniemus: & ad certa veluti capita omnia nuptiarum impedimenta reuocantes, facilem, ni fallor, lectoribus eius quæſtionis quam tractandam ſuſcepim⁹, cognitionẽ relinquemus. Igitur, vt ab ætate ordiamur, in matrimoniis contrahendis ætatem contrahentium definitam eſſe. Modeſtinus lib. iiii. differentiarũ ſcribit.[1] Ea verò definita ætas pubertas eſt, vel ipſo Iuſtiniano teſte, qui iuſtas nuptias inter ſe ciues Romanos contraxiſſe tradit,[2] qui ſecundum præcepta legum coibant: maſculos quidẽ puberes, feminas autẽ viri potẽtes. Cui

1 l. in ſponſalibus. D. de ſponſal. 2. Inſtitut. de nupt. in prin.

accedere Dionis teſtimonium velim, qui lib. liiii. ita ſcribit. δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. A duodecimo ſiquidem anno pubertatem feminas auſpicari prudentibus placuit: exeóque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur: Id quod ea ratione factum Plutarchus interpretatur,[3] vt celerius coniugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obſequium virorum facilius flecti fingíq; poſſent. Aliter atque Spartæ ſeruabatur, in qua adultiores demum virgines, & plenis nubiles annis, viris in matrimoniũ collocabantur. Verba Plutarchi, quæ hãc inſtitutorũ vtriuſque gentis diuerſitatem declarant, hæc ſunt. Τοῦ μὲν λυκούργου πεπείροις καὶ ὀργώσαις νυμφεύοντος, ὅπως ἥ τε ὁμιλία δεομένης ἤδη τῆς φύσεως χάριτος ᾖ καὶ φιλίας ἀρχὴ μᾶλλον ἢ μίσους καὶ φόβου παρὰ φύσιν βιαζομένων, καὶ τὰ σώματα ῥώμην ἔχῃ πρὸς τὸ τὰς κυήσεις ἐπιφέρειν, καὶ τὰς ὠδῖνας, ὡς ἐπ' οὐδὲν ἄλλο γαμουμένων ἢ τὸ τῆς τεκνώσεως ἔργον. τῶν δὲ ῥωμαίων δωδεκαετεῖς καὶ νεωτέρας ἐκδιδόντων, οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ἦθος καθαρὸν καὶ ἄθικτον ἐπὶ τῷ γαμοῦντι γενέσθαι. δῆλον οὖν ὅτι τὸ μὲν φυσικώτερον πρὸς τέκνωσιν, τὸ δὲ ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν. Ex eo verò tempore pubertatem in feminis legibus definitam, quòd generationi eſſent ab eo anno aptæ, Macrobius lib. vij. Saturnalium ita ſcribit. *Nec hoc tacebo*, ait, *quod cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminæ ideo, celerius quàm pueri, fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & ſecundum iura publica duodecimus annus in fœminis, quartus decimus in puero definiunt pubertatis ætatem.* Idémque auctor lib. j. Commentarior. in Somni Scipionis. Poſt annos bis ſeptem generationis vim in maſculis moueri ſcribit. Ideoque & tutelam pueris quaſi virile iam robur adſit, abſolui: ab ea tamen fœminas, propter votorum feſtinationem, maturius biennio, legibus liberari. Ariſtoteles quoque his conſentiens lib. vii. περὶ ζώων ἱστορίας, τὰ θήλεα θᾶττον τῶν ἀρρένων καὶ νεότητα καὶ ἀκμὴν λαμβάνειν tradit. Indéque teſtamenta feminis citius quàm maſculis facere licet. [4] Cæterum ſi minor xij. annis domum pro vxore deducta eſſet, non ante iuſta & legitima vxor fiebat quam apud virum duodecimum annum impleſſet. [5] Sed nec prius à viro dos eius nomine promiſſa peti poterat. Nam cũ omnis dotis promiſſio tacita futuri matrimonij conditionẽ

3. in Numa in fine.

4. l. A qua ætate D. de teſtament.

5. l. Minorem. D. de ritu nuptiarum.

ſuſpendatur,[6] ante duodecim annorum ætatem nõdum vtiliter ſecuto matrimonio, dotis petitio viro non competebat. Quapropter ſi ante impletum duodecimum annũ repudiata conditione diſceſſiſſet, pecuniæ in cauſam dotis numeratę, quæ dos fieri nuptiis minime ſecutis non potuerat, exemplo dotis cõdictio ei dabatur, cum iiſdem tamen priuilegiis, quæ actioni de dote concedebantur. At cùm apud virum maior xij. annis eſſe cœperat, tum matrimonio ſubſiſtente, in dotem pecunia numerata vertebatur. Interim verò dũ pubertas coniugis expectabatur; ſiquidem ſponſalia interceſſiſſent, quamuis vxorem putaret eſſe qui duxerat, ſponſæ tamen vice ea habebatur,[7] eique vitium oblatum maritus ſponſi loco perſequi ex Seueri reſcripto poterat.[8] Quod ſi ſponſalia non anteceſſiſſent, nec pro ſponſa nec pro vxore haberi poterat. Nec eo magis donationes ei factæ valebant, vt potè quę quaſi ad vxorem non quaſi ad extraneam factæ eſſent. Quanquã autem nuptię cũ minore xij. annis non cõſiſterent, in patrem tamen qui filiam minorem duodecim annis nuptum collocaſſet, auctórque ei factus eſſet ad contrahendum, actio in factum ex edito, Quod falſo tutore auctore geſtum eſt, non dabatur,[9] Ignoſcendum enim patri prudentes cenſuerę, ſi filiã ſuam maturius in viri familiam perducere voluerit. Præſumptũ eſt quippe propenſiori potius in filiam affectu quàm viri in fraudem illiciendi cauſa, huiuſmodi nuptias cũ cõciliaſſe. Quam cõiecturã capi paterna pietas & naturalis erga liberos caritas ſuadet. Nõ modo autẽ in matrimonio, ſed ne in cõcubinatu quidẽ minor annis duodecim puella haberi iure licito poterat.[10] Poſt ętatis verò inſpectionẽ ad iuſtam matrimoniorum coniunctionẽ ſtatus ac cõditionis eorũ qui matrimonio iungerẽtur ratio habenda erat. Ac primum inter liberas ac ſeruiles perſonas, nuptias olim non cõſtitiſſe certo certius[1] eſt. Quinimo libera mulier quæ cum alieno ſeruo poſt trinam domini denuntiationem in conſuetudine perſeueraſſet Senatuſconſulto Claudiano, quod à Iuſtiniano ſublatũ[2] eſt, libertatem amittebat, ſeruitutiq; vindicabatur, quemadmodum Vlpianus in fragmẽtis Titulorum[3] & Tertullianus[4] ſignificant. Quamobrem ſi ancilla libero nupſiſſet dotiſque nomine pecuniam numeraſſet, ſiue ſciſſet ancillam ſe eſſe, ſi-

6 l. dotis promiſſio. D. de iure dotium.

7 l. cum hic ſtatus. §. ſi quis ſponſam D de Donat. int. vir.

8 l. Si vxor § diuus & § ſi minor. D. ad l. Iul. de adult.

9 l. penult §. 1 D quod falſo tut.

10. l. 1. in fin. D. de concub.

1. L. ſi neget D. de liber. L. Procuius D. iure do. L. 3. C. de inceſt. nupt

2. Rubr de Senat. Claudian. tol C.

3. Tit. xj.

4. in lib. ij. ad vxor.

ue ignoraſſet, nec matrimoniũ erat, nec viri ea pecunia priu**s** fiebat, quam tempore legibus ſtatuto penes ſe pro ſuo habitam ac poſſeſſam eam vſu cepiſſet. Plane ſi apud virum ad libertatem perueniſſet, conciliabatur, conualeſcebátque matrimonium exindéque dotis nomen, ſi necdum vſucapio impleta eſſet, ſortiebatur, matrimonióque ſoluto eius vt dotalis repetitio competebat. 5 Iuſta verò matrimonia non inter liberas quaſcumque paſſim perſonas, ſed inter ſolos ciues Romanos contrahebantur. 6 Nam cum Latinis peregriníſque conubium, niſi id eis conceſſum eſſet, non erat. Teſtes ſunt Vlpianus in Titulorum fragmentis 7 & Boeth. in commentar. ad Topica Ciceronis. Non omnibus, inquit, erat conubium cum Romanis, nec erant nuptiæ iure contractæ quæ non aut inter ciuem Romanum ciuemq; Romanum inibantur. Hinc Papinia. in fragmentis tit. 4. Ciuis, inquit, Romanus qui ſine conubio ſibi peregrinam in matrimonio habuit, iure quidem mariti eam adulteram non poſtulat. & Quintil. declam. 306. vbi quidam petit nuptias eius quam matrem dicebat, Non omnibus, inquit, præmium debetur; non petet ſeruus, non petet peregrinus. Ex quo Seneca lib. iiij. de benefic. *Promiſi tibi, ait, filiam in matrimonium: poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum extraneo conubium.* Macrob. lib. j. Saturnal. cap. vi. *Libertinis verò nullo iure vti prætextu licebat: ac multò minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo.* Itaque maximam apud populum inuidiam Antonio conflauit, ab eo contra leges ac patrię inſtituta contractum cum Cleopatra coniugium. Cuius facti indignitatem Plutarchus abſque nota prętereundam non cenſuit. Sic enim in eius cum Demetrio collatione ſcribit. ἔπειτα τὴν ἀστὴν καὶ δικαίως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξένῃ καὶ μὴ κατὰ νόμους συνόσῃ χαριζόμενος. Ægre etiam tuliſſe populum Romanum Xiphilinus a narrat, quod Titus Berenicen Ægyptiacam in palatio vxoris loco habebat, vt proinde repudiare eam ſit coactus. Itaque qui ciues Romani non erant, conubij ius, niſi ciuitate impetrata non habebant. Memoriæque adeò proditum eſt, Campanos ciuitate Romana donatos & à Cenſoribus Romæ cenſeri coactos, vt ſibi ciues Romanas vxores ducere liceret, petiiſſe, & ſi qui prius duxiſſent, vt habere eas ſibi liceret: vtque ante

5. L. proten- lus. D. de Iure dotium.

6 Inſtitut. de nupt. in prin.

7 Tit. v.

a in Veſpaſiano.

eam diem nati iuſti ſibi liberi heredéſque eſſent. Quorum vtrumque eis indultum eſſe Liuius refert lib. xxxvij. Ex peregrino autem & ciue Romana qui naſcebantur, peregrini naſcebantur quoniam lex Menſia, quæ in hac parte legi naturæ derogabat, [8] ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem ſequi iubebat. [9] At eiuſmodi peregrinitatis obſeruationem tandem exoleuiſſe, vna nimirum Roma Cómuni patria diceretur, ſignificare videtur Prudentius lib. ij. Contra Symmachum his verſibus,

8. L. Lex naturae D. de ſtat. homin.
9. Vlpian. in fragment. Ti. V.

Diſtantes, ait, regione plagæ, diuiſáque ponto
Littora, conueniunt nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum, nunc per commercia, & artes
Ad cœtum celebrem. nunc per genialia fulcra
Externi ad ius conubij: nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex gentibus vna propago.

Atque huius quidem moris non alia ratio fuiſſe videtur niſi quod Romanæ ciuitatis honorem paſſim ſordeſcere & vulgari noluerunt, vt ait Suetonius in Octauio. cap. 40.

A tà prouincialibus cuiuſcumq; ordinis, aut loci eſſent, cũ [1] Barbaris coniugia contrahi Valentin. & Valens prohibuere: quorum de ea re extat in Cod. Theod. conſtitutio. Narrat Cedrenus Theophobum Perſica regione ortum ſorori Theophili imperatoris matrimonio copulatum fuiſſe, lege etiam lata, quæ Perſis conubiorum cum Romanis licentiam concederet. Enimuerò patribus cum plebe conubium ne eſſet xij. Tabulis ſancitum erat: quemadmodum Dionyſius Halicarn. lib. x. Antiquit. cum Liuio lib. iiij. ab V. C. narrat. Nam cum auſpicia plebeij non haberent, eáque apud ſolos patricios ſubſiderent, idcirco ne incerta prole auſpiciorũ iura turbarentur, inter eos conubium Decemuiri diremerũt. Quod tamen eorum legis caput non multum poſt temporis, Tribunorum plebis contentione ac conuitio abrogatum eſſe iidem docent. Attamen idem ipſe Liuius lib. x Virginiam Auli filiam patriciam plebeio nuptam L. Volumnio conſuli, matronas quòd è patribus nupſiſſet, ſacris arcuiſſe refert. Ex quo probari poſſe videtur legem xij. Tab. in vſum reuocatã fuiſſe. Senatores enim Senatorúmue filij libertinas vxores ducere prohibebantur. Quæ prohibitio, quoniam ex lege

1. In l. vn. de nupt. gentil. in Cod. Theod. lib. 3. tit. 14.

Iulia de maritandis ordinibus deſcendit, neceſſariò nobis eius legis ſententia, breuiter tamen, quoad eius fieri poterit, explicanda eſt. Nam ab aliis dicta, nec repetere, nec interpolare libet. Primùm autem admonebo Iulium Octauium Cæſarem Auguſtum compoſitis inteſtinis externiſque bellis, cũ & orbi pacem & ſibi bona populi gratia, imperium conciliaſſet, ingraueſcente iam ætate ciuitati reformandæ legibuſque ſcribendis animum adieciſſe. Quam rem iam factam, vt futuram Ouidius lib. vltimo Metamorph. aſſentatoriè ita canit,

Pace data terris, animum ad ciuilia vertet
Iure ſuum, legéſque feret iuſtiſſimus auctor,
Exemplóque ſuo mores reget.

Legum autem earum quaſdam ipſemet Conſulatum gerens tulit, quaſdam per Coſs. ordinarios, ſuffectóſue rogari, & ad populum ferri curauit. Etenim ne antiquum Reipublicæ ſtatum peſſumdare, ſubuerteréque videretur, Legem inconſulto Senatu & cuius patres auctores prius facti non eſſet, protinus ferendam ſibi eſſe non cenſuit. Quemadmodum Zonaras ita ſcribit. οὐ μέντοι πάντα ἐθελογνωμόνως ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἔστιν ἃ καὶ εἰς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπως, ἄν τι μὴ ἀρέσῃ ἐπανορθώσῃ. Et alias, νόμους δὲ μετὰ ταῦτα ὁ Καῖσαρ ἤνεγκε, καὶ τοῖς βουλευταῖς αὐτοὺς ἀναγνῶναι ἐπέτρεψε, ὅπως εἰ μή τι ἀρέσκει ἢ ἄμεινόν τι νοήσουσιν, εἴπωσιν. Sic per Coſſ. ſuffectos Papiam Poppæam legem de præmiis parentum tulit: quæ propter argumenti adfinitatem Iuliæ coniungi ſolet. Quæ leges fama ſe ſupra ceteras, quarum ille princeps auctor fuit, extulerunt. Quota enim pars iuris earum legum commemoratione vacat aut quę frequentiores occurrunt quam ex Iurecõſultorum ad eas leges commentariis, inſcriptiones? Conſtat namque non ex catalogo modò, qui Pandectis Piſanis præfigitur, ſed & ex capitum inſcriptionibus leges has Iunium Mauritianum libris ſex, Marcellum totidem, Terentium Clementem æquè atque Vlpianum viginti, Paulum decem, Caium quindecim, interpretatos eſſe. Quorum ſi nobis ſcripta integra, aut Iuſtiniani facinus, aut temporis iniuria reliquiſſet, ſuperuacanea & inanis omnis noſtra hæc opera eſſet. Nunc quoniam, ſi non libenter at patienter certe tanta librorum veterum iactura ferẽda eſt,

earum

earum quæ tamquam ex vaſto incendio ſaluæ ad nos perue-nerunt, reliquiarum intuitu, amiſſorum deſideriū leniamus, veterémque tam celebrium legum memoriam eorúm quę in manibus habemus ope ab obliuionis iniuria, qua fieri poterit diligentia, vindicemus. Qua in parte ſicubi feſellero, veniam me ab æquis iudicibus exoraturum facilè confido, eò quod in tenebris, quod aiunt, micantes & ſolis plerumque coniecturis res ignotas inueſtigantes, labi atque errare humanum eſt. Ceterum lex Iulia, cuius capita aliquot explicare inſtitui, proprium differentiæ ergò, de maritandis ordinibus nomen inuenit: ad cuius præcepta Apuleius Apologia ij. ita alludit. *Lex Iulia, de maritandis ordinibus numquam in hunc modum interdicit. Vxorem in villa ne ducito.* Hanc etiam legem Horatius ſignat, in Carmine ſeculari, cum ait.

Diua producas ſobolem, patrúmque
Proſperes decreta, ſuper iugandis
Feminis, proliſque nouæ, feraci
Lege marita.

Eadem lex apud Vlpianum. In Inſtitut. tit. xiij. & xiiij. & tit. xv. & apud Iuuenalē Saty. vi. Legis Iuliæ appellatione exaudienda eſt. Sed & ad eam referendum eſt, quod Tertullianus lib. aduerſus Valentinia. ita ſcribit. *Credas enim vbi de loco in locum tranſmigratur, leges quoque Iulias interuenire.* Complura autem capita habuiſſe eam legem non eſt obſcurum. Nam & tricesimumquintum à Martiano memoratur. [1] Potiſſimum autem illud fuit, quo Senatores liberíque eorum, libertinas, & quæ ipſæ, quarúmue parentes artem ludicram feciſſent, ducere prohibebantur: quod in hæc verba conceptum fuiſſe Paulus teſtis eſt. [2] QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE, EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT: NEQVIS EORVM SPONSAM, VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT EAM QVAE IPSA, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO, NATA LIBERTINO, EIVE QVI IPSE, CVIVSVE PATER MA-

1. In L. Capite D. de ritu nupt.

2. In L. Qui ſenator D. de ritu nupt.

TERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO. NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO. Quibus legis verbis ex Iurecōſultorū cōmentariis congrua interpretatio aptanda eſt. Ait lex. SENATORIS FILIVS. Senatoris Filium, quemadmodum Vlpian. lib. 1. ad. L. Iuliam exponit, 3 accipere debemus, non tantum naturalem, verumetiā adoptiuum. Nec intereſt à quo vel qualiter adoptatus ſit: quod idcirco Vlpia. addidit, quia cum per adoptionem dignitas nō minuatur, ſed augeatur, etiam natalium ſplendorem Senatoris filius inferioris dignitatis homini, veluti plebeio in adoptionem datus, retinet. 4 Cuius rei exemplū ex Publio Claudio Appij filio ſumi poteſt, quem etiā ſi ſe plebeio homini in adoptionem dediſſet, [1] Senatorem tamen manſiſſe dubium non eſt. Ac nec ius originis in honoribus ſuſcipiēdis, adoptione mutari verum eſt. [2] Nec illud quidem intereſt, iam in Senatoria dignitate conſtitutus ſuſceperit filium quis, an ante dignitatem Senatoriam. Accedens quippe, & ſuperueniens patri dignitas, in libellos quoque iam ante procreatos transfunditur. 3 Et ideo decurionis quoque filius non is dumtaxat habetur, qui ex patre decurione conceptus, & natus eſt, ſed & is qui ante natus eſt, quā decurionis honor patri acceſſiſſet. Nec ſum neſcius ſuperiori ſententiæ videri quibuſdam refragari Conſtantini conſtitutionem, 4 quæ propter hyperbaton obſcuritate aliqua laborat, aliud tamen nihil ſignificat, quàm filios ac filias, qui quæue ante ſuſcepti, ſuſceptæue fuerunt, quàm in Senatorū ordinē cooptati vel aliàs, citra Senatoriā dignitatem, clariſſimorum titulo patres eorum, earúmue decorati eſſent, clariſſimatus nihilominus dignitate fruituros: quòd his, quæ poſuimus mirificè conſentit. Atque hæc quæſtio ab interpretibus ad filios ante regnum à patre adeptum conceptos, ac genitos producta eſt. Quæ controuerſia priſcis tēporibus inter Xerxem & Artabazanem Darij filios incidit: cum hic, vt pote natu maximus, ætatis priuilegio regnum ſibi vindicaret, quod ius & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit: Ille verò nō ordine, ſed naſcēdi felicitate niteretur, regique ſe primum natum, fratre, qui ante priuato natus eſſet

3. L. Senatoris filium D. de Senatorib.

4. L. per adoptionem. D. de adoptionib. L. 6. D. de ſenatorib.

1. Cicero pro domo ſua.

2 L. ordine §. vlt. D. munici. al.

3. L. 1. §. In filiis D. de decurionib. L. Moris §. parent. 1 D. de poenis. iuncta in argu. l. patre furioſo 8. D. de his qui ſunt ſui vel al. iuris.

4. L. ſi Senator C. de dignitatib. lib. xii.

ſuperiorem contenderet. Quam tamen litem, arbiter ab his addictus Artaphernes, ſecundū Xerxem dedit.[5] Sed hoc exēplum in ſimili deinde contentione Perſę ſecuti non ſunt. Nā cum Paryſatis minorem natu filium Cyrū Arſicæ, qui poſtea Artoxerxes nominatus eſt, præferēdum cōtenderet, eò quòd hūc priuato, illum regnāti Dario peperiſſet, exploſa hac ſubtilitate, regnū ad Arſicam delatum eſſe Plutarchus[6] auctor eſt. Sed enim ne lōgiùs à re propoſita aberrē, quod ad adoptiuū filiū attinet, tandiu eum Senatoris filium habēdum, Paulus lib. ij. ad L. Iuliā & Pap. benè monet[7] quādiu in familia manet, patriſque adoptiui poteſtate continetur. Emancipatus enim tam ius quàm nomen filij emancipatione amittit, adoptionéque quæſita adgnatio, è poteſtate dimiſſo eo in totum perit. Ciuile quippe hoc vinculum, cōtrario ciuili ac legitimo actu, id eſt emancipatione, penitus diſſoluitur.[8] Ideóque in omni iure finita patris adoptiui poteſtate, nullum ex priſtino iure veſtigium retinetur.[9] Proinde per adoptionem quæſita dignitas emancipatiōne extinguitur. At naturalibus liberis honorem natalibus partum, emancipatio non adimit, nec minuit. Quę enim à genere, à ſanguine, ab ipſo ortu emāncipatis tribuerētur, ea manere eis incolumia cōſtat.[1] proindéque emancipatum à patre Senatore, Senatoris nihilominus filium haberi, Vlpianus lib. j. ad L. Iuliā ſcribit.[2] Idē adiicit, eū qui poſt mortē patris Senatoris natus ſit, quaſi ſenatoris filiū eſſe. Aliam verò eius cauſam eſſe, qui poſtquam pater eius è ſenatu motus eſt, conceptus & natus fuerit. Nam quæ patri mortis tempore inhæſit dignitas, ea veluti hereditario iure ad poſteros tranſmittitur: At quæ viuo patre vitio eius amiſſa eſt, ad liberos poſtea conceptos manare nequaquā poteſt.[3] Planè iam procreatis liberis patris caſum non obeſſe placuit. Similique modo, qui decurione patre editus eſt, licet poſteà pater eius decurio eſſe deſierit, quaſi decurionis tamen filius nec in metallū dari nec aliis plebeiis ſuppliciis affici poterit.[4] Quòd ſi ante eius conceptionē dignitate pater exutus ſit, vt plebeij filius in honoribus erit intuendus. Sed nec liberti ingrati delictū, propter quod in ſeruitutē reuocatur, filiis ab eo dum libertate potiretur, cōceptis, nocet.[5] Ita quòd ad ſtatum cōditionem ac dignitatē liberorum attinet, conceptionis tē-

5. Iuſtin. li. 2. hiſtor.

6. in Artoxerxe.

7. in L. Senatoris filius D. de Senatorib.

8. § vlt. Inſtit. de cap. min.

9. L. per adoptionem D. de ritu nupt. L. ordine §. vlt. D. ad municipal. L. In omni. D. de adoptionib.

1. arg. L. Amiſſione §. vlt. cum L. ſequ. D. de capit. diminu. & L. Eum qui D. de interdict. & relegat.

2. L. 1. Emancipatum D. de Senator.

3. L. Senatoris filium D. de Senatorib.

4. L. 2. § In filis D. de decurion. L. Moris § penult. D. de poenis.

5. L. Si manumiſſus C. de libert. & eor. libe.

pus ſpectamus. Benignè tamen, ac ſingulari iure Iuſtinianus conſtituit [6] vt ſi curialis fortunæ exortes vltrò ſeſe & ſponte ſua curiæ dederint, ab iis vel poſtquam curiæ adſcripti fuerint concepti liberi, non curialem, ſed priſtinam patrum cõditionem ſortiantur. Ceterùm filij appellatione etiam filia continetur. [7] Et tamẽ, vt ne Senatoris filia libertino nubere poſſet, Senatuſconſulto ſpecialiter prohibitum fuit, [8] licet ad hanc quoque ſpeciem lex Iulia porrigi potuiſſe videatur. Ait lex NEPOSVE. Filij appellatione, ſi nudam ac propriam verborũ ſignificationem, extra voluntatis cauſam ſpectemus, [9] nepos non continetur. Et ideo nepotem exprimi neceſſe fuit. Porrò ſi quis & patrem & auum habuerit Senatorem, & quaſi filius, & quaſi nepos Senatoris intelligitur. Et quanquam pater amiſerit dignitatem ante huius cõceptionẽ, aui nihilominus dignitas ei prodèrit. [1] Sequitur in lege. NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE. Senatores igitur, Senatorũmque liberi, libertinas in matrimonio habere prohibẽtur, ne ampliſſimi ordinis dignitas huiuſmodi cõiugij cõſortio vileſcat. Eáque de cauſa cùm Acten libertam iuſto ſibi matrimonio cõiungere Nero cuperet, Cõſulares viros ſummiſiſſe dicitur, [2] qui regio genere ortam peierarẽt. Et Seneca lib. vij. Controuerſiar. cùm probare niteretur, magnos viros fecisse, vt libertinas vxores ducerẽt, veluti exẽpli loco ſubiũxit. M. *Cato coloni ſui filiam duxit vxorem, ſed ingenuam.* Ideóque exemplum propoſitioni non quadrat. Ex quo apparet, quod Diocletianus reſcripſit, [3] vxorem libertã ſuam manumiſſori, *Si non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibeantur,* ducere non eſſe interdictum, ſic cum Accurſio accipiendum eſſe, ſi non Senator ſit, ſenatoriſue filius, nepos: Tam enim ſuas, quàm alienas libertas vxores ducere, qui Senatoris dignitate prędi ti, Senatoribúſue orti ſunt, prohibentur. Proinde ſiquam ex familia ſua ancillã, Senatoris filius, xx. annis minor ad libertatem matrimonij cauſa perducere ſtudeat, nõ erit concedẽdum, [4] quoniã indignè illicitéque huiuſmodi conditionis mulierem ſit ducturus. Iuſtæ ergo non ſunt nuptię, quas Senatorij ordinis viri cum libertinis contraxerint. Cui conſequens eſt, nec dotem eſſe quæ in ea matrimonia quæ conſiſtere nõ poſſũt, minimè cadit. Nec enim dos ſine matrimonio eſſe po-

6 in L. vlt. C. de his qui ſpõte munera.
7. L. Si quis ita ᷑ de teſtament. tut.
8. L. Emancipatum. §. vl. D. de ſenatorib. L. 3. §. 1. de donat. inter vir.
9. L. filij D. de ver. ſig.
1. L. emancipatum. §. vlt. D. de ſenat.
2. Sueton. in Nero. cap. 28.
3 in L. vxorẽ C. de Nupt.
4 L. ſi rogatus. §. 1. D. de mand. vind.

teſt.[5] Vbicunque igitur matrimonium non eſt, nec dos eſt: proinde ex hac cauſa caduca dos fiet:[6] Nec tamen, quod Accurſius exiſtimat, fiſco vẽdicabitur. Hoc enim in inceſtis demum nuptiis locũ obtinet.[7] Quo fit, vt ſi libertina Senatorem quaſi ingenua deceperit, & ei nupta ſit, actionem in factum doli nomine in eã ex diui Pij reſcripto[8] cõpetat, quod ex dote, quę nulla eſt, vir lucrũ nullũ fecerit. Quin nec actio de dote competit viro qui contra iuris auctoritatem matrimonium contraxit l. 1. C. de cond. ob. cauſ. Ei quoq;, quod poſuimus, conſequẽs eſt ex eiuſmodi matrimonio iuſtos patri liberos nõ naſci. Sequitur etiam, rerum amotarum actionẽ inter perſonas quæ ita coierint, ceſſare.[9] Ac nec viro iure mariti adulterii accuſatio ob ſtuprum ab ea, quæ quãuis vxoris animo habita fuerit, vxor tamẽ eſſe non poſſit, cõmiſſum cõpetet: licet propter qualecũque matrimonium violatum, ne peccatum ſuũ mulier impunè auferat iure extranei accuſatio admittatur.[1] Quamquã autẽ nuptiæ non ſint, nõ eò tamen donationes, quaſi inter non cõiuges factæ, ratæ erũt,[2] nec lucro eis ſit illicita cõiũctio. Alioquin meliore loco res eorũ eſſent qui cõtra leges cõuenirẽt, quã qui iuſtas & ciuiles nuptias cõtraherent, quod vtique ratio nõ patitur. Quapropter quaſi ab indignis ablata, quæ donata teſtamentóue relicta erunt in fiſcum cogentur.[3] Planè ſi quis in Senatorio ordine agens libertinam in matrimonium acceperit, quamuis interim vxor nõ ſit, attamẽ in ea conditione eſt, vt ſi vir dignitatem amiſerit, vxor eſſe incipiat.[4] ſic eueniet, vt quæ ab initio non conſiſtebant nuptiæ, remoto poſtea obſtaculo impedimentóque conualeſcant. Atquin, quæ ab initio minus valẽt, temporis tractu non cõfirmari pro regula traditum eſt.[5] Cui obiectioni quidam interpretes vt occurrãt, iis nuptiis quæ ab initio nullius momenti erant vires, non ſolius temporis lapſu atque tractu, ſed perſeuerantia conſenſus, qui poſt amotũ impedimentum durat, accedere dicunt: Eóque pacto regulam contrariam flexu eludunt magis, quàm eludunt. Mea hęc fuit ſemper ſententia & ſic in animum induxi meum regulã illam iuris & productam longiùs, & latiùs acceptam eſſe, quã pateat. Ad ea namque duntaxat, quę teſtamentis dantur relinquuntúrque pertinere eam, & iiſdem propè cũ Catoniana

5. l. 3. D. de Iure dot.
6. L. dote D. de ritu. nupt.
7. L. Inceſta D. de ritu nupt.
8. L. A diuo D. eo. tit.
6 L. ſi concubina D. de rer. amot.
1. L. ſi vxor §. ſed ſi ea ſit mulier D. de adulter.
2. L. 3. §. videamus. D. donat int. vir.
3. L. Cum hic ſtatus in fi. D. de donatio. int. vir. L. 2. D. de his quæ vt indi.
4. L ſi quis in ſenatorio D. de ritu nupt.
5. L quod initio D. de diuerſ. reg. iur.

regula finibus ac terminis circumſcribendam eſſe cenſeo. In quā me opinionem etiam Rufinus, impellit, qui eam regulā ita extulit.[6] *Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto conualeſcere non poteſt.* In ceteris verò ſpeciebus atque cauſis falſam eam eſſe perſpicuum eſt. Conſtat ſi quidem inutiles ab initio nuptias, multis poſtea ex cauſis conciliari: Vt ecce, ſi ancilla libero nupſerit, & apud eundem virū libera facta ſit, matrimonium ab initio inutile, conualeſcit.[7] Pari modo, ſi minor.xii.annis domum ducta ſit, licet ab initio nuptię non ſint, ſi tamen apud virum decimum quartum annū impleuerit, iuſta & legitima vxor fiet:[8] Similitérque, quod cōtra mādata ab his qui officium aliquod in prouincia gerunt, contractum fuerit matrimonium, ſi eo depoſito in voluntate coniuges perſeuerent, conualeſcit.[9] Ac ne in ſolo nuptiarum ſermone hereamus, etſi pecuniæ alienæ numeratione mutuū nōn contrahatur,[1] conſumptis tamen nummis naſci conditionē minimè eſt ignotum.[2] Sed etſi aliena pecunia ſoluendi cauſa detur, quamquam liberationem eiuſmodi ſolutio ab initio non pariat, conſumpta tamen ea ab eo qui accepit, liberatio procedit; Longum eſſet, exempla omnia quæ ex libris noſtris promi poſſunt, recenſendo enumerare, quibus cōprobetur multa quæ ab origine effectum non habuere, poſtea ſublatis obſtaculi impedimentíque cauſis confirmari ac corroborari: vt extra teſtamentarias quæſtiones, ſuperiori regulæ locū non eſſe, veriſsimè pronuntiare mihi poſſe videar. Atque hæc fuit veteris illius interpretis cuius non ità pridē in lucem miſſæ ſunt breues in Tit. de diuerſis regulis iuris antiqui notæ, ſiue is Placentinus eſt, ſeu quis alius (nihil enim præter coniecturam habemus) ſententia. Verùm quæ ad alia excurrit ad inſtitutum iam iā reuocetur oratio. Si Senatori indulgentia principali fuerit permiſſum libertinam iuſtam vxorem habere, poſſe eam iuſtam vxorem eſſe, Vlpianus prodidit,[4] Illud olim in dubium venit, ſi quis libertinæ nuptiis deuinctus, deinde in collegium Senatorum cooptaretur, nu matrimoniū dirimeretur: Vet[9] quidē iuriſprudentia ob ſuperuenientem dignitatem nuptias ſolui credebat, quando in eum caſum res ceᵹidiſſet à quo incipere vtiliter non potuerat. Quod Iuſtiniano diſplicuit, qui matrimo-

6. in L. penult. D. de diuerſ. reg. iur.

7. L. proculus D. de iure dot.

8. L. Minorē D. de ritu nupt.

9. L. Eos qui D. de ritu nupt. L. Etſi contra C. de nupt

1 L. 2. §. Mutui D. ſi cer pet.

2 L. Nam & ſi fur. D. ſi cert. pet. L ſi quis pro eo §. ſi nummos D. de fideiuſſorib.

4. L. ſi Senatori. D de ritu nupt.

nium nihilominus manere & hoc bono euentu vxorem frui voluit.[5] Enimuero ſi libertino Senatoris filia nupſerit, licet poſtea pater Senatu ob turpitudinem moueatur, nihilominus ea iuſta vxor fiet:[6] cùm inuidioſum ſimul & iniquum ſit quæſitam liberis dignitatem, propter patris crimen auferri. Senatoris certè filia, quæ artem ludicram, vel corpore quæſtum fecerit, aut iudicio publico damnata ſit, libertino impunè nubit.[7] Nec enim huic honos ſeruandus eſt, quæ tanto ſe dedecore maculauerit, nominique ſuo tã inſignẽ ignominiæ notam inuſſerit. Sed & quæ Senatorio quidem ſanguine creta non eſt, ob matrimonium tamen cum Senatore contractum, clariſsimæ fœminæ nomen adepta eſt, mortuo marito, libertino rectè nubit.[8] Nam ſolas Senatorum filias, neptéſq; à libertinorum nuptiis lex repellit. Indignos autẽ huiuſmodi nuptiis libertinos haberi, licet ſe patrono homini ingenuo adrogandos dederint, Marcellus lib. j. ad L. Iul. ſcribit.[9] Quãdoquidẽ publica ingenuitatis iura huiuſmodi adrogatione non ſint adepti. Quò pertinet Maſſurii Sabini à Gellio relatus locus, in quo ita eſt.[10] *Libertinos verò ab ingenuis adoptari poſſe Maſſurius Sabinus ſcripſit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum eſſe vnquam putauit, vt homines libertini ordinis per adoptionem in iura ingenuorum inuadant. Alioquin, inquit, ſi iuris antiquitas iſta ſeruetur, etiam ſeruus à domino per prætorem in adoptionem dari poteſt.* Et hoc eſt quod ab Vlpiano definitur,[1] *Eum qui ſe libertinum fatetur, nec adoptando ingenuum facere patronum poſſe.* Tametſi enim patrono libertum ſuum cauſæ cognitione adhibita adrogare liceat, tamen in eius tantum vnius perniciem, damnum ac præiudicium, priuatâque eius familiæ iura, ea adrogatio valet.[2] Cæterum ingenuitatis ornamenta omnia adrogato nequaquam confert ac tribuit. A quo non abhorret quod Syneſius Epiſtola prima lubenter ſe, ſi per leges acerrimas ingenuitatis patronas liceret ſpurios ſuos liberos in locum legitimorum adoptaturũ ſcribit in hunc modum, πὰρ ἐμοῦ δ' οὕτως ἠγαπήθη διαφερόντως ὡς ἤδη αὐτὸν εἰσποιῆσαι φιλοσοφίᾳ καὶ τοῖς γνησίοις ἐγκρῖναι. ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐ φασὶν ἐπιτρέψειν, οὐ δὲ οἱ νόμοι τῆς πολιτείας, ξένοι γὰρ εἰσὶ τῆς εὐγενείας προσχάται. Eadémque ratione naturalem in ſeruitute quæſitum filium, in poteſtatem quidem patris principis beneficio redigi poſſe,

5 L. vlt. C. de nupt.
6 L. generali in fi. D. de ritu nup.
7 L. Senatorls. D. de ritu nupt.
8 l. Cum te C. de nupt.
9 l. ſciendum D. de ritu nupt.
10 lib. v. noc. attic. capi. xix.
1 in L. vlt. D. de ſtatu homin.
2 l Cum eũ C. de adoptionib.

libertinum tamen ſemper manere ex Vlpiani lib. iiii. ad L. Iul.& Pap. traditur. 3 Planè liberti alieni adrogatio non admittebatur, 4 ne iure ſuo manumiſſor fraudaretur. Quare ſi libertum eum eſſe liqueret, qui ſe adrogandum non patrono dare ſtuderet, nequaquam ferenda hæc, quæ patrono facta fuiſſet, iniuria credebatur. Quod ſi per obreptionem conditione ſua celata, ſtatúque diſſimulato in alienam familiam cum capite ſuo fortunas libertus tranſtuliſſet, patroni tamen ius integrum nihilominus manebat. 5 Quæri poteſt, an ſi aureos anulos ab Imperatore libertus acceperit à Senatoriis nihilominus nuptiis ſubmoueatur. Quam quidem quæſtionem ab Vlpiano lib. j. ad L. Iul. tractatam fuiſſe ſuſpicor. Eóque referendum eſſe caput illud quod ſub Rub. de iure aureor. anulor. à Triboniano relatum eſt, in hæc verba. *Libertinus ſi ius aureorum anulorum impetrauit, quamuis iura ingenuitatis ſaluo iure patroni nactus ſit, tamen ingenuus intelligitur.* Aureorum enim anulorum beneficio liberti omnia ingenuitatis munia, ſaluo tamen patronorum iure, cui per principem nihil detrahitur, conſequuntur. Eáque de cauſa aureis anulis honorem libertorum augeri, conditionem non mutari traditum eſt. Denique viuere eos quaſi ingenuos, mori vt libertos, 9 quòd in eorum bonis, omnia ſibi patronatus iura patroni vindicent. 1 Longè minor de eo qui natalibus ſit reſtitutus, dubitatio eſt. Hic enim per omnia ingenuus fit, perindéque habetur, ac ſi medio tempore maculam ſeruitutis non ſuſtinuiſſet 2. Et ideo in huiuſmodi reſtitutionibus patroni volũtas & conſenſus exquiri, ac explorari ſolet: cui iura omnia quæ ex manumiſsione cõpetebãt, depereũt. Præterea Senatores, Senatorúmue filii, eas ducere prohibentur, quæ ipſæ, quarúmue pater, mater, artem ludicram fecerint. De patre autem matréque tantùm lex loquitur: Et ideo auũ vel auiã artẽ ludicrã feciſſe nihil nocet. 3 In odioſis enim quę interpretatione adiuuanda non ſunt, 4 patris appellatione auum non comprehendimus. Veluti in lege Iulia de Adulteriis, qua patri filiam in adulterio deprehenſam occidendi ius datur, patris appellatio ad auum minimè porrigitur. 5 Aliter atque in his quæ benignè atque fauorabiliter conſtituuntur, in quibus patris appellatione auum cõtineri iura interpretatione

3. in L. vlt. D. de adoptionib.
4 L. vlt. D. de adoptionib.
5. l. Sed ſi hac lege §. patrono. D. de in ius vocat. l. 1. §. nepos D. Si quis à parent.
6 l. vlt. D. de iure aur. anul.
7 l. pen. D. de iure aure anul. l. ſed ſi hac lege §. ſed ſi eum. D. de in ius vo.
9. L. 1. C. ad L. viſcell.
1. L. etiam D. de bon. libert.
2. L. 1. 2. 3. D de natal. reſtitu. L. imperialis. C. de nupt.
3. Lege Iulia §. 1. D. de ritu nupt.
4. L. Cum quæreretur D. de liber. & poſt.
5. L. patri. D. ad l. Iul. de adulter.

tione recipitur.[6] Et ita patrib⁹ lege Papia ſeruatũ ius antiquũ 6. L. Iuſta
auis quoque, Nerua, Plinio teſte,[7] indulſit. Secundũ quę le- D. de verb ſi-
gẽ municipalẽ Pariſienſis præfecturæ, quę patri, filii ſine libe- gnif.
ris mortui certam bonorum ſpeciẽ defert, Pariſiẽſis curia ad 7 in Panegy- ric.
auum producẽdum eſſe pronuntiauit. Sed & illam principis
conſtitutionem, qua ceſſiones actionum mutãdi iudicii cau-
ſa, præter quàm à patre, filio, & aliis exceptis perſonis factæ,
inhibebãtur, auum cõplecti obtinuit, licet de patre dũtaxat
loquatur. Patrem autem hic iuſtum intelligim⁹, ſiue is natu-
ralis ſit, ſiue adoptiuus. In matre, nihil refert iuſta ſit, an vul-
gò conceperit[8] Nam mater quidẽ ſemper certa eſt, etiam ſi 8. L. lege Iul-
vulgò cõceperit: vulgò verò quæſitorum incertus pater eſt, lia D. de ritu
cũ ſolũ populũ patrem ciere poſſint. Vnde feſtiuo ſcommate nupt.
Diogenes quendam vulgò editum lapides in vulgus iaciẽtẽ
repreſſit. cauendum ei eſſe admonens ne patrem ictu offen-
deret. Quod bellè quoque Syneſius Epiſt. iij. de vulgò quæ-
ſitis loquẽs expreſſit τοῖς γὰρ, ait, οὕτω γεγονόσιν, ἀποδέδεικται
μὲν ἡ μήτηρ, ὁ δὲ λοιπὸς τῶν γονέων, ἀμφισβητήσιμος. ὅσοι οὖν ἀμφο-
τέροις παρὰ τῶν εὖ γεγονότων ὀφείλεται τοῦτο πᾶν ἥκειν ἔδει παρὰ
τῶν ἀπατόρων εἰς τὰς μητέρας. Solius ergo matris, quã partus
ipſe indubitatè demonſtrat, meritò turpitudo ſpectatur, non
etiam patris quã promiſcuus matris concubitus, aut ignotũ
aut certe incertum reddit. Quod ſi poſt legitimè copulatas
nuptias Senatoris ſocer, ſocrúſue artẽ ludicrã facere cœperit,
nõ idcirco ab initio rectè contractũ matrimoniũ diſſoluetur.
At ſi ipſamet vxor artem ludicram facere cœperit, vtrique di-
mittẽda erit. Honeſtè enim in matrimonio retineri non po-
teſt. Ait Lex, ARTEM LVDICRAM veluti mimicam, hi-
ſtrionicã & quemcunque aliã ſcenicã. Artem enim ludicram
facere dicuntur, qui operas ſuas in ſcenã ſaltandi geſticulan-
díue cauſa locant, vel etiã extra ſcenam geſticulantur[9] Ath- 9 L. Mater §.
letæ planè thymelici, xyſtici, agitatores, & qui aquam equis vlt. D. de a-
refocillandorum eorum cauſa ſpargebant, ceteríque omnes dult. l. 2. §.
qui ſacris, & in deorũ honorẽ inſtitutis certaminibus deſer- vlt. de his qui not. in fam.
uiebant, item deſignatores, quos βραβευτὰς vocabãt, artẽ lu-
dicram facere non exiſtimabũtur quemadmodum Vlpianus 1. athletas.
ad edictũ Prætoris de his qui notantur infamia explicat.[1] Eo- D. de his qui
dem iure etiam Atellanarũ actores habitos obſeruaui: quòd not. inf.

genus ludorum ab Oſcis acceptum iuuentutē tenuiſſe, nec ab hiſtrionibus pollui paſſam, eóque inſtitutum, vt earum a-
2. lib. vii. ab. V. C. ctores, velut artis ludicræ expertes, notæque vacui, neque tribu mouerentur, nec à ſtipendiis militaribus repellerētur, Li-
3. lib 2. c. 1. uius cū Valerio Max. ſcribit. Proinde & his ius erat nō cogi in ſcena perſonam ponere, quod cęteris hiſtrionibus pati neceſſe erat, quemadmodum ex Feſto Pompei Paulus adnotauit.[4] Erant verò Atellanæ vt eſt à Donato[5] & Diomede[6] ſcri-
4. lib. xiiii. 5. in Teren. 6. lib. iii de art. gram. ptum ſalibus atque iocis compoſitæ fabulæ, quæ vetuſtā in ſe elegantiam, delectationémque Italica ſeueritate temperatam, laſciuia ac petulantia vacuam habebant. Eſtque ab Atella id earum nomē Oſcorum ciuitatē, in qua primùm actitatæ ſunt, ductum. Quas non in libera tantùm Repub. ſed vel imperatorum temporibus in vſu fuiſſe duo Trāquilli lo-
7. cap. xlvi. ci arguunt. Quorū vnus eſt in Tyberio[7] in hæc verba. *Vnde notatum Atellanico exodio proximis ludis adſenſu maximo excepta percrebuit, hircū vetulū capreis naturam ligurire.* Alter in Galba[8] his
8. cap. xiii. verbis. *Siquidem Atellanus notiſsimum canticum exorſus, venit Ioſimus à villa cuncti ſimul ſpectatores conſentiente voce reliquam p ritem retulerunt ac ſæpius verſu repetito egerunt.* Hoc idem Spartia. in Hadriano comprobat. *In cōuiuio Tragœdias, comœdias, Atellanas, ſambucas pro re ſemper exhibuit.* Exodia verò huic fabularum generi inſerta ex ſuperiore Tranquilli loco liquet. Quod & Iuuenalis indicat.

9. lib. vii ab V. C. *Ruſticus*, inquit, *exodio riſum mouet Atellanæ.*

Liuius qualia ea fuerint exponit,[9] in hunc modum. *Iuuentus hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare cepit, quæ inde exodia poſtea appellata cōſertáque fabulis potiſsimū Atellanis, ſunt.* Atellanarū vtique pro batiſsimos actores, Nonium & Pomponium, Macrobi[9] memorat. poſt quos, diu iacentem artem Atellaniam ſuſcitaſſe
1. lib. Saturnal. cap. x. Mummium ſcribit. [1] Ac planè Pomponii celebris Atellana-
2 controu. iij. lib. vi. rū ſcriptoris apud Senecā[2] fit mētio. Enimuero Mimi, Pantomimi, hiſtriones, ὀρχηςαὶ, qui fracto molli atque effœminato geſtu motúq; corporis, & muto manuū ſermone res quaſcūque fictas, geſtáſue exprimebant, & ita oculis ſubiiciebāt, vt manibus quodāmodo loqui viderentur, artem ludicram facere proculdubio cenſebatur. De quorum artificioſa ſalta-

tione, ſi quæ cogitatione complexus, aut obſeruatione conſecutus ſum, ea hic effundere vellem, latiſſimus certè digreſſionis excurſioniſque campus pateret. Sed ne Parergis liber hic turgeſcat, magis eſt, vt proprium ei tractationi librũ aliquando, ſi Deus dederit, exiturum deſtinem[9]. Interim verò, quo loco ac numero eiuſmodi voluptatũ artifices olim fuerint, ſcire intereſt. Idque ipſa legis in qua conſtitimus, prohibitio exigit Hoc enim expoſito nemini dubiũ relinquetur, cur ab earum nuptiis quarum pater artem ludicram feciſſet, Senatores Senatorũque filios lex Iulia repulerit. Artẽ planè ludicram ſcenámque totam veteres in probro duxiſſe genúſque id hominum non modò honore ciuium reliquorum carere, ſed & tribu moueri, cenſoria notatione voluiſſe, Cicero lib. iiii. de Repub. ſcripſerat vt à B. Auguſtino lib. ij. de Ciuit. Dei cap. xiii. refertur. Idémque lib. j. de conſenſu Euãgeliſt. cap. xxxiii. *Nonne Cicero, ait, cùm Roſciũ quẽdam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, vt ſolus eſſet dignus, qui in ſcenã deberet intrare, ita virum bonum, vt ſolus eſſet dignus, qui eò non deberet accedere. Quid aliud apertiſsimè oſtendens niſi illam ſcenã eſſe tàm turpẽ, vt tãtò minus ibi eſſe homo debeat, quãtò magis fuerit vir bonus?* Vnde Tertullianus in lib. de Spectaculis. *Etenim, ait, ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorũ, locũ, quadrigarios, ſcenicos, Xyſticos, harenarios illos amentiſsimos, quibus viles animas feminæ, aut illi etiã corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea cõmittunt quæ reprehendunt, ex eadem parte qua magni faciunt, deprimũt, & diminuũt: Immo manifeſte damnant ignominia & capitis mutatione: arcentes curia, roſtris, Senatu, Equite, ceteriſque ordinibus ſimul & ornamentis Quiritium.* Arnobius lib. vii. aduerſus gentes. *Exiſtimatur tractari ſe honorificè Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi & migratum à lupanaribus in theatra. Itáne iſtud non eſt deorũ imminuere dignitatẽ, dicare & conſecrare turpiſsimas res Diis, quas cenſor animus reſpuat: & quarum actores inhoneſtos eſſe ius veſtrum, & inter capita computari indicauit infamia.* Quam veluti amẽtatam haſtam veriſſimè Arnobius ex ipſo Quiritium iure, in eos torſit: Edicto nanque Prætoris infamia notabantur,[1] qui artis ludicræ, pronuntiandíue cauſa in ſcenam prodiiſſẽt: Quapropter Æmilius probus in præfatione libri de vita excellẽt. Imperator. *Magnis*, inquit, *laudibus tota fuit Græcia, victorẽ olympiæ citari. In*

[1] L. 1. D. de his qui not. infam.

ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gẽtibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Huius rei argumentũ eſt, quod qui ad principem prouocantem, eum qui artem ludicram faceret, torſiſſet, verberaſſet, condemnaſſet iudex, lege Iulia de vi publica cõtrà atque ſi idem in reliquorum ciuium corpus admiſiſſet, non aprehendebatur: [2] ipſamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominnm quaſi beneficio ſuo indignum aſpernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum queçrente Prætore in atrio domus ſuæ Auguſtum flagellis (quod erat ſeruile ſupplicium) verberaſſe Tranquillus memorat: [3] vbi & illud refert magiſtratibus omni loco omníque tempore coërcitionem in hiſtriones lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in vxoris adulterio deprehenſas occidẽdi ius lex Iulia de pudicitia daret, id ei licere in eos qui artem ludicrã facerẽt, noluit.[4] Accuſandi quoque & publico iudicio reos poſtulãdi, his qui artem ludicrã feciſſent, poteſtas denegabatur.[5] Proinde & huiuſmodi artẽ, citra capitale flagitium exercere miles nõ poterat. Tiberium quidem certè Dio auctor eſt,[6] hiſtriones vrbe expuliſſe, artéque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent & turbas excitarent. Contrà, Caius eos ſtatim atq; imperio potitus eſt[7] eodẽ Dione teſte reuocauit. Rurſus Domitian9 ſcenam his interdixit vt Sueto. in eius vita memorat[8] intra domum dumtaxat exercendi artem iure conceſſo. Fuit planè tempus, cum nec Equitibus ſcena indecora eſſet, vt eam illis Senatuſcõſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod Suetonius in Auguſto docet,[9] his verbis. *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando vſus eſt, verum priuſquam Senatuconſulto interdiceretur.* Quod Idem Dio ita refert lib. liiij. ἐπειδὴ περ καὶ ἱππεῖς καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν οὐχ ὅτι τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγόνοις τοῖς τε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾶν. Ex quo lucẽ accipiet alter Suetonii in Tiberio loc9, quo ex iuuẽtute vtriuſq; ordinis profligatiſſimũ quẽque quominꝰ in opera ſcenæ harenæue edenda Senatuſcõſulto teneretur famoſi iudicii no-

[2. Paulus lib. 7. Sententi. 26. Tit. de vi publica.]

[3. in Auguſto cap. 45.]

[4. L. Marito D. ad l. Iul. de adult.]

[5. L. Qui iudicio D. de accuſat.]

[6. lib. lviii.]

[7. lib. lix.]

[8. cap. vii.]

[9. ca. xliiii.]

tam ſponte ſubiiſſe narrat.[1] Poſtea tamen, quod & mirum viſu iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, Dio auctor eſt.[2] καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Αἴτιον δὲ ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μηδ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν· καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὤφλισκανον. Suetonius etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentóſque Equites Romanos & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ad ferrum exhibuiſſe narrat.[3] Proinde Vitellio imperāte, quēadmodum Tacitus ſcribit, ſeuerè cautū fuit ne equites Romani ludo & harena polluerentur, cū priores id principes pecunia & ſæpius vi pertuliſſent: Ac Domitianum quoque Quæſtorium virū quoad geſticulādi ſaltādíque ſtudio teneretur, Senatu mouiſſe traditum eſt.[4] Quod autem ait lex, FACIT FECERIT cum effectu accipiendū eſt.[5] Et ideo qui operas ſuas locauerit, vt in ſcenā prodiret, nec prodierit tamen, lege cōtineri non videtur.[6] Factū enim non voluntas apprehenditur. Quò pertinet apud Quintilianū[7] propoſita quæſtio, an theatrali lege quæ eum qui artem ludicrā exercuiſſet, à xiiij. primis theatri ordinibus arceri volebat, is qui Prætori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, cōtineretur. Cui nō abſimilis & alia quæſtio tractatur apud eūdem aut alium Quintilian. Declamatione cccij. Certe in Senatuſconſulto[8] de poſtulando & in alio legis Iuliæ capite,[9] ſola operarū ad beſtias depugnandas locatio, etiā nulla pugna ſecuta notat. Ita quippe vtrubiq; verba ſcripta ſunt. In edicto autē Prętoris de infamibus, quod ad ludicrā artem attinet, cōſiliū ac conatus nō punitur. Ceterum huic legis Iulię capiti congruenter Cōſtātinus ſanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duumuiriſue, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertæue filiam, ſcenicam, vel ſcenicæ filiam, tabernariam, tabernariæue filiam, vel lenonis, aut harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quā conſtitutionem Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant.[1] Ei verò Iuſtinianus, quantum ad ſcenicas perſonas attinet derogauit[2] conſtituens mulieribus quę pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta

1. cap. xxxv.
2. lib. lvi.
3. In Nerone. cap. xii.
4. Suet. in Domit. cap. viii.
5. arg. L. 1. §. hac verba. D. quod quiſque iu.
6 L. 1. D. de his qui not. infam.
7. lib. 3 inſtit. orat. cap. 6.
8. L. § in Senatuſconſulto. D de poſtul.
9 l. qui liberti nus. D. de oper. libert.
1 Tit 4. Nouel. Mart.
2. in L. imperialis . de nuptiis.

ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gẽtibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Huius rei argumentũ eſt, quod qui ad principem prouocantem, eum qui artem ludicram faceret, torſiſſet, verberaſſet, condemnaſſet iudex, lege Iulia de vi publica cõtrà atque ſi idem in reliquorum ci-
2. Paulus lib. uium corpus admiſiſſet, non aprehendebatur: [2] ipſamet le-
v. Sententiar. gis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominnm
Tit. de vi publica. quaſi beneficio ſuo indignum aſpernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum querente Prætore in atrio domus ſuæ Auguſtum flagellis (quod erat ſeruile ſupplicium) verberaſſe Tranquillus memorat: [3] vbi & illud refert magi-
3. in Augusto cap. 4, . ſtratibus omni loco omníque tempore coërcitionem in hiſtriones lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in vxoris adulterio deprehenſas occidẽdi ius lex Iulia de pudicitia daret, id ei lice-
4. L. Marito D ad l. Iul. de adult. re in eos qui artem ludicrã facerẽt, noluit.[4] Acccuſandi quoque & publico iudicio reos poſtulãdi, his qui artem ludicrã
5. L. Qui iudicio D. de accuſat. feciſſent, poteſtas denegabatur.[5] Proinde & huiuſmodi artẽ, citra capitale flagitium exercere miles nõ poterat. Tiberium
6. lib. lvii. quidem certè Dio auctor eſt, [6] hiſtriones vrbe expuliſſe, artéque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent & turbas excitarent. Contrà, Caius eos ſtatim atq; imperio
7. lib. lix. potitus eſt [7] eodẽ Dione teſte reuocauit. Rurſus Domitian⁹
8. cap. vii. ſcenam his interdixit vt Sueto. in eius vita memorat [8] intra domum dumtaxat exercendi artem iure conceſſo. Fuit planè tempus, cum nec Equitibus ſcena indecora eſſet, vt eam illis
9. ca. xliiii. Senatuſcõſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod Suetonius in Auguſto docet [9] his verbis. *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando vſus eſt, verum priuſquam Senatuconſulto interdiceretur.* Quod Idem Dio ita refert lib. liiij. ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν οὐχ ὅτι τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγόνοις τοῖς γε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾶν. Ex quo lucẽ accipiet alter Suetonii in Tiberio loc⁹, quo ex iuuẽtute vtriuſq; ordinis profligatiſſi nũ quẽque quomin⁹ in opera ſcenæ harenæue edenda Senatuſcõſulto teneretur famoſi iudicii no-

tam ſponte ſubiiſſe narrat.[1] Poſtea tamen, quod & mirum viſu iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, Dio auctor eſt.[2] καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπέτρεψε. Αἴτιον δὲ ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μηδ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν ἢ καὶ ἀποτραπῆναι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὤφλισκανον. Suetonius etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentóſque Equites Romanos & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ad ferrum exhibuiſſe narrat.[3] Proinde Vitellio imperāte, quēadmodum Tacitus ſcribit, ſeuerè cautū fuit ne equites Romani ludo & harena pollucrentur, cū priores id principes pecunia & ſæpius vi pertuliſſent: Ac Domitianum quoque Quæſtorium virū quoad geſticulādi ſaltādíque ſtudio teneretur, Senatu mouiſſe traditum eſt.[4] Quod autem ait lex, FACIT FECERIT cum effectu accipiendū eſt.[5] Et ideo qui operas ſuas locauerit, vt in ſcenā prodiret, nec prodierit tamen, lege cōtineri non videtur.[6] Factū enim non voluntas apprehenditur. Quò pertinet apud Quintilianū[7] propoſita quæſtio, an theatrali lege quæ eum qui artem ludicrā exercuiſſet, à xiiij. primis theatri ordinibus arceri volebat, is qui Prætori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, cōtineretur. Cui nō abſimilis & alia quæſtio tractatur apud eūdem aut alium Quintilian. Declamatione cccij. Certe in Senatuſconſulto[8] de poſtulando & in alio legis Iuliæ capite,[9] ſola operarū ad beſtias depugnandas locatio, etiā nulla pugna ſecuta notat. Ita quippe vtrubiq; verba ſcripta ſunt. In edicto autē Prętoris de infamibus, quod ad ludicrā artem attinet, cōſiliū ac conatus nō punitur. Ceterum huic legis Iulię capiti congruenter Cōſtātinus ſanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duumuiriſue, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertæue filiam, ſcenicam, vel ſcenicæ filiam, tabernariam, tabernariæue filiam, vel lenonis, aut harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quā conſtitutionem Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant.[1] Ei verò Iuſtinianus, quantum ad ſcenicas perſonas attinet derogauit[2] conſtituens mulieribus quę pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta

1. cap. xxxv.
2. lib. lvi.
3. In Nerone. cap. xii.
4. Suet. in Domit. cap. viii.
5. arg. L. 1. §. hac verba. D. quod quiſque iu.
6. L. 1. D. de his qui not. infam.
7. lib. 3 inſtit. orat. cap. 6.
8. L. § in Senatuſconſulto. D de poſtul.
9. l. qui libertinus. D. de oper. libert.
1. Tit 4 Nouel. Mart.
2. in L. imperialis [illegible]. de nuptiis.

ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eisdem gētibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Huius rei argumentū eſt, quod qui ad principem prouocantem, cum qui artem ludicram faceret, torſiſſet, verberaſſet, condemnaſſet iudex, lege Iulia de vi publica cōtrà atque ſi idem in reliquorum ciuium corpus admiſiſſet, non aprehendebatur: 2 ipſamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominum quaſi beneficio ſuo indignum aſpernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum querente Prætore in atrio domus ſuæ Auguſtum flagellis (quod erat ſeruile ſupplicium) verberaſſe Tranquillus memorat: 3 vbi & illud refert magiſtratibus omni loco omníque tempore coërcitionem in hiſtriones lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in vxoris adulterio deprehenſas occidēdi ius lex Iulia de pudicitia daret, id ei licere in eos qui artem ludicrā facerēt, noluit. 4 Acccuſandi quoque & publico iudicio reos poſtulādi, his qui artem ludicrā feciſſent, poteſtas denegabatur. 5 Proinde & huiuſmodi artē, citra capitale flagitium exercere miles nō poterat. Tiberium quidem certè Dio auctor eſt, 6 hiſtriones vrbe expuliſſe, artéque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent & turbas excitarent. Contrà, Caius eos ſtatim atq; imperio potitus eſt 7 eodē Dione teſte reuocauit. Rurſus Domitian⁹ ſcenam his interdixit vt Sueto. in eius vita memorat 8 intra domum dumtaxat exercendi artem iure conceſſo. Fuit planè tempus, cum nec Equitibus ſcena indecora eſſet, vt eam illis Senatuſcōſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod Suetonius in Auguſto docet 9 his verbis. *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando vſus eſt, verum priuſquam Senatuconſulto interdiceretur.* Quod Idem Dio ita refert lib. liiij. ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν οὐχ ὅτι τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγόνοις τοῖς τε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾶν. Ex quo lucē accipiet alter Suetonii in Tiberio loc⁹, quo ex iuuētute vtriuſq; ordinis profligatiſſi mū quēque quominꝰ in opera ſcenæ harenæue edenda Senatuſcōſulto teneretur famoſi iudicii no-

2. Paulus lib. v. Sententiar. Tit. de vi publica.
3. in Auguſto cap. 45.
4. L. Marito D ad l. Iul. de adulte.
5. L. Qui iudicio D. de accuſat.
6. lib. lvii.
7. lib. lix.
8. cap. vii.
9. ca. xliiii.

tam ſponte ſubiiſſe narrat.[1] Poſtea tamen, quod & mirum viſu iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, Dio auctor eſt.[2] καὶ τοῖς ἱππεῦσι, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Αἴτιον δὲ ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μηδ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν, καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὠφλισκάνον. Suetonius etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentóſque Equites Romanos & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ad ferrum exhibuiſſe narrat.[3] Proinde Vitellio imperãte, quẽadmodum Tacitus ſcribit, ſeuerè cautũ fuit ne equites Romani ludo & harena polluerentur, cũ priores id principes pecunia & ſæpius vi pertuliſſent: Ac Domitianum quoque Quæſtorium virũ quoad geſticulãdi ſaltãdique ſtudio teneretur, Senatu mouiſſe traditum eſt.[4] Quod autem ait lex, FACIT FECERIT cum effectu accipiendũ eſt.[5] Et ideo qui operas ſuas locauerit, vt in ſcenã prodiret, nec prodierit tamen, lege cõtineri non videtur.[6] Factũ enim non voluntas apprehenditur. Quò pertinet apud Quintilianũ[7] propoſita quæſtio, an theatrali lege quæ eum qui artem ludicrã exercuiſſet, à xiiij. primis theatri ordinibus arceri volebat, is qui Prætori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, cõtineretur. Cui nõ abſimilis & alia quæſtio tractatur apud eũdem aut alium Quintilian. Declamatione ccciij. Certe in Senatuſconſulto[8] de poſtulando & in alio legis Iuliæ capite,[9] ſola operarũ ad beſtias depugnandas locatio, etiã nulla pugna ſecuta notat. Ita quippe vtrubiq; verba ſcripta ſunt. In edicto autẽ Prętoris de infamibus, quod ad ludicrã artem attinet, cõſiliũ ac conatus nõ punitur. Ceterum huic legis Iuliç capiti congruenter Cõſtãtinus ſanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duumuiriſue, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertæue filiam, ſcenicam, vel ſcenicæ filiam, tabernariam, tabernariæue filiam, vel lenonis, aut harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quã conſtitutionem Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant.[1] Ei verò Iuſtinianus, quantum ad ſcenicas perſonas attinet derogauit[2] conſtituens mulieribus quę pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta

1. cap. xxxv.
2. lib. lvi.
3. In Nerone. cap. xii.
4. Suet. in Domit. cap. viii.
5. arg. L. 1. §. hac verba. D. quod quiſque iu.
6 L. 1. D. de his qui not. inf.am.
7. lib. 3 inſtit. orat. cap. 6.
8. L. § in Senatuſconſulto. D de poſtul.
9 l. qui libertinus. D. de oper. libert.
1 Tit 4. Nouel. Mart.
2. in L. imperialis. C. de nuptiis.

ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gẽtibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Huius rei argumentũ eſt, quod qui ad principem prouocantem, cum qui artem ludicram faceret, torſiſſet, verberaſſet, condemnaſſet iudex, lege Iulia de vi publica cõtrà atque ſi idem in reliquorum ci-
2. Paulus lib. v. Sentent. tit. Tit. de vi publica. uium corpus admiſiſſet, non aprehendebatur: [2] ipſamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominum quaſi beneficio ſuo indignum aſpernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum querente Prætore in atrio domus ſuæ Auguſtum flagellis (quod erat ſeruile ſupplicium) verberaſſe Tranquillus memorat: [3] vbi & illud refert magi-
3. in Augusto cap. 45. ſtratibus omni loco omníque tempore coërcitionem in hiſtriones lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in vxoris adulterio deprehenſas occidẽdi ius lex Iulia de pudicitia daret, id ei lice-
4. L. Marito D. ad l. Iul. de adult. re in eos qui artem ludicrã facerẽt, noluit. [4] Accuſandi quoque & publico iudicio reos poſtulãdi, his qui artem ludicrã
5. L. Qui indicio D. de accuſat. feciſſent, poteſtas denegabatur. [5] Proinde & huiuſmodi artẽ, citra capitale flagitium exercere miles nõ poterat. Tiberium
6. lib. lvii. quidem certè Dio auctor eſt, [6] hiſtriones vrbe expuliſſe, artéque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent & turbas excitarent. Contrà, Caius eos ſtatim atq; imperio
7. lib. lix. potitus eſt [7] eodẽ Dione teſte reuocauit. Rurſus Domitian⁹
8. cap. vii. ſcenam his interdixit vt Sueto. in eius vita memorat [8] intra domum dumtaxat exercendi artem iure conceſſo. Fuit planè tempus, cum nec Equitibus ſcena indecora eſſet, vt eam illis
9. ca. xliiii. Senatuſcõſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod Suetonius in Auguſto docet, [9] his verbis. *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando vſus eſt, verum priuſquam Senatuconſulto interdiceretur.* Quod Idem Dio ita refert lib. liiij. ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν οὐχ ὅτι τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγόνοις τοῖς τε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾶν. Ex quo lucẽ accipiet alter Suetonii in Tiberio loc⁹, quo ex iuuẽtute vtriuſq; ordinis profligatiſſimũ quẽque quomin⁹ in opera ſcenæ harenæue edenda Senatuſcõſulto teneretur famoſi iudicii no-

tam ſponte ſubiiſſe narrat.[1] Poſtea tamen, quod & mirum viſu iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, Dio auctor eſt.[2] καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπέτρεψεν. Αἴτιον δὲ ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μηδὲν ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν, καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὤφλισκανον. Suetonius etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentóſque Equites Romanos & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ad ferrum exhibuiſſe narrat.[3] Proinde Vitellio imperāte, quēadmodum Tacitus ſcribit, ſeuerè cautū fuit ne equites Romani ludo & harena polluerentur, cū priores id principes pecunia & ſæpius vi pertuliſſent: Ac Domitianum quoque Quæſtorium virū quoad geſticulādi ſaltādíque ſtudio teneretur, Senatu mouiſſe traditum eſt.[4] Quod autem ait lex, FACIT FECERIT cum effectu accipiendū eſt.[5] Et ideo qui operas ſuas locauerit, vt in ſcenā prodiret, nec prodierit tamen, lege cōtineri non videtur.[6] Factū enim non voluntas apprehenditur. Quò pertinet apud Quintilianū[7] propoſita quæſtio, an theatrali lege quæ eum qui artem ludicrā exercuiſſet, à xiiij. primis theatri ordinibus arceri volebat, is qui Prætori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, cōtineretur. Cui nō abſimilis & alia quæſtio tractatur apud eūdem aut alium Quintilian. Declamatione ccciij. Certe in Senatuſconſulto[8] de poſtulando & in alio legis Iuliæ capite,[9] ſola operarū ad beſtias depugnandas locatio, etiā nulla pugna ſecuta notat. Ita quippe vtrubiq; verba ſcripta ſunt. In edicto autē Prętoris de infamibus, quod ad ludicrā artem attinet, cōſiliū ac conatus nō punitur. Ceterum huic legis Iuliç capiti congruenter Cōſtātinus ſanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duumuiriſue, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertæue filiam, ſcenicam, vel ſcenicæ filiam, tabernariam, tabernariæue filiam, vel lenonis, aut harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quā conſtitutionem Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant.[1] Ei verò Iuſtinianus, quantum ad ſcenicas perſonas attinet derogauit[2] conſtituens mulieribus quę pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta

C iij

1. cap. xxxv.
2. lib. lvi.
3. In Nerone. cap. xii.
4. Suet. in Domit. cap. viii.
5. arg. L. 1. §. hac verba. D. quod quiſque iu.
6 L. 1. D. de his qui not. infam.
7. lib. 3 inſtit. orat. cap. 6.
8. L. § in Senatuſconſulto. D de poſtul.
9 l. qui liberti. D. de oper. libert.
1 Tit 4. Nouel. Mart.
2. in l. imperialis C. de nuptiis.

genus ludorum ab Oſcis acceptum iuuentutẽ tenuiſſe, nec ab hiſtrionibus pollui paſſam, eóque inſtitutum, vt earum a-
2. lib. vii. ab ctores, velut artis ludicræ expertes, notæque vacui, neque tri-
V.C. bu mouerentur, nec à ſtipendiis militaribus repellerẽtur, Li-
3 lib 2. c.1. uius cũ Valerio Max. ſcribit. Proinde & his ius erat nõ cogi in ſcena perſonam ponere, quod cęteris hiſtrionibus pati neceſſe erat, quemadmodum ex Feſto Pompei Paulus adnotauit.4 Erant verò Atellanæ vt eſt à Donato5 & Diomede6 ſcri-
4. lib. xiiii.
5. in Teren. ptum ſalibus atque iocis compoſitæ fabulæ, quæ vetuſtã in
6. lib. iii de ſe elegantiam, delectationémque Italica ſeueritate tempe-
art. gram. ratam, laſciuia ac petulantia vacuam habebant. Eſtque ab Atella id earum nomẽ Oſcorum ciuitate, in qua primùm actitatæ ſunt, ductum. Quas non in libera tantùm Repub. ſed vel imperatorum temporibus in vſu fuiſſe duo Trãquilli lo-
7. cap. xlvi. ci arguunt. Quorũ vnus eſt in Tyberio7 in hæc verba. *Vnde nota in Atellanico exodio proximis ludis adſenſu maximo excepta percrebuit, hircũ vetulũ capreis naturam ligurire.* Alter in Galba8 his
8. cap. xiii. verbis. *Siquidem Atellanis notiſsimum canticum exorſus, venit Ioſimus à villa cuncti ſimul ſpectatores conſentiente voce reliquam partem retulerunt ac ſæpius verſu repetito egerunt.* Hoc idem Spartia. in Hadriano comprobat. *In cõuiuio Tragœdias, comœdias, Atellanas, ſambucas pro re ſemper exhibuit.* Exodia verò huic fabularum generi inſerta ex ſuperiore Tranquilli loco liquet. Quod & Iuuenalis indicat.

9. lib. vii ab *Ruſticus*, inquit, *exodio riſum mouet Atellanæ.*

V.C. Liuius qualia ea fuerint exponit,9 in hunc modum. *Iuuentus hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare cepit, quæ inde exodia poſtea appellata cõſertáque fabulis potiſsimũ Atellanis, ſunt.* Atellanarũ vtique probatiſsimos actores, Nonium & Pomponium, Macrobi9 memorat. poſt quos, diu iacentem artem Atellaniam ſuſcitaſſe
1. lib. Satur- Mummium ſcribit. 1 Ac planè Pomponii celebris Atellana-
nal. cap. x. rũ ſcriptoris apud Senecã2 fit mẽtio. Enimuero Mimi, Panto-
2 contro. iij. lib. vii. mimi, hiſtriones, ὀρχησταὶ, qui fracto molli atque effœminato geſtu motúq; corporis, & muto manuũ ſermone res quaſcũque fictas, geſtáſue exprimebant, & ita oculis ſubiiciebãt, vt manibus quodãmodo loqui viderentur, artem ludicram facere proculdubio cenſebatur. De quorum artificioſa ſalta-

tione, ſi quæ cogitatione complexus, aut obſeruatione conſecutus ſum, ea hic effundere vellem, latiſſimus certè digreſſionis excurſioniſque campus pateret. Sed ne Parergis liber hic turgeſcat, magis eſt, vt proprium ei tractationi librũ aliquando, ſi Deus dederit, exiturum deſtinem⁹. Interim verò, quo loco ac numero eiuſmodi voluptatũ artifices olim fuerint, ſcire intereſt. Idque ipſa legis in qua conſtitimus, prohibitio exigit. Hoc enim expoſito nemini dubiũ relinquetur, cur ab earum nuptiis quarum pater artem ludicram feciſſet, Senatores Senatorũque filios lex Iulia repulerit. Artẽ planè ludicram ſcenámque totam veteres in probro duxiſſe genúſque id hominum non modò honore ciuium reliquorum carere, ſed & tribu moueri, cenſoria notatione voluiſſe, Cicero lib. iiii. de Repub. ſcripſerat vt à B. Auguſtino lib. ij. de Ciuit. Dei cap. xiii. refertur. Idémque lib. j. de conſenſu Euãgeliſt. cap. xxxiii. *Nonne Cicero*, ait, *cùm Roſciũ quẽdam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, vt ſolus eſſet dignus, qui in ſcenã deberet intrare, ita virum bonum, vt ſolus eſſet dignus, qui eò non deberet accedere. Quid aliud apertiſſimè oſtendens niſi illam ſcenã eſſe tàm turpẽ, vt tãtò minùs ibi eſſe homo debeat, quãtò magis fuerit vir bonus?* Vnde Tertullianus in lib. de Spectaculis. *Etenim*, ait, *ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorũ, locũ, quadrigarios, ſcenicos, Xyſticos, harenarios illos amentiſſimos, quibus viles animas feminæ, aut illi etiã corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea cõmittunt quæ reprehendunt, ex eadem parte qua magni faciunt, deprimũt, & diminuũt: Immo manifeſte damnant ignominia & capitis mutatione: arcentes curia, roſtris, Senatu, Equite, ceteríſque ordinibus ſimul & ornamentis Quiritium.* Arnobius lib. vii. aduerſus gentes. *Exiſtimatur tractari ſe honorificè Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi & migratum à lupanaribus in theatra. Itáne iſtud non eſt deorũ imminuere dignitatẽ, dicare & conſecrare turpiſſimas res Diis, quas cenſor animus reſpuat: & quarum actores inhoneſtos eſſe ius veſtrum, & inter capita computari indicauit infamia.* Quam veluti amẽtatam haſtam veriſſimè Arnobius ex ipſo Quiritium iure, in eos torſit: Edicto nanque Prætoris infamia notabantur,[1] qui artis ludicræ, pronuntiandíue cauſa in ſcenam prodiiſſet: Quapropter Æmilius probus in præfatione libri de vita excellẽt. Imperator. *Magnis*, inquit, *laudibus tota fuit Græcia, victorẽ olympiæ citari. In*

1. L. i. D. *de his qui not. infam.*

tam ſponte ſubiiſſe narrat.[1] Poſtea tamen, quod & mirum viſu iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permiſſum fuiſſe, Dio auctor eſt.[2] καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Αἴτιον δὲ ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μηδ' ὄφελός τι τῆς ἀπο ῥήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν ἢ καὶ ἀποτραπῆναι ἐζημιώθησαν συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὠφλισκάνον. Suetonius etiam Neronem quadringentos Senatores, ſexcentóſque Equites Romanos & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ad ferrum exhibuiſſe narrat.[3] Proinde Vitellio imperãte, quẽadmodum Tacitus ſcribit, ſeuerè cautũ fuit ne equites Romani ludo & harena polluerentur, cũ priores id principes pecunia & ſæpius vi pertuliſſent: Ac Domitianum quoque Quæſtorium virũ quoad geſticulãdi ſaltãdíque ſtudio teneretur, Senatu mouiſſe traditum eſt.[4] Quod autem ait lex, FACIT FECERIT cum effectu accipiendũ eſt.[5] Et ideo qui operas ſuas locauerit, vt in ſcenã prodiret, nec prodierit tamen, lege cõtineri non videtur.[6] Factũ enim non voluntas apprehenditur. Quò pertinet apud Quintilianũ[7] propoſita quæſtio, an theatrali lege quæ eum qui artem ludicrã exercuiſſet, à xiiij. primis theatri ordinibus arceri volebat, is qui Prætori in hortis oſtenſus eſſet, nec tamen productus, cõtineretur. Cui nõ abſimilis & alia quæſtio tractatur apud eũdem aut alium Quintilian. Declamatione cccij. Certe in Senatuſconſulto[8] de poſtulando & in alio legis Iuliæ capite,[9] ſola operarũ ad beſtias depugnandas locatio, etiã nulla pugna ſecuta notat. Ita quippe vtrubiq; verba ſcripta ſunt. In edicto autẽ Prętoris de infamibus, quod ad ludicrã artem attinet, cõſiliũ ac conatus nõ punitur. Ceterum huic legis Iulię capiti congruenter Cõſtãtinus ſanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duumuiriſue, vel ſacerdotibus municipiorum, libertam, libertæue filiam, ſcenicam, vel ſcenicæ filiam, tabernariam, tabernariæue filiam, vel lenonis, aut harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quã conſtitutionem Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant.[1] Et verò Iuſtinianus, quantum ad ſcenicas perſonas attinet derogauit[2] conſtituens mulieribus quę pudorem ſuum ſcena aut ludo quandoque polluiſſent, ſi derelicta inhoneſta

1. cap. xxxv.
2. lib. lvi.
3. In Nerone. cap. xii.
4. Suet. in Domit. cap. viii.
5. arg. L. 1. §. hac verba. D. quod quiſque iu.
6 L. 1. D. de his qui not. infam.
7. lib. 3 inſtit. orat. cap. 6.
8. L. § in Senatuſconſulto. D de poſtul.
9 l. qui libertinus. D. de oper. libert.

1 Tit 4 Nouel. Mart.
2. in L. imperialis C. de nuptiis.

conuerſatione honeſtiorem commodio cmque vitam fuerint amplexę, licere principali reſcripto cuilibet perſonę, quacúque dignitate prǽditæ, nubere, quaſi omni priſtinæ vitæ, macula pœnitẽtia. principiſque beneficio diluta atq; abſterſa. Addidit verò legi Iuliæ Senatus, vt neque damnatam publico iudicio ducere vxorem, aut retinere ius eſſet.₃ Damnatam accipe eam quæ non prouocauit. Ceterum ſi prouocauit, nõdum damnata videtur. Idem eſt, etſi ab eo qui ius damnandi non habuit, damnata ſit: Damnata enim tum videtur cum damnatio tenuit. Quã ego interpretationẽ ex ſimilibus aliis locis haurio.₉ Publico planè iudicio dãnata non videtur, quæ calumniæ, præuaricationíſue nomine, ex cauſa publici iudicij ſit cõdemnata, licet infamiæ notetur.₁ In calumniatores enim nulla publica quæſtio cõſtituta eſt. Nã etſi lege Remniacis pœna irrogata ſit, non tamen in publicorum iudiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur ſi ob publici iudicij accuſationem per calumniam inſtitutam, ſiue ob priuatum iudiciũ per calumniã motũ, vt calumniatrix mulier damnata ſit, Senatuſconſulto non cõtinetur. Ergò dicet aliquis, publico iudicio reos poſtulare mulieribus licet. Quod ita verum eſt, ſi ſuam, ſuorúmque iniuriam exequantur, vel læſę maieſtatis aut annonæ fraudatæ accuſationem perferant: His enim ex cauſis ad accuſationem publici iudicij admittuntur:₂ quam ſi deſtituiſſe arguantur, ob eámque rem damnatæ ſint, à Senatorum nuptiis idcirco non arcebuntur, quod prçuaricationis crimen in hac ſpecie iudicium publicum non ſit.

3. L. palam §. Senatus. D. de rit. nupt.

9. L. Edicto D. de honor. poſſ. L. 2. §. vlt. d. de pœnis. L. furti §. 1. D. de his qui notant. infamia.

1 L. palam §. §. ſi qua calumnia. D. de ritu nupt.

2. L. de crimine C. qui accuſ. non poſ. L. qui accuſare L. hi tamen. L. mulierem. D. de accuſ. L. vlti. D ad L. Iul. de annon. L. in quæſtionibus. D. ad L. Iul. maieſt.

₃ Porrò Senatoriis perſonis exceptis, cæteris omnib⁹ ingenuis libertinas vxores ducere lege Papia conceſſũ fuiſſe. Celſus teſtis eſt,₄ cuius ipſa verba ſubieci: Lege *Iulia Papia cauetur omnibus ingenuis, præter Senatores, eorúmque liberos libertinas vxores habere licere.* Quod & Dio comprobat, ₅ de Auguſto loquens. Ἐπειδὴ δὲ, ait, πολὺ πλεῖον τὸ ἄρρεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι πλὴν τῶν βουλευόντων ἄγεσθαι, ἔννομον τὴν τεκνοποιΐαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. Quæ verba latinè reddam, quoniam in hac parte recta non eſt quod eius pacè dictum ſit, Xylandri interpretatio: qui εὐγενῆ illic pro patritio accepit cum ingenuũ proculdubio ſignificet. Sic enim Theophilus lib. j. Inſtitut. & Cõſtantin. Harmenop. lib. j. tit.

3. L. 3. § vlt. D de præuaricator.

4. in L. lege Papia D. de ritu nupt.

5. lib. liii.

vlt. εὐγενῆ definiunt, ὁ ἁμὰ τῷ τεχθῆναι ἐλεύθερος ἐστὶ, id eſt, qui
ſtatim ac natus eſt, liber eſt. Itaque recta eſt hæc quæ ſequitur
illius loci interpretatio. *Iam vero quoniam maſculorũ ingenuorũ
numerus maior erat, quàm mulierum, poteſtatem fecit omnibus pro ar-
bitrio, Senatoribus exceptis, libertini generis vxores ducere, iuſtóſq; eſ-
ſe, qui inde ſuſciperẽtur, liberos cõſtituit.* In eundémque lapidem &
Zonaræ interpres impegit in eadem Auguſti conſtitutione
referenda. Nam Zonaras ipſamet Dionis verba in ſuos an-
nales tranſcripſit: nec diſſimilitudo vlla eſt in verbis, præter-
quam quod pro ἐξελευθέρας, ἀπελευθέρας, pro βουλευόντων, βου-
λευτῶν. Zonaræ codex habet, Hoc vero eſt, quod Marcellus
ſignificat, 6 *Obſeruandum eſſe*, inquiens, *vt inferioris gradus ho-* 6. L. obſeruã-
mines, equeſtris vt puta vel plebeij ordinis, vxores ducant eas, quas qui dum. D. de
altioris dignitatis ſunt, veluti Senatores, *ducere legibus propter di-* ritu nupt.
gnitatẽ prohibentur. Excipiebat autem lex, quaſdam perſonas,
quas ne inferioris quidem ordinis hominibus, dum modo in-
genuis, ducere permittebat. Veluti lænam, à lænone, lænáue
manumiſſam, vel eam quæ palàm quæſtum corpore faceret,
feciſſet. Item in adulterio deprehenſam, vel iudicio publico
damnatam, vel quæ artem ludicram exercuiſſet. Cuius exce-
ptionis, auctorem laudo locupletem, Vlpianum nimirum in
fragmentis titulorum ex eius corpore excerptorum, Tit. de
cœlibe, orbo, ſolitario. Atq; ad hoc legis Iuliæ de maritandis
ordinibus caput referenda eſſe cẽſeo, quæcũque de ingenuo-
rũ ſtatu ac cõditione ex Vlpiani libris ad L. Iul. & Pap. in Pã-
dectis tractata reperiuntur. Ingenuum námque habẽdum eũ
qui ingenuus pronũtiatus fuiſſet, licet natura & re vera inge-
nuus nõ eſſet, Vlpianus lib. j. ad L. Iul. tradiderat, vt ex inſcri-
ptione L. Ingenuus D. de ſtatu homin. liquet. Idque nimirũ
propter rei iudicatę auctoritatem, quę pro veritate habeatur.
Vnde & hauſta eſt illa iuris regula, quæ rem iudicatã pro ve- 7. Adoptionũ
ritate haberi definit. Cui tamen non in hac modo ſpecie, ſed §. 1. D. de in
& in omnibus cauſis in quibus de ſtatu, cõditione, qualitaté- ius voc. L. Si-
que perſonæ quæſtio vertitur, locus eſt. In his enim, vel maxi- ue contra D.
mè ſentẽtia ius facit. 7 Eodẽ libro Vlpianus in huius capitis, vt de lib. er. ad-
veriſimile eſt, interpretatione, ſcripſerat, 8 Si quis per colluſio gnoſc. L. Pa-
nem ingenuus eſſe pronuntiatus eſſet medio tempore, id eſt, pianus. §. ſi cum
ante colluſionem detectam, & poſt ſententiam de ingenui- cauſa. D. de inoff. te. 8. l4. D. de colluſio. deteg.

tate dictam, quaſi ingenuum accipi. Lænas autem, vt ſingula legis verba expendamus, Vlpianus ad edictum Prætoria. ſub titulo de his qui notantur infamia, dici ait [9] eas, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. Nec refert ſuo an alterius nomine id genus vitę exerceant. Ac nec illud intereſt, principaliter ne hoc negotium gerant, vel alterius negotij acceſſione vtātur. [1] Vt puta, ſi cauponam quis, vel ſtabulum exercens, mācipia quæſtuaria habeat occaſione miniſterij quæſtum corpore facientia, is lenonis loco habebitur. Lenones porrò, lænæque edicto Prætoris infamia notabantur. Proinde nec accuſandi publico iudicio ius habebant, [2] & vt viles, turpes, famoſæque perſonæ, in adulterio deprehenſi lenones, à maritis impunè occidi poterant. [3] Et meritò certè, ignominia huiuſmodi perſonas notandas veteres cenſuerunt quaſcum Terētio, [4] peſtē perniciémque cōmunem adoleſcentium, & cum Iuſtiniano [5] ὀλετῆρας καὶ κοινοὺς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης, vocare iure poſſumus. Quapropter ſilētio prætermitti Q. Metelli iudiciū non debet qui in Prætura vrbana, Vetibio lenoni bonorū poſſeſſionē ſecūdum tabulas denegauit: [6] ſeparandā fori ac lupanaris conditionem exiſtimās, iuriſque ac legum auxilio indignos cenſens eos, qui tantam ciuitati labem inferrent. Laudanda quoque Honorij & Theodoſij conſtitutio, qua lenones patres, dominóſue, quos neceſſitatem filiabus ancilliſue peccādi impoſuiſſe conſtiterit, non ſolùm poteſtatem, quam in eos habebant amittere, ſed & proſcriptionis, exiliique pœna plecti ſanciunt. [7] Denique nec ſatis vnquam pro merito Iuſtinianus laudabitur, qui genus hoc hominū vrbe regia pelli, eóſque qui illecebris pellectas puellas ad quęſtum alere comperti eſſent, acerbiſſimis pœnis ſubiici voluit. [8] Verum videamus quænam palàm quæſtum corpore facere ex legis Papiæ ſententia intelligerentur. Palàm Vlpiano interprete, [9] eſt coram pluribus: eique voci plerumque ſocia adiungitur vox apertè quarū altera, vt Aſconius Pædianus diſtinguit, ad publicum conſpectum, altera ad dictorum ſignificationem pertinet. Valer. Max. lib. vj. cap. j. Cum de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum diceret, quòd palàm atque apertè corpore quęſtum factitaſſet. Palam autem quęſtum feciſſe, nō ea tantum exiſtimatur, quæ ſe in lupanario, & vt Tertul. lo-

9. L. 4. §. ait Prætor D. de his qui notātur infam.

1. L. palam §. lenonem. D. de ritu nupt.

2. l. Qui iudicio. D. de accuſat.

3. l. Marito D. de adulte.

4. in Adel.

5. Nouella xiiij.

6. Valerius Max lib. vij. cap. vij.

7. L. vlt. C. de ſpectac. lib. xj.

8. Nouella. xiiij.

9. L. palam D. de verb. ſignific.

tul.loquitur, publicarum libidinum loco, proſtituit, verum etiam ii quæ in taberna vel caupona, aut alicubi aliàs pudori ſuo nõn parcit. 1 Cuiuſmodi fœminas olim propter infamiæ notam, turpitudinémque vitæ, teſtimonij dictio non erat, leg éque adeò Iulia de vi nominatim cauebatur, 2 vt ne ad teſtimonij fidem admitterentur. Cum ergo conſtet earum quæ corpore quæſtum fecerant nuptias infamiam afferre. l. 3. D. de infamib. nec nubere potuiſſe, tamẽ inter cætera Hiſpalæ illi Feceniæ libertæ & ſcorto nobili bacchanalium indici ſummi præmij loco gentis emptionem à ſenatu liberaliter indultã fuiſſe vtq; ingenuo nubere liceret narrat Liuius lib. 39.

1. D. l. palam. D. de ritu nupt.

2. l. 3. §. lege Iulia D. de teſtib.

Et quoniam hic ſe de impudicis mulieribus agendi locus offert, non alienum erit, quæ de re meretricia ex veteri memoria obſeruãdo notaui, in mediũ producere. Nec enim erit inutilis aut iniucũda hæc à propoſita oratione digreſſio. Primũ autem inuenio publicarũ libidinũ victimas, atque hoſtias, (3Sic enim Tertullianus nõ ſemel meretrices appellat) Romæ ſub fornicibus proſtare conſueuiſſe. Inde illud Horatij in ſermonibus 4 *Contra alius nullam, niſi olenti in fornice ſtantem:* qua periphraſi meretricem deſignat. Idem eodem loco.

3. in lib. de Cultu feminar. & in lib. de Spectacul.

4. li. 1. Sat. 2.

Quidam notus homo cum exiret fornice, macte
Virtute eſto, inquit, ſententia dia Catonis
Nam ſimul ac venas inflauit tetra libido
Huc iuuenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere vxores.

Ouidius Eleg. III. lib. II. de Ponto

Præſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet

Idem Eleg. x. lib. I. Amorum.

Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære
Et miſeras iuſſo corpore quærit opes:
Deuouet imperium tamen hæc lenonis auari.

Idem. lib. IV. Faſtor.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.

Idem. lib. I. Amor. Elegia XIII.

Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti
Oppoſita populum ſubmouet ante ſera.

Seneca in lib. de beata vita, *Voluptas, ait, humile, ſeruile, imbecil-*

d

lum, caducum, cui ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Arnobius lib. ij. aduerſus gentes. *Stant in lupanaribus promptæ, in fornicibus obiunctæ.* Plautus Bacchidibus, *Omnes fornices, luſtra & luſtrales cellulas quæ ſui ſedu ò.* Martialis lib. j. Epigram.

At meretrix abigit teſtes, veló que, ſeráque
Raráque ſumœni fornice rima patet.

Arbiter Petronius in Satyrico, *Tarde imò iã ſerò intellexi me in fornicẽ eſſe deductũ. execratus itaq; aniculæ inſidias operui caput, & per lupanar fugere cœpi in aliã partẽ.* Vbi obſerua fornicẽ lupanar, cellã. Iſidorus lib. x. Etymologiar. *Fornicatrix eſt, cuius corpus publicũ, ac vulgare eſt. Hæc ſub arcuatis proſtituebãtur, quæ loca fornices dicũtur vnde & fornicariæ.* Sed & in lexico Latinogręco, ſuburbicariç ædis B. Germani Pariſiẽſis ita ſcriptũ repperi πόρνη ἀπὸ χαμαίδρας ἐν ἧ ἵςανται: lupanaris vero vocabulũ vnde ductũ ſit Lactãtius lib. j. Diuinar. inſtit. cap. xx ſic exponit de Acca Laurẽtia agẽs, *fuit enim Fauſtuli vxor, & propter vulgati corporis vilitatẽ lupa inter paſtores, id eſt meretrix nũcupata eſt, vnde etiam lupanar dicitur.* B. Hieronym. in Chronic. Euſebij, *verũ paruulos propè ripã Tyberis expoſitos,* Fauſtulus *regij paſtor armenti ad Accam Laurentiã vxorem ſuam detulit, quæ propter pulchritudinem, & rapacitatẽ corporis quæſtuoſi, lupa à vicinis appellatur. Vnde ad noſtram vſque memoriã meretricum cellulæ, lupanaria dicuntur.* Idem & Iſidor. tradit lib. xviij. Etymològ. cap. xlij. Græci porrò οἴκημα vocant. Sic enim Dio lib. lix. Meſſalinæ libidinem narrans loquitur. ἤδη γὰρ καὶ ἐπ' οἰκήματος, ἐν τῷ παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθέζετο καὶ ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν. Inuenitur & hoc verbum apud Xiphilinum in Heliogabalo. καὶ τέλος, ait, ἐν τῷ Παλατίῳ οἴκημά τι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε: vbi interpres οἴκημα, cubiculum nõ ſatis aptè vertit cum cellam vel lupanar, commodiùs reddere potuiſſet. Suidas, οἴκημα καὶ τὰ χαμαιτυπεῖα. Heſichius οἴκημα τὸ δεσμωτήριον, Ἀττικοὶ δὲ τὸ πορνεῖον. Ex illo autem Martialis à me ſupra prolato verſu ſubmœnianis & proiectis abditas fuiſſe meretricum cellas, colligere eſt: qua ratione idem auctor ſcorta, ſubmœnianas vxores, lib. xij. Epigr. vocat.

Et plena, inquiens, *turpi matris olla reſina*
Submœnianæ qua pilantur vxores.

Vnde etiam explicantur ſequentes cuiuſdam poetæ verſus qui lib. xj. Epig. leguntur.

Submœnianis inquinatior buccis.
Quem cum feneſtra vidit à ſuburana,
Obſcœna nondum læna fornicem clauſit.

Ex quo etiam liquet, in ſubura, quæ in ſecunda vrbis regione ſita erat, meretricum manſionem fuiſſe, quod verſus hi Priapeorum ſignificant.

Nota ſuburanas inter Theleuſa puellas
Quæ puto de quæſtu libera facta ſuo eſt.

Et hinc fortaſſe eſt, quod in deſcriptione vrbis Romę in eadē cū Subura regione lupariæ tam a Pub. Victore, quā à Sexto Ruffo ponuntur. Sed extra vrbis mœnia quædā proſtabāt meretrices, quas extramuranas idcirco Lampridius in Heliogabalo vocat. Quin & in theatris & vrbis locis meretrices cōſtitiſſe non dubiū eſt. Idem Lāpridius in Heliogabalo, *Fertur vna die ad omnes Circi Theatri, & āphitheatri, & omniū vrbis locorū meretrices, tectus Cucullione mulionico, ne adgnoſceretur, ingreſſus.* Idē aliàs, *omnes de circo, de theatro, de ſtadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas.* Iſidor. lib. xviij. Etymolog. cap. xlij. *Idem verò theatrū idem & proſtibulū, eo quod poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur.* Ex quibus ſatis, abundéque probatū arbitror in fornicibus & ſubmœnianis meretricū cellulas poſitas, ſtructáſq; fuiſſe: quas quòd & humi depreſſæ eſſent, & exiguum lumē admitterēt, obſcuras eſſe: fuliginiſque plenas plerumq; contingebat. Qua de cauſa Seneca in libris controuerſiar. fornicis fuliginem dixit. Auctor quoque Priapeorū.

Quilibet huc licebit intret
Nigra fornicis oblitus fauilla.

Indéque Horatius *olentem fornicem* dixit lib. j. Satyr. ij. vt & Prudentius lib. ij. contra Symmachum *ſpurcam redolente fornice cellam.* Certa verò meretrici cuique cellula cōſtituebatur, propriúſque ei titulus inſcribebatur, quo & proſtitutæ nomē & quantū vno cōcubitu mereret, deſignabatur: quò facilius in eam quiſq; incideret ad quam animum appuliſſet, pretiūque concubitus à ſe pendēdum ſciret. Seneca lib. ij. cōtrouerſiarū. *Deducta es in lupanar, accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt, inſcriptus eſt titulus, hactenus in te inquiri poteſt. Ceterùm neſcio quid cellulam & obſcœnū lectulū vocas.* Et paulò poſt. *Meretrix vocata es, in cōmuni loco ſteteſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus, venientes*

receptiſti. Et aliàs: *Steriſti cum meretricibus, ſteriſti ſic ornata, vt populo placere poſſes, cum veſte quam leno dederat: nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti.* Inde Martialis inſcriptam cellam pro lupanario dixit.

Intraſti, ait, quoties inſcriptæ limina cellæ.
Et puer arriſit ſiue puella tibi.

5. Sat. vi. Hoc ipſum Iuuenalis apertè expreſſit Meſſalinā exagitans, Claudij Imperatoris vxorem libidinis prodigioſiſſimæ fœminam, cuius explendę cauſa toro coniugali relicto, meretricis habitu plerumque in lupanar noctu deſcendebat, venientéſque nomine inſignioris fornicarię ſibi accomodato, vſque ad ſatietatem admittebat.

Reſpice, inquit, riuales diuorum, Claudius audi
Quæ tulerit, dormire virum cum ſenſerat vxor,
Auſa Palatino tegetem præferre cubili
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos
Linquebat comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abſcondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ,
Oſtendítque tuum generoſe Britanice ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit,
Mox lenone ſuas iam dimittente puellas
Triſtis abit, ſed quod potuit, tamen vltima cellam
Clauſit adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ,
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit,
Obſcuriſque genis turpis, fumóque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

Atque hinc intelligimus quid ſibi velit ſellariorum nomen apud Suet. in Tiberio & Caligula. Quòd autem ſuperiores auctores titulum, Tertullianus elogium appellat in lib. de ſpectaculis. *Ipſa etiam*, ait, *proſtibula publicæ libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur, pérque omnis ætatis, omnis cognationis ora tranſducuntur, locus, ſtipes, elogium etiam quibus opus non eſt prædicantur.* Vtitur tamen ille auctor tituli verbo in eandem ſententiam in lib. de pudicitia. *Et vbi, ait, proponetur liberalitas iſta? Ibidem opinor in ipſis libidinum ianuis, ſub ipſis libidi-*

num titulis, illic huiuſmodi pœnitentia promulganda eſt. Inter meretricem plane & proſtibulum hanc veteres differentiã poſuiſſe Nonius Marcell. notat, quòd meretrices copiam ſui tãtummodo noctu facerent: proſtibula verò ante ſtabulum ſtarent, quæſtus diurni & nocturni cauſa, & ad hanc comprobãdam differentiam Plauti Ciſtellaria locum producit, eadémque ratione proſedas appellatas ab eodem Plauto meretrices, quæ ante ſtabula ſederent Sext. Pomp. lib. xiiij. docet: locus verò Plauti de quo ſentit ex Pœnulo Act. j. Sc. ij. petendus eſt. quorum locorum auctoritate adductus credo apud Petronium Atbitr. verbum hoc corruptũ eſſe: nam in Satyrico ſcriptum veteres libri habent, *iam pro ſella meretrix aſſem exegerat*, cum meo quidem iudicio, ſcribendum ſit, *iã proſeda meretrix*. Cum verò, ait Iuuenalis, *tunc nuda papillis conſtitit auratu*, morem meretricum ſignat, quas nudas proſtare cõſueuiſſe didici ex Xyphil. in Heliogabalo. ἐν τῷ παλατίῳ, inquit ille, οἴκημα τι ἀποδείξας ἐν ταῦθα ἠσέλγαινε. γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς ὥσπερ αἱ πόρναι. Petronius Arbiter in Satyrico *Cum ego negarem me cognoſcere domum, video quoſdam interniculos nudáſque meretrices furtim ſpatiãtes.* Enimuero apud Aediles flagitiũ profiteri, ſuúmque nomen edere meretrix cogebatur. Vnde loca Ædilem metuentia vocat Seneca eleganter, id eſt, fornices & popinas. Cornel. Tacit. lib. ij. *Nam Viſtilia Pretoria familia genita licentiam ſtupri apud Aediles vulgauerat, more inter veteres recepto qui ſatu pœnarum aduerſus impudicas, in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Cui quidem profeſsioni conſequens erat, vt iure cederet & dignitate matronali, vt liquet ex Suet. in Tiberio cap. 35. atque etiam ornamentis, cenſereturq; inter togatos, liquet ex Tertull. de cultu fœmin cap. 5. Videntur autem eæ poſuiſſe inſtitam, ſtolam, vittas imo ſumpſiſſe etiam meretriciam togam ex Iuuenale,

--Carfinia talem
Non ſumet damnata togam.--

Nam de matrona aliqua ſentire videtur, cui ex more ſumenda erat toga. qui quidem ab Athenienſibus manaſſe videri poſsit, apud quos ſcorta pariter veſte erãt à matronis diſcreta idque ex lege, vt ait Suidas, & Artemidorus docet lib. 2. cap. 3. lecticas etiã poſuerũt meretrices vtiq; poſt Domitiani

edictum. Sed & meretricum erant ab honeſtarum matronarum cultu, atque ornatu diſtincta veſtimenta: Quemadmodum in noſtris ſelectar. ex iure ciuili antiquitatum commentariis fuſiſſimè comprobauimus. Nec in ſtolæ modò, & pallæ vſu, ſed & in crinium colore differentia ea cernebatur. Siquidem, vt Seruius in iiii. Aeneidos notat, matronis nigra coma, meretricibus flaua probabatur: quod ex eo Iuuenalis, quem modo rettuli loco confirmatur.

Et nigrum, ait, *flauo crinem abſcondente galero.*

Valerius lib. ij. de matribus familias agens, *Indulgentibus namque maritis & auro abundante & multa purpura vſæ ſunt, quò formā ſuam cōcinniorem efficerent, ſumma cum diligentia capillos cinere rutilarunt.* Ceterùm meretricum quæſtum vectigali obnoxiū eſſe Caligula voluit, tributúq; illud primus iuſtituit, cuius ad hæc vſque tempora exēplum manere dicitur. Sic enim Tran-

6. cap. xl. quillus in eius vita ſcribit [6] *Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octaua, ex capturis proſtibularū quantū quæque vno concubitu mereret, additúmque ad caput legis, vt publico tenerentur quæ meretriciū quæue lenociniū feciſſent.* Meminit eius & Lampridius in Alexādro *Lenonū, ait, vectigal & meretricū & exoletorum in ſacrū ærariū inferri vetuit, ſed ſūptibus publicis ad inſtaurationē Theatri, Circi, Amphitheatri & ærarii deputauit.* Cui nō abſimile tributum in vrbe quoq; Cōſtantinopolitana pendi & exigi cōſueuerat, χρυσάργυρον id appellatur. Quod tandem ab Anaſtaſio ſublatum

7. Zonar. Tomo 3. Annal. in Anaſtaſ. Niceph. hiſt. Eccleſ. lib. xvi. cap. xl. eſt, [7] qui omnes eius tabulas magno ſtudio conquiſitas flāmis aboleri curauit, vt eius inſtaurandi reuocandique facultatem poſteris præcideret. Porro meretrices, vt plurimum ſeruilis, aut certè libertinę cōditionis erāt. Plautus Ciſtell. Act. j. ſc. j.

Eunt depreſſum, quia nos ſumus libertinæ.

Et ego & mater tua ambæ meretrices fuimus.

Liuius lib. xxxix. *Scortum nobile libertina hyſpala fecenia nō digna quæſtu cui ancillula adſueverat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodē ſe genere tuebatur.* Lāprid. in Heliogabalo. *Meretrices à cūctis lenonibus redemit ſæpe & manumiſit.* Ac plane S. C. Tiberij tēporib⁹ facto quæſtū corpore facere ex mulieres vetitæ sūt, quarum auus parer maritúſue equo publico meruiſſet. Tacitus lib. ii. *Eodem anno grauibus decretis libido fœminarum coercita eſt, cautúmque ne corpore quæſtum faceret cui auus aut pater aut mari-*

tus eques Romanus fuiſſet. Sed hæc fuerit, vt ait Thucydides ἐκβολὴ λόγου nõ inutilis. Vt igitur ad legis interpretationẽ redeã, ſiue in ſũmœniana cella & fornice, mulier corpus ſuũ vulgauerit, ſiue alibi, vt cũ Imperatoribus loquar, venalẽ 8 formã exhibuerit, & proſtitutã meretricio more vulgò ſe præbuerit lege Iulia notatur. Palã enim hic accepimus paſſim & ſine delectu. Nec intereſt pecunia accepta an ſiue quæſtu palã ſe proſtituerit. Quæ verò cũ vno aut itẽ altero licet pecunia accepta ſe cõmiſcuit in eadẽ cauſa nõ eſt. Nec verò ea tantũ quæ palã quæſtũ corpore facit, ſed & quæ aliquãdo fecit licet facere deſierit, ab ingenuorũ nuptiis repellitur. Nõ enim contracta ex anteactæ vitæ turpitudine macula, pœnitẽtia aboletur. Addit Vlpian⁹, hui⁹ loci interpretatione perſequẽs, ei nõ ignoſci quę obtẽtu paupertatis, quaſi egeſtate coacta, turpiſſimã vitã elegit, ſimilis Chryſidi illi Terẽtianę quę ſe inhoneſtè optauit parare diuitias, quam in patria honeſtè pauper viuere.

8. inl. ſi ea C. eod L. Iul. de adult.

Prohibebantur præterea ingenui in adulterio deprehenſas ducere. Nec exigebat lex, vt damnatæ eſſent. Igitur & ſi poſt deprehenſionem abſolutæ eſſent, adhuc tamen illis nota ex ipſa deprehenſione, quam ſolam lex ſpectabat, contracta oberat. 9 Enimuerò nec pœnæ, nec infamiæ qua crimen adulterii plectitur mulier non accuſata, nec damnata ſubiicitur, 1 etſi nuptiis eius, ſi deprehenſa eſt, abſtinere ingenuos lex Iulia de maritandis ordinibus præciperet. Non diſtinguimus hîc, vt in L. Iulia de adulteriis, à quo, vel vbi deprehẽſa ſit. Proinde ſiue maritus, ſiue quis alius deprehẽdiſſe proponatur, & ſiue in domo patris, vel mariti, ſiue alibi vſquam deprehẽſa ſit, erit notata ſecũdũ verba legis. At quæ hęc ita de ea quæ ſpõte peccarit accipienda ſũt. Vim paſſã enim integrę exiſtimationis eſſe, nec nuptias eius aliis interdici, marito placuit.2

9. L. palam. §. quæ in adulterio. D. de ritu nupt.
1. l. etſi. C. ad L. Iul. de adult.
2. l. fœdiſſimũ. C. ad L. Iul de adult.
3. L. Mariti §. 1. D. ad L. Iul. de adul. L. Caſtitati C. eo. tit. L. auxilium. D de minoribus

Damnatã porro ex cauſa veri adulterii cõmiſſi ducere vxorẽ etiã lex Iulia de adulteriis vetabat. Quinimo factũ hoc pro adulterio vĩdicabat.3 Ob aliã verò cauſã lege Iulia dãnata veluti quòd domũ prębuiſſet, pretiũue pro cõperto ſtupro acce piſſet, impunè ducebatur: 4 quãquã Senatuſcõſulto poſtea eę nuptię Senatorib⁹ interdictę videãtur. 5 Marit⁹ planè reã

4. d. L. Mariti §. 1.
5. d L. palã. §. ſenatus. D de ritu nupt.

adulterii à ſe iure mariti vel extranei poſtulatam, poſt abolitionem denuo vxorem ducere, & quidẽ citra legis Iuliæ pœnam potuit.6 Is enim in eam legem committit, qui vel publico iudicio damnatam in matrimonio habet, vel adulteram ſciens, vt ignorantiam ſimulare nõ poſsit, retinet vxorem 7 Ab extraneo verò adulterii rea, nec ante damnationem vxor duci poteſt.8 Benè itaque Papinianus, cùm Mæuius in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Semproniam nõ damnatam vxorem duxiſſe proponeretur, eique moriens hereditatem reliquiſſet, reſpondit,9 neque tale matrimonium ſtare, neque hereditatis lucrum ad mulierẽ, ſed ad fiſcum pertinere. Similitérque ſi talis mulier virum hæredẽ inſtituiſſet, ab eo quaſi ab indigno hæreditatem auferri.

6. L. generali. § reum D. de nupt.
7. L. ſiue etiam. C. ad L. Iul. de adult.
8. L. reus. D. de ritu nupt.
9. L. Claudius D. de his quæ vt indign.

Verumenimuero quando in legis Iulię & Papiæ explicationẽ ingreſsi ſum⁹, è re eſt reliqua eius capita ad rẽ vxoriã pertinẽtia perſequi. Inuenio autẽ legib⁹ illis (quod tãdẽ à Iuſtiniano abrogatũ eſt) eas nuptias, quas vir ſexagenari⁹ cum vxore quinquagenaria contraheret, fuiſſe improbatas.1 Vnde ſcitè Lactãti⁹ lib. j. de falſa religio. cap. xvj. ex Senecæ libris moralibus. *Verum, ait, ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum?* Ac planè Apuleio inter cætera criminis loco obiectum ab aduerſariis legi nus, quòd ſexaginta annos natam fœminam duxiſſet: idque factum accuratiſsimè ille Apolog. pro ſe ipſo ſecunda, diluit ac purgat. Improbabat autẽ lex eiuſmodi nuptias tanquam liberorũ quærendorũ cauſa minimè cõtractas, veróque coniugii fructu ac fine deſtitutas. Hoc enim in illis legibus condendis agebat Auguſtus, vt exhauſtã bellis ciuilibus ciuitatem ſobole repleret: Sexagenarius autem vt generandi, ita quinquagenaria pariendi impotẽs eſſe vulgò exiſtimatur.2 Ariſtoteles quidem certè in Politicis; finẽ gignendi vt plurimũ viris ſeptuageſimum annũ adferre, mulieribus verò quinquageſimum ſcribit. Itaque Dionyſius Halicarnaſſeus lib. iiii. eorum ſententiam refellens, qui Luciũ & Aruntem Tarquinios Tarquinii Priſci fuiſſe filios, non nepotes credunt, id admitti non poſſe, argumẽto eiuſmodi docet. γυνὴ δὲ πέντε ἔτεσιν ἦν αὐτῷ νεωτέρα, καθάπερ εἰκός, ἑβδομηκοστὸν ἂν ἤδη που καὶ πέμπτον εἶχεν ἔτος ὅτ' ἐπεδήμησε Ταρκύνιος, ᾧ δὴ τ νεώτεροι τῶν υἱῶν

1. L. penult. D. de nupt.
2. L. ſi ſterilis. D. de actio empt. L. Si maior. de legit. hæred. C.
3. L. lib. vii. cap. xvi.

ὑῶν ἔσχατον ἐκύησεν ἔτος ἔχουσα πεντηκοστόν. πρεσβυτέρα γὰρ οὐκ ἔτι κυΐσκεται τούτου τοῦ χρόνου γυνὴ, ἀλλ᾽ ἔστιν αὐταῖς τῶν ἀδίνων ὅρος ὡς οἱ ταῦτ᾽ ἐξητακότες γεγράφασιν. Sed & idem Ariſtoteles 4 in libro deNatura Animaliũ, rarò contingere vt ad ſeptuageſimum vſque annum vir generet: frequentiùs verò quinto & ſexageſimo anno generandi vires conſumi tradit. Ideóque Dionyſius Halicarnaſſ. paulo poſt quem nunc citaui locum ἀώρος δὲ γίγνεται πάλιν ὁ γάμος τοῦ Ταρκυνίου μικρὸν ἀπολείποντος ἐτῶν ὀγδοήκοντα. καὶ ἡ τῶν τέκνων γένεσις τοῖς ταύτην ἔχουσι τὴν ἡλικίαν ἄπιστος. Quapropter apud Plautum Mercatore, 5 has Eutychus ſenibus ſexagenariis quaſi à re venerea iam per ætatẽ excluſis ac ſubmotis leges dicit.

4. lib. 5.

5. Scena vltim.

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus
Seu maritum, ſiue hercle adeò cœlibem ſcortarier
Cum eo nos hîc lege agemus.

Similiter Mitio apud Terentium Adelphis, Demeæ ſuadẽti vt vxorem duceret.

Satin' ait, ſanus es?
Ego nouus maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam?

Mulierem verò poſt quinquageſimum annum non parere Plinius abſolutè definit, 6 maiorémque partem quadrageſimo profluuium genitale ſiſtere Solinus quoque poſt annum quinquageſimum omnium mulierum fœcunditatem cõquieſcere in Polihyſtore tradit. Ac planè quib⁹ ceuor menſtruis interuallis fluere deſtitit, eas iam concipere non poſſe ab auctoribus medicinæ cõſtãter adfirmari B. Auguſtinus auctor eſt. 7 Subiicit verò Plinius Maſiniſſam regem poſt octoginta ſex annos filium generauiſſe qui Methymnus appellatus ſit. Cui & Valerius Maximus 8 & Florus 9 & Solinus conſentiũt. quod de eo minùs mirum videtur, quem vel ante omnes homines robore ſenectæ admirabilem fuiſſe, literarum monumentis proditum eſt. Qui quemadmodum Cicero refert in libro quem de ſenectute ſcribit vel nonaginta annos natus, nullo vnquam imbri, nullo frigore, vt capite operto eſſet adduci potuerit, & pedibus iter ingreſſus, in equũ omnino non aſcenderit. Sed & Catonem Cẽſorium idem Plinius 1 cũ Solino octogeſimo exacto anno filium è Salonii clientis ſui filia

6. lib. vii. Natur. hiſto. ca. xiiii.

7. lib. 1. contra Iulian. Pelag.

8 lib. viii. cap.

9. in epitome Liuu li. 14.

1. lib. 7. ca. 13.

auum Catonis Vticenſis procreaſſe ſcribit. Vnde Plutarchus in eius vita nuptias eum contraxiſſe οὐ καθ' ἡλικίαν, ait: Beatus quoque Auguſtinus ſuis tēporibus ſenem octoginta & quatuor agentem annos ad libidinem ſibi Lyriſtriam emiſſe refert.2 Verùm ea leges quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, ſpectant, nō quæ ἐκ παραλόγου. Et ideo alienam à nuptiis contrahendis ſuperius memoratam ætatem, velut liberorum ſuſcipiendorū ſpe deſtitutam præmiis adficiendam non exiſtimarunt. Atq; hic ſuccurrit quod de Auguſto Valerius Max. narrat,3 aditū eū à Trachallis teſtamēto Septitiæ matris præteritis, quæ iis irata, iā patiēdi impotēs ſeni admodum nupſerat, tàm ſupremum eius iudicium, quàm nuptias improbaſſe. Nam hereditatem maternam filios habere iuſſit, dotémque, quia nō procreandorum liberorum cauſa coniugiū interceſſerat, ad virum pertinere noluit. Eleganter itaque Dionyſius matri iā effœtæ nuptias iuuenis appetenti, ciuitatis quidē leges à Tyranno abrogari violaríque poſſe, naturæ verò præceptis vim adferri, nuptiarū in ætate minimè ad eā rem idonea cōciliādarū cauſa nō poſſe, reſpōdit. Qua de re, verba Putarchi in Solone ſubiicere, operæpretium fuerit. ὁ μὲν γὰρ, ait Διονύσιος ἀξιούσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ δοθῆναί τινι τῶν πολιτῶν πρὸς γάμον, ἔφη τοὺς μὲν τῆς πόλεως νόμους λελυκέναι τύραννον, τοὺς δὲ τῆς φύσεως οὐκ εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι, γάμους νυμφαγωγῶν παρ' ἡλικίαν. Quo loci in eiuſmodi intempeſtiuas imparéſque nuptias ita inuehitur. Ἐν ταῖς πόλεσι τὴν ἀταξίαν ταύτην οὐ δοτέον, οὐδὲ περιοπτέον ἀώρους καὶ ἀχαρίτους ἐπιπλοκὰς καὶ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἐχούσας· μηδὲ τέλος. Ἀλλὰ γέροντι νέαν αγαμένῳ φαίη τις ἂν ἐμμελὴς ἄρχων ἢ νομοθέτης, τὸ πρὸς τὸν Φιλοκτήτην. Εὖ γ' οὖν ὡς γαμεῖν ἔχεις τάλας. Καὶ νέον ἐν δωματίῳ πλουσίας πρεσβύτιδος ὥσπερ οἱ πέρδικες ἀπὸ συνουσίας παχυνόμενοι ἐξανευρὼν, μετοικήσει πρὸς παρθένον νύμφην ἀνδρὸς δεομένην. Enimuero, huic de quo agimus legis capiti, Claudiū Cęſarē obrogaſſe legimus, cū comperiſſet etiam ſexaginta annos natis aut eò, amplius generādi vires ineſſe. Sic enim Suetoni[9] in eius vita.3 *Capiti Papiæ Popeæ legis à Tiberio Cæſare quaſi ſexagenarii generare nō poſſent edicto obrogauit.* Obrogari enim dicitur, cū prior lex alia lege lata poſtea aliqua ex parte commutatur. Quod circa Papiam legem Senatuſconſulto Claudiano factū eſſe, ex Vlpiani fragmentis liquet, in quib[9] ita eſt,

2. lib iii. contra Iulian. Pelag.

3. lib. vii. cap vii.

3. ca. xxiii.

Tit. xvi.

Sed Claudiano Senatuſconſulto maior ſexagenario ſi minorem quin-
quagenaria duxerit, perinde habebūtur, ac ſi minor lx. annorū duxiſ-
ſet vxorē. Quod ſi maior quinquagenaria minori ſexagenario nupſiſſet
impar matrimonium appellabatur, nec ad capiendas hereditates vel le-
gatas dotes proficiebat. Planè poſtquā cōiuges, ſupra ſexageſimū
maſculi, ſupra quinquageſimū fœminæ, in matrimonio per-
ſtiterāt, ſolidūm interſe capere, perinde ac ſi liberos ſuſcepiſ-
ſent, eodē Vlpiano teſte poterāt: cùm imputari eis nihil poſ-
ſet, quorum coniunctio ad ætatem à prolis generatione alie-
nā perueniſſet. Et hoc Beatus Auguſtinus ſignificat cum ait,
4 *Pro modo nunc temporis quo lōgè breuiore ſpatio viuunt homines in-*
tra centū annos amborū generare poſſe dicuntur. Si verò in ſummā du- 4 Lib iii contra Iul. Pelag.
cti amborū anni centenariū numerū exceſſerint, ſic aſſeuerantur non
poſſe filios procreare. etiā ſi fœcunda ſit mulier & fluctibus adhuc mu-
liebribus poſſit ex iuuene, vt iure etiā fuerit cōſtitutū, nequaquā ius li-
berorum habere, niſi cùm amborum anni computati & ſimul addu-
cti centenos tranſiſſe docerentur. Sic enim locum emendo, fretus
Vlpiani auctoritate, qui tum inter ſe cōiuges ſolidum cepiſſe
ſcribit, cum lege Papia finitos annos exceſſiſſent, id eſt vir an-
nos ſexaginta, vxor quinquaginta. Ius enim liberorum, cuius
Auguſtinus meminit, ad ſolidi capionē, de qua apud Vlpia-
num agitur, pertinet. His & alius ad rem faciens eiuſdem Au-
guſtini locus adiungendus eſt, ex lib. j. Quæſtio. in Geneſin
in quo ita eſt. *Sic enim medici tradunt, quoniam cuius corpus viri*
ſecūdum hoc iā defecit, vt cū femina prouectioris ætatis, quamuis mē-
ſtrua adhuc patiatur, generare non poſſit, de iuuencula poteſt. Et rurſus
mulier quæ iā prouectæ ætatis eſt, quamuis adhuc menſtrua fluant, vt de
ſeniore parere non poſſit, de iuniore poteſt. Alio præterea, quemad-
modū Vlpianus auctor eſt, 5 legis Iuliæ de maritādis ordini-
bus capite, tutor à Prætore vrbano ei mulieri virginive quā 5. Tit. de Tutel.
ex ea lege nubere oportebat, dari iubebatur ad dotē dādam,
dicēdā promittēdāue, ſi legitimū tutorē pupilla nō habebat.
Eóque pertinet, quod idē aliâs 6 ſcribit, nō tātum ad dotem 6. L. Nō tātum. D. de tutor. & curat. dat.
dandam nupturæ curatorem dari oportere, verum etiam ei
quæ iam nupta eſt. Vt enim Martianus Capella lib. ix. de nup-
tiis Philologi ſcribit, etiam matrimonio copulato dotem da-
re viro fœmina nullis legib⁹ prohibetur, & Paulus lib. ij Sētē-
tiar. 7 *Dos*, ait, *aut antecedit aut ſequitur matrimoniū. Et ideo velāte* 7. Tit. xxi.

nuptias vel poſt dari poteſt. Sed & ad dotē augendam & mutā-dæ quoque dotis gratia curator dari poteſt. Plane in nuptiis contrahendis tutoris curatoriſue cōſenſus non exigitur, cóque ſpreto pupilla pro arbitrio ſuo rectè nubit. Et ita Verus & Antonin. reſcripſerunt.[8] in hæc verba. *Ad officium curatoris adminiſtratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem arbitrio ſuo poteſt.* Verum ei ad dotem conſtituendam tutor ex lege Iulia dabatur. Quòd ſi curator generalis, vel dotis dandæ cauſa conſtitutus, amplius doti promiſiſſet, quàm facultates mulieris ferrent, ipſo iure eam promiſſionem non valere, Terentius Clemens lib. iiij. ad legem Iuliam & Pap. ſcribit,[9] quia lege rata nō habeatur auctoritas dolo malo facta. Qui locus perſpicuè indicat lege Iulia id fuiſſe comprehenſum. Nec tamen tota obligatio, ſed tātūmodo quod ſuperfluū eſt, & amplius promiſſu quam promitti oportuerit, infirmabitur. Inutilis enim adiectio vtilem dotis cōſtitutionē vitiare nō debet. Quéadmodū & immodica donatio non omnino, ſed quatenus dūtaxat legis modum excedit, reuocatur.[1] Poteſt verò mulier omnia bona ſua in dotē dare: nec vlla lege hoc prohibitū reperitur:[2] Sed ſi in eo capta circumuentáque eſt, quod ampliorem grandiorémque, quàm natalium ſplendor & viti dignitas poſtularet, dotem dederit, reſtitutionis auxiliū probè implorabit.[3] Cæterùm ſeparabat lex dationem dotis, dictionē, & promiſsionem. Dictionem quidem ita Caius in inſtitutio. fragment. explicat.[4] *Sunt & aliæ obligationes quæ nulla præcedente interrogatione cōtrahi poſſunt, id eſt, vt ſi mulier ſiue ſponſo ſiue iā marito vxor futura dotē dicat, quod tā de mobilibus rebus, quā de fūdis fieri poteſt. Et non ſolū in hac obligatione ipſa mulier obligabitur, ſed & pater eius & debitor ipſius mulieris ſi pecuniam quam debebat, marito in dotē dixerit: Quæ tātū tres perſonæ nulla præcedēte interrogatione poſſunt dictione dotis legitimè obligari.* Sed ad alia pergam*. Lege etiā Iulia de maritādis ordinib' iuſiurādū, Paulo teſte,[5] remittebatur quod liberto in hoc impoſitū erat ne vxorē ducere t, libertæ, ne nuberet, ſi modò nuptias cōtrahere rectè vellēt. Eodémque legis capite triceſimo quinto qui liberos, quos in poteſtate habebāt, iniuria prohibebāt vxores ducere vel nubere, per magiſtratū cogebātur.[6] Fuiſſe quoque hęc fere verba eadem lege cōprehenſa, nō temerè adfirmare poſſe

8. L. *ſciendū* D. *de ritu nupt.*

9. L. *Sine generalis* D. *de iure dot.*

1. L. *vt mihi* D. *de donationibus* L. *Sancimus in prin* & §. *Si autem* C. *od eo tit.*

2. L. *Nulla* Cod. *de iure dot.* L. *mulier* D. *eodē* C. *tit.*

3. L. *Si ex cauſa.* § 1. D. *de min.* L. *vn.* C. *ſi aduerſus dotem.*

4. *lib. ii. ca. ix.*

5. L. *Adigere.* §. *vltim.* D. *de iure patro.*

6 L. *capite* D. *ritu nupt.*

mihi videor. *Diuortii faciendi poteſtas libertæ quæ patrono nupſit, inuito patrono ne eſto: Sed quandiu patronus eam vxorem eſſe volet & vxor eſſe velle debebit.* Quæ verbà, ex duobus Vlpiani locis, 7 ex libro iij. ad Iul. & Pap. ſumptis perſpicuè eliciuntur. Idē etiam aliàs. 8 *Si liberta*, ait, *ab inuito patrono diuertit lex Iulia de maritandis ordinibus, retinet iſtam in matrimonio dum prohibet alij nubere inuito patrono.* Indéque etiam reſcriptum Alexandri interpretandum eſt quod ita habet. 9 *Libertæ tuæ ducendo eam vxorem, dignitatem auxiſti, & ideo non eſt cogenda operas tibi præſtare, cum potius legis beneficio contentus eſſe, quòd inuito te alij non poſſit iuſte nubere.* patronum autem in hac lege accipimus, eum qui ex ſeruitute ſponte manumiſit, vel filium eius: Sed an is qui ex cauſa fidei commiſſi manumiſit, hoc idem ius habeat, quæri poteſt. Hic enim pro patrono habetur, quamquam plurimum ab eo qui nulla neceſſitate cogente gratuitam præſtitit libertatem, differt. Nec enim magnam ei gratiam libertus debet, qui vel nolente eo ad libertatem rapitur. Ideóque operas ei imponere, vt eſt ab Adriano reſcriptum, in ipſa manumiſſione non poteſt, 1 niſi teſtatoris filius eiuſmodi fidei cōmiſſo à patre ea mente vt plenum ius patroni haberet grauatus ſit. 2 In tantum vt nec ſi manumitti eum ita teſtator vt operas heredi extraneo promitteret, voluerit, non cogatur manumiſſus promittere: ſed & ſi promiſerit, in eum actio nō dabitur, quod iuri publico derogare non potuerit, qui fidei commiſſariam libertatem dedit. 3 Et tamen eos quibus ſupremis iudiciis libertas per fidei commiſſum relinquitur, eorum libertos effici à quibus manumittuntur, negari non poteſt. 4 Sed non per omnia in eos patronorum iura ſibi manumiſſores vindicant. 5 Nam honorem quidem & reuerentiam patronis debitam ab iis exigere poſſunt, 6 & in ius ſine venia eos vocare non conceditur, 7 & ad impuberum libertorum legitimam tutelam vtpote manumiſſores vocantur, 8 & tàm contra tabulas quàm ab inteſtato ad libertorum bona veniunt 9 quaſi patroni. Ceterùm nec operas imponendi, vt dixi, nec ingratos libertos accuſandi ius habent, 1 nec alimenta eis præſtare liberti coguntur. 2 Magis eſt itaque, vt nec legis huius beneficium habeant, qui neceſſitate coacti manumiſerint. Idque ita conſtitutum fuiſſe Marcellus lib. iij. ad L. Iul. & Pap.

7. In eo iure D. de rit. nupt. L. vlt. D. de diuort.
8. L. vn. D. vnde vir. & vx.
9. 1 Liberta. C. de op. libert.
1. L. vt iuſiurand. §. reſcript. D. de op. liber. L. Mater. C. eodem tit.
2. L. qui ex cauſa. D. de bon. libert.
3. L. Cerdonem. D. de oper. libert.
4. L. Hi quibus. C. de deſicom. lib.
5. L. Nequaquam. D. de excuſ. tut.
6. L. Mater C. de op. lib.
7. Is quoque D. de in ius voc. & d. L. Nequaquam.
8. L. 3. D. de leg. tutor.
9. L. qui ex cauſa. D. de bon. lib. L. 1. C. de bon. poſſ. cont tab.
1. L. 1. C. de libert. & eorum liber.
2. L. Si quis à liberis. § ſi quis à libertis. D de lib. agn.

ſcribit:[3] Cui & Modeſtinus aſſentitur,[4] & meritò, cum magis debitam libertatem præſtitiſſe quàm vllum beneficium in mulierem contuliſſe videantur. Diuerſa longè eius qui hac lege emit vt manumittat, cauſa eſt. Hic enim ſi manumiſerit, vt patronus, hoc ius habebit,[5] propterea quod ſponte ſua hác legem ſubiit, quam ei ab initio recuſare integrum erat. Quãbrem & ali hic à liberto, ſi egeſtas premat, debet, & in ius vocari ſine venia non poteſt, & omnia omnino legitimorum patronorum iura nanciſcitur.[6] Sed an idem ſeruabimus ſi ceſſante eo, ex conſtitutione D. Marci ſeruus ad libertatẽ ereptus ſit? Non enim vindictam impoſuit. Propiùs eſt tamen & hunc quoq; lege cõtineri: quippe qui patronus exiſtimetur[7] cum poteſtas legis factum manumiſſoris suppleuerit, non etiam patronatus commoda ademerit.[8] Planè qui ancillam ſuis nummis emit, pro patrono in hoc iure non habetur,[9] ſicut nec libertum vt ingratum accuſare, nec operas ab eo exigere, nec alimenta deſiderare, nec ad bona eius contra tabulas admitti iure poteſt,[1] licet honos ei ſeruetur, vt nec in ius vocari citra veniam, ſi modo non fidem fregerit, queat.[2] Patronus hic certè accipitur, & qui colluſionem detexit per quam in ingenuitatem quis ex libertinitate obrepſerat. Fraude enim hac patefacta eius libertum effici cum minimè dubium eſt.[3] Sed & ſi quis præiudicio patronus pronuntiatus eſt, cum alioquin non eſſet, pro patrono habetur.[4] In hac enim cauſa ſententiam ius facere receptum eſt. Aliter atque de eo dicendum eſt qui ſe patronum eſſe iurauit. Nec enim in hac parte, nec quòd ad ſucceſſionis iura attinet, pro patrono habetur,[5] tametſi in ius vocari ſine venia nõn poſſit. Quod ſi filiusfa. iuſſu patris vel conſentiente eo, non caſtrenſis peculij ancillam manummiſerit, exiſtimo etiam patrem legis beneficio fruiturum, quandoquidem manumiſiſſe ipſe videtur, & patronus eſt.[6] Quod ſi filiusfa. miles in caſtris quęſitam ancillam munumiſerit, ei legis huius beneficium competet, cum ſuam non patris libertam eam fecerit. Quod & ab Adriano reſcriptum dicitur.[8] Et certè caſtrenſis peculij ſerui in familia patris non computãtur, nec in his iuris quicquam pater habet. Quæſitum eſt an qui ſibi cum alio communem libertam duxit, ad hoc ius admittatur: Quod negaſ-

3. L. Proxime. D. de rit. nupt. 4. L. pen. D. de diuort. 5. L. in eo §. 1. D. de rit. nupt. 6 L. 3. §. sed ſi hac D. de bon. lib. 7 L. ſed ſi hac lege. D. de in ius vo. L. 3. §. ſi planè D. de ſuis & legit. L. ſeruũ ò ſi. D. de iure patron. 8. L. Cauſam §. 1. D. de manum. vindict. L. vlt. C. ſi mancip. ita fuer. ali. 9. L. In eo D. de rit. nupt. 1. L. Si tuis D. de oper. libert. L. ſi quis à liberis. § ſi quis a libertis. D. de libe. adgn. L. 1. C. de bo. lib. 2. L. ſed ſi hac lege. D. de in ius vo. 3. L. Adoptiuum. §. patronum. D. de in ius vo. L. 4. D. de collat. de eg. 4. L. Adoptiuum §. . D. de in ius voc. 5. L. Si iurauero. D. de iure patron. 6. L ſi conſentiente D. de manumiſsionib. L. Pater. D. de manum. vind. 7. L. In eo D. de rit. nup. 8. L. ſeruũ D. de iur patr. L. 3. §. ſi quis filius fa. D. de bo. lib.

ſe Iauolenum Caius lib. ix. ad L. Iul. & Pap. rettulit.[9] Contra tamen alios ſentire, quorum ſententiam magis probat, propterea que eius liberta ſit, quamuis alterius quoque ſit. Nam quod commune eſt, pro parte noſtrum eſſe negari nō poteſt. [1] Filio etiam patroni in libertam paternam, eandémque vxorem ex ſententia legis idem iuris quod patrono ipſi datur. Quòd ſi fratri ſuo à patre adſignatam alter frater vxorem duxerit, hoc idem ius non habebit. [3] Nihil enim iuris in huiuſmodi liberta habet, quæ adſignatione fratris perinde propria facta eſt, [4] atque ſi ab eo libertatem conſecuta eſſet, quod ſenatuſconſulto inductum eſt. Ceterum de nupta liberta lex loquitur, nec ad ſponſam pertinet. Et ideo ſponſalium conditioni inuito patrono renuntiare liberta poteſt, nec cum alio conubium amittit.[5] Interdum planè quæ de nuptiis ſtatuuntur, ad ſponſalia porriguntur, nimirum vbi eadem ratio vtrobique verſatur, veluti inter quos nuptiæ prohibentur, inter eos quoque ſponſalia, vtpote viam ad matrimonium facientia prohibita intelliguntur. [6] At quod de nupta conſtitutum eſt, non protinus ad ſponſam producendum eſt, quoniam arctiori vinculo conſtricta eſt quæ nupſit, quam quæ dumtaxat deſponſa eſt. Enimuero in eademū quæ iuſtè, legitimè ac ciuiliter nupta eſt, lex locum habet. Nam ſi ignominioſam libertā ſuam patronus duxerit, id eſt, quæ quæſtū corpore fecerit, artémue ludicrā exercuerit, vel iudicio publico ſit damnata, quia cōtra legem maritus eſt, legis huius beneficium nō habet.[7] Indignus enim eſt beneficio legis qui aduerſus eam cōmiſit [8]. Nec tamen legitimè dumtaxat nuptam libertam, ſed & eam quoque quæ in cōcubinatu ſolum patroni ſit, ſententia legis adprehendi notandum eſt. Igitur, quemadmodū Vlpianus libro primo ad L. Iuliā ſcribit[9] quæ in cōcubinatu patroni eſt, ſi ab eo inuito diſceſſerit, ei conubium adimetur, quippe cùm honeſtius ſit patrono libertam cōcubinam, quā matremfa. habere. Ait lex, INVITO PATRONO. Inuitū accipere debemus[1] eū qui non conſenſit ad diuortium. Proinde non tantum nolēte & diſſentiente vel contradicente liberto diuertere nō poteſt, ſed omnino ſine eius aſſēſu. Et aliàs quoque inuitus dicitur,[2] qui cōſenſiſſe non probatur niſi vbi lex conſenſum ex taciturnitate & ſilentio colligit, veluti in

9. L. Illud D. de ri. nupt.
1. L. ſerui. §. 2 de legat. 1.
2. L. filio. D. de rit. nupt.
3. d. L. filio §. vlt.
4. L. 1. D. de adſign. lib.
5. L. In eo iure. §. hoc caput. D. de ritu nupt.
6. L. Oratio D. de ſponſalib.
7. L. filio §. 1. D. de ritu nupt.
8. L. auxilium D. de minorib.
9. L. 1. D. de concub.
1 L. In eo §. deinde D. de rit. nupt.
2. L. Filiusfa. § inuito D. de procuratoribus.

dotis repetitione,[3] & in ſpõſalibus nuptiiſue cõſtituẽdis.[4] His conſequens eſt, ab abſente & ignorante patrono, non rectè libertam diuertere. *Rectiùs enim,* ait Vlpianus, *hic inuitus dicitur quàm qui diſſenſit.* Quod dictum nouum videri ſuperficiem ſolam verborum inſpicienti poſſet, ſummam tamen rationẽ habet. Nam qui contrariam voluntatem conteſtati, diſſenſus ſui rationes reddiderunt multò minùs habent quod querantur, quàm quibus ignorantibus res geſtæ ſunt, cum is quid animi habeant, explicandi facultas non ſit data: ſpretáque ac neglecta ſit, quæ exquirenda fuerat voluntas. Qua de cauſa multa inuitis & diſſentientibus aliquibus rectè fiunt, quæ his abſentibus & ignorantibus facta non tenent, vt accidit cum tribus iudicibus datis, abſente vno ex his duo pronuntiarũt. Quamquam enim præſente eo & inuito duorum vtpote numero ſuperiorum ſententia præualuiſſet, quia tamen omnes conuenire ad deliberandum oportuit, idcirco quod abſente vno geſtum eſt, irritum conſtituitur.[5] Forſitan enim ſi præſẽs fuiſſet, qui abfuit rationũm ſuarum pondere ac momento, reliquos de ſententia deducere & in ſuam trahere potuiſſet: quemadmodum de Paphnutio Epiſcopo proditum eſt,[6] qui in Niceno concilio cum vniuerſis placeret à coniugum vſu atque conſortio prohibendos eos quoque qui ante ſacros ordines ſuſceptos vxores duxiſſent, ſolus interceſſit, orationéque ſua reliquos Epiſcopos qui prius aliud ſenſerant, in ſuam opinionem, adduxit. Meritò igitur, vt ad legis ſententiam reuertamur, eadem eſt patroni abſentis & ignorantis quæ contradicentis ac reclamantis cauſa: Generalitérque adeò ſtatui poteſt ignorantes eodem cum diſſentientibus loco habendos eſſe, ac proinde inuitis nobis fieri ea exiſtimari, quæ ignorantibus nobis fiant, quamquam prohibitio nulla interceſſerit.[7] Ideóque ignorantem inuito iungi ſæpius videas.[8] His conſequens eſt ſi patronus poſt nuptias furere cœperit ab eo diuertendo liberta huius legis neceſſitate minimè ſolui.[9] Quoniam nec ſcire nec conſentire furioſus intelligatur niſi quod quæ per dementiam patri dotem repetenti contradicere filia non poteſt, conſentire, voluntatem eius affectu paterno ſupplente benignè cenſetur:[10] Quamobrem Pomponius infantes & furioſos, quorum nulla voluntas eſt, inuitos rectè

3. L. 2. §. 1. D. ſol. mat.
4 L. In ſponſalibus in fi. D. de ſponſalibus.
5. L. ſi duo D. de re iu. L. ſi in tres D. de recep. qui arbitr.
6. Socrat. lib. 1. cap. cap. xi. Sozom. lib. 1. cap. xxiii.
7. L. In cauſa verſic. ceterùm D. de procuratorib.
8. L. ſoluendo D. de negot. geſt. L. furti ſui. D. de oblig. & act. L. 1. C. de hered. vend. L. Solutione L. Soluere. D. de ſolutionibus.
9. L. In ea. §. deinde. D. de ritu nupt.
10. L. 2. §. voluntatem D. ſoluto matr.

toſ rectè dici aiebat.1 Ait lex, POTESTAS NE ESTO. Quibus verbis non infectum efficit diuortium, quod iure ciuili matrimoniũ ſoluit, ſed libertæ quæ diuertit dotis repetitionem, conubiũmque id eſt alij iure nubendi poteſtatem adimit: licet conſtare matrimonium dici nõ poſſit, cum ſit ſeparatum.2 Diuertere igitur liberta poteſt, & eſt quidẽ diuortiũ, confirmationemque factæ inter eos donationis impedit,3 ſed alij nubẽdi lex ei poteſtatem denegat ac tollit, quamdiu eam animo vxoris & pro coniuge patronus habeat. Satis enim inciuile & inofficioſum eſt, libertam nuptiis patroni honoratã & hoc beneficij cumulo auctam pro arbitrio patronum deſerere. Et ideò benè Imperator Alexander 4 patronum qui libertam vxorem duxit legis beneficio contentum eſſe debere reſcripſit, *quod inuito eo nõ poſsit ea alij iuſtè nubere*. Nec enim dixit, diuertere non poſſe, quia nec hoc lex ſenſit: Non tantũ autem vxorem alij eſſe non poſſe, ſed nec in cõcubinatu quidem à quoquã haberi huiuſmodi libertã poſſe Iulianus cenſebat: quæ hoc impedimento deficiente, voce in concubinatu haberetur.5 Planè ſi volũtate patroni liberta diſceſſerit, conubium cum alio habet, & de dote cum patrono agere poteſt.6 quam ei dedit. Ait lex, QVAMDIV VOLET. Itaque ſi vel patronus eſſe, vel eam cõiugem velle deſierit, ſtatim legis auctoritas finitur. Qualiquali autem voluntate intelligi poſſit, patronum animum habere deſiiſſe quaſi in vxorem, legis huius beneficium amittit. Proinde ſi rerum amotarũ cum ea egerit, vel aliqua actione quæ conſtante matrimonio inter eos non detur, vel accuſare eam adulterij deprehenſi cœperit, vel alio crimine poſtulare, quod vxori nemo obiicit, vel ſi aliã ſibi deſponderit, deſtinaueritue, aut cum alia matrimonium contraxerit, vel aliam in concubinatu habere inſtituerit, incipit libertæ cum alio conubium eſſe, quod ea duntaxat ratione ei adimitur, quòd patronus ſibi eã nuptã velit. Quare, vbicunque vel tenuis intellectus videri poteſt nolentis nuptam, alteri ſe liberta vel in matrimonium, vel in concubinatum rectè dabit 7. Ceterùm verba hæc, QVAMDIV VOLET, tractum habent. 8 Vnde dubitari poteſt, ſi patronus ab hoſtibus captus ſit ſtatimue huius legis neceſſitate liberta ſoluatur, an etiam expectandum ei ſit, dum pa

1. *Inuitam D. de ſeruit. vrb.*
2. L. *vlt.* D. *de diuort.*
3. L. *Et ideo* D. *de don. int. vir.*
4. *in* L. *liberta C. de oper. lib.*
5. L. 3. D. *de concubin.*
6 *Liberta* D. *ſoluto matr.*
7. L. *vlt.* §. *vlt.* D. *de diuortiis*
8. L. *:.* D. *ad Se. Tertyl.*

tronus redeat. Nodus ſanè hic vindice dignus. In huius enim
quæſtionis diſſolutione Iulianum & Vlpianum in contrarias
ſententias ſciſſos inuenio: Verũ ipſamet Vlpiani verba ſubii-
9. L. In eo iure. D. de rit. nupt. cere pręſtat.[9] *Si ab hoſtibus patronus captus eſſe proponatur, vereor
ne poſſit iſta conubium habere nubẽdo: quẽadmodũ haberet, ſi mortuus
eſſet. Et qui Iuliani ſententiam probant, dicerent non habituram conu-
bium. Putat enim Iulianus durare eius libertæ matrimonium etiam in
captiuitate, propter patroni reuerentiam: Certè ſi in aliam ſeruitutem
patronus ſit deductus, proculdubio diſſolutum eſſe matrimonium.* Quæ
verba apertiſſimè oſtẽdunt inter Iuriſcõſultos de hac ſpecie
minimè cõueniſſe. Captiuitate enim mariti matrimoniũ me-
1. Nouel. 37. ro iure ſoluitur,[1] quod is in ſeruilẽ cauſam deductus, ſeruúſq;
2. L. in bel. § medio tẽpore D. de cap. hoſtiũ factus, iam pro nullo habeatur. Itaque Triphoninus[2]
Captiui, ait, *vxor tametſi maximè velit, & in domo eius ſit, non tamen
in matrimonio eſt.* Similiter Paulus[3], ſi quis ſic ſtipulatus ſit, à
3. L. ſi quis ſic ſtipuletur D. Solut. matr. marito, *ſi quo caſu Titia tibi nupta eſſe deſierit, dotem dabis?* hac ge-
nerali cõmemoratione, & ab hoſtibus capta ea, cõmitti ſtipu-
lationẽ, eóque genere *bona gratia* ſolui matrimoniũ cenſeba-
1. Nouell. 37. tur.[1] At Iulian⁹ ſpreta hac ſtricta & ſubtili iuris ratiõe, durare
adhuc matrimonium cẽſebat, nec licentiam habere libertam
cuius patronus idémque maritus ab hoſtibus captus eſſet, ad
aliud matrimonium migrare, non tantùm propter debitam
patrono reuerentiam, ſed etiam, vt exiſtimo, propter ſuſpen-
ſum eius ſtatum, & poſtliminij ſpem. Iuliani hæc ſentẽtia ex-
preſſis verbis in alio Pandectarum capite cõſignata eſt, quod
apertiſſimũ aut oſcitãtiæ, aut inſcitię Triboniani exemplũ eſt.
2. l. vxores. D. de diuort. Ex libro enim lxij. Digeſtorum Iuliani hæc verba referũtur[2]
ſub tit. de Diuortiis. *Vxores eorum, qui in hoſtium poteſtate perue-
nerunt, poſſunt videri nuptarum locum retinere, eo ſolo, quò alij teme-
rè nubere non poſſunt. Et generaliter definiendum eſt, donec certum eſt
maritum viuere in captiuitate conſtitutum, nullam habere licentiam
vxores eorum migrare ad aliud matrimoniũ, niſi mallent ipſæ mulieres
cauſam repudij præſtare. Sin autem in incerto eſt, an viuus apud hoſteis
teneatur, vel morte præuentus: tunc ſi quinquennium à tempore capti-
uitatis exceſſerit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias, ita
tamen vt bona gratia diſſolutum videatur priſtinum matrimonium:
& vnuſquiſque ſuum ius habeat imminutum, eodem iure & in marito
in ciuitate degente, & vxore captiua obſeruando.* Sed mihi, dicam

ingenuè, caput hoc valdè ſuſpectum eſt. Nã vix adduci poſſũ vt credã pura puta eſſe Iuliani omnia verba, quæ ſub eius nomine referuntur: quinimo à Triboniano aliquid fermenti eſſe inditũ credibile eſt. Mouet me quòd tota hæc clauſula, *Sin autẽ in incerto* &c. nihil aliud continet quã quod διαῤῥήδην ab ipſo Iuſtiniano conſtitutũ eſt Nouell. xxij. his verbis, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς αἰχμαλωσίας &c. id eſt, vt ego interpretor, *Captiuitatis etiã caſus, ad eã matrimonij diſſolutionem quæ bona gratia fit, pertinet. Siue enim vir eum caſum patiatur, uxore in ciuitate manente, ſiue rurſus muliere ab hoſtibus capta, vir in ciuitate remaneat, ſtrictis quidem & ſubtilis ratio matrimonium ſoluit. Nam ſeruitute alterutri ex coniugibus contingẽte, fortunæ ſtatúſque ac conditionis inæqualitas ac diſparitas nuptiarum æqualitatem ſtare non patitur. Verumenimuero hæc benignius humaniuſque inſpicientes quamdiu quidẽ captiuum coniugem vita frui conſtat, diſſolui matrimonia non concedimus, nec ad ſecundas migrare nuptias, niſi velint hoc temerè facere, & ſubiacere pœnis iniuſti diuortij: vt vir quidẽ ante nuptias donationis, uxor verò dotis amiſſione multetur. Quòd ſi incertũ ſit, ſuperſit ne an non, qui in militiam abijt perſona, tunc quinquenniũ expectare tam virum quàm mulierẽ: poſt quod ſiue certus de morte nuntius afferatur, ſiue incerto maneat impune nuptias contrahere licet*: Ex quibus colligitur quinquennium illud, quo expectari abſentis coniugis reditus debet, à Iuſtiniano prę̨ſtitutum eſſe. Hoc enim ille ſibi tribuit, his verbis θεωροῦντες. & συγχωροῦμεν, quãquam ſequentia verba dubitationẽ fort lectori mouerent in quibus ita eſt, καὶ τοῦτο γὰρ δὴ ταῖς καλουμέναις bona gratia διαλύσεσι παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν συντέθειται, καὶ ἡμεῖς δὲ εἰς τοῦτο σύμφαμεν. ὥστε ἐνταῦθα οὐδὲ διαζυγίου γίνεται καιρὸς, οὔτε τῶν προσώπων διεστώτων ἀλλήλων, καὶ οὐδεὶς ἐντεῦθεν κερδανεῖ, οὔτε ὁ ἀνὴρ τὴν προῖκα, οὔτε ἡ γυνὴ τὴν προγαμιαίαν δωρεάν. ἀλλ' ἕκαστος ἐπὶ τῆς οἰκείας μένει, id eſt. *Et hæ enim ſpecies in in his diſſolutionibus nuptiarum quæ bona gratia fiebant ab antiquis & qui nos anteceſſerunt, numerabatur. Nos quoque in hoc conſẽtimus vt hinc neque diuortij detur occaſio, ſic diſtractis à ſeſe perſonis nec aliquis inde lucrũ ferat, nec vir dotis, nec mulier ante nuptias donatiõis, ſed vnuſquiſque ſua ſibi habeat*: Quod ſic accipi poteſt, vt per captiuitatem quidem, bona gratia diſſolui matrimonium veteres crediderint. Quorum ſententiæ Iuſtinianus, adhibito temperamento, quod expoſuimus, accedit. Nam ante eum, quinquẽ-

niũ illud obſeruatũ non fuiſſe argumẽto eſt Cõſtãtini cõſtitutio, quæ de quadriẽnio loquitur, quã, quòd cauſæ noſtrę iugulum premat, integram ſubiungam. *Vxor,* [3] ait, *quæ in militiam profecto marito poſt interuentum annorum quatuor, nullum ſoſpitatis eius potuit habere indicium, atque ideo de nuptiis aliis cogitauit, nec tamen ante nupſit, quàm libello ducem ſuper hoc ſuo voto conuenit: nõ videtur nuptias iniiſſe furtiuas, nec dotis amiſsionẽ ſuſtinere, nec capitali pœnæ eſſe obnoxia, quæ poſt tam magni temporis iugitatem non temere, nec clanculo, ſed publicè conteſtatione depoſita nupſiſſe firmatur.* Videndum eſt igitur, ne Iuſtinianum in Iulianum infuderit Tribonianus, & veteribus noua more ſuo permiſcuerit.

3. L. vxor. C. de repud. & deindu demo rib ſubl.

Nec abeſt ſuſpicio, quin & alio capite huc quoque ſpectãti, quod ex Pauli lib. iij. ad Leg. Iul. & Pap. deſcriptũ eſt, aliquid de ſuo inſeruerit. Ita enim caput habet. [4] *Non vt à patre filius ita vxor à marito iure poſtliminij recuperari poteſt: ſed tũc demũ cum & voluerit mulier, & adhuc alij poſt conſtitutum tempus nupta non eſt. Quod ſi noluerit, nulla cauſa probabili interueniẽte pœnis diſcidij tenebitur.* Nam conſtitutum aliquod tempus fuiſſe ante poſteriores Impp. non legimus. Et certè Quintilianus in ficto themate, quod hîc prætermitti non debet, non certi alicuius temporis meminit: feſtinatio quidem mulieris, quæ morte mariti ſolo rumore intellecta, alij confeſtim nupſerat, ita apud eũ notatur. [5] *Adulteros fuiſſe in matrimonio conſtat, nemo negat. Matrimonium duobus generibus ſoluitur, aut repudio, aut morte alterius. Neque repudiaui & certè viuo. Sed rumor de morte venit: Hæc ſtatim nupſit alio marito. Quid eſt hoc aliud, quã improbius adulterium? Meæ igitur nuptiæ manſerunt, illæ non fuerunt legitimæ. Legitimum porro matrimonium, niſi ſoluto priore eſſe non poteſt. An opinione contenti ſumus?* Et poſtea, *Ergo vxor ſic à me amata, teſtamento relicta heres, audita morte mariti, non inquiſiuit vbi periiſſem: non aliquos certiores nuntios, non reuerſuros à ſupremis officiis ſeruulos expectauit: Sed feſtinato quoque nupſit, & in nouæ libidinis amorem, mea indicia protinus eludens tranſtulit mœchum in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto, adeo mariti prioris etiam memoriã abiecerat. Deſii iſta mirari, cum adulterũ vidi iuuenẽ, propter quem tamdiu vidua eſſe non poſſet, quàm diu peregrinari poterã ego qui vxorem ſic amaui.* TEMERE *profectò, temere in longius ituri, coniuges noſtras domi relinquimus, ſubitò abſentum obliuiſcũtur, & pene cum ipſis horis vxo-*

4. l. Non vt à patre D. de captiu. & poſtl.

5. Quintilian declamatione. cccxlvij.

rũpectora refrigeſcunt. Mirer nunc ego vnde rumor? quæ tam malignũ
mendacii cauſa, cui fingere iſtud expedierit? Ille profectò in cauſa fuit
iuuenis, qui ad domum meã ductus eſt: quæſitus eſt locus. Sed hęc qui
acutiore sũt ingenio prædíti, & qui plus otii ad has res ſpecu-
landas & perſcrutandas habent, diligentius exactiúſque me
homine forenſibus negotiis præpedito inueſtigabunt, ſatiſq;
habebo, ſi me veluti claſsicum canente, ad huius rei accura-
tiorem diſquiſitionem excitentur. Vt vt ſit, aliam quandam
huic quæſtioni formam Iuſtinianus Nouella cxvij. dedit: quã
Iuliani Patritii [6] verbis, quæ mẽtem Iuſtiniani perſpicuè red- 6. Nouell.
dunt, proferam, *Iubemus vxores militũ ſiue in expeditionibus de-* Conſti. cxviii
gentiũ ſiue in militiis, ſiue milites ſint, ſiue fœderati, ſiue ſcholares, ſiue cap. 387.
alia qualicũque armata militia decorati, expectare quãtoſcũque annos
in expeditione fuerint, etſi nullas literas, nullum reſponſum à maritis,
(Sic enim proculdubio legendum) *ſuis receperint. Sin autem ta-*
lis mulier maritum ſuum defunctum audierit, non liceat ei ſtatim ad
alias nuptias peruenire, niſi prius peruenerit aut per ſe, aut per parentes
ſuos, aut per aliam qualemcunque perſonã ad priores Numeri & char-
tularios ſcrinii. Tutores etiã pupillas ſuas vxores ducere, & fi-
liis ſuis nuptũ dare, Senatuſcõſulto, quod Marci Antonini
& Cõmodi orationẽ ſubſecutũ eſt prohibebantur. [3] Eóq; re-
ferendum eſt quod Marcellinus Hermogenis interpres νόμος 3. L. Sena-
ait, μὴ γαμεῖσθαι τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε τοῦ ἐπιτρόπου tuſconſulto
παιδί. Cauſam autem harum prohibendarum nuptiarũ vel D. de ritu nupt.
hanc præcipuã fuiſſe inuenio, [4] ne pupillæ in re familiari cir- 4. L. libertũ
cunſcriberentur ab iis, qui rationes eis geſtæ tutelæ reddere §. 1. D. de ri-
neceſſe habebant, néue fraudes in tutelę adminiſtratione cõ- tu nupt. L. ſi
miſſæ huiuſmodi domeſtici matrimonii velamento, quo tutor C. de
tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur, quas palàm inter. matr.
proferri Reip. expedit: Atque hanc prohibitionis harum nu- 5. L. Non ſolũ
ptiarum cauſam Principum oratio continebat, [5] quam Pau- §. 1. D.
lus libro ſingulari perſecutus erat: Ceteri etiam Iureconſulti ritu nupt.
ſatis multis verbis de eius ſententia egerant. Summa verò
eorum, quæ ad eius interpretationem adferri ex eorũ conci-
ſis à Triboniano ſcriptis poteſt, hæc eſt: Sententia orationis
Senatuſconſultíque cõtineri quoſcũque qui rationibus red-
dendis ſunt obnoxii. Non tantùm igitur tutores adoleſcẽ-
túmue curatores, ſed & curatores ventri, boniſque dati Sena-

tuſconſulto apprehenduntur. Hi quoque qui tutores quidẽ non ſunt, periculo tamen tutelæ ſuo nomine obſtringuntur, à pupillarum nuptiis arcentur, quales ſunt qui falſis allegationibus à tutela ſe excuſauerunt.6 Ad eos enim, poſtquam religionem ius dicentis circumueniſſe eos conſtiterit, periculũ adminiſtrationis exinde pertinet, ex quo dati ſunt.7 Idémque & in honorariorum tutorum perſona ſeruandum eſt. Nam & hi malè geſtæ tutelæ periculum pręſtãt.8 Heredes quoque tutorum, licet extranei, quoniã rationes reddere debẽt. Senatuſconſulti prohibitione concludũtur.9 Ac vel eius qui tutor curatórue datus non iuſtè prouocauerit, heres quãdoq; vict⁹, quia præteriti temporis damnum, ſi quod pupilla paſſa ſit, adgnoſcere debet, ad orationẽ pertinet.1 Alia eſt eius qui pro tutore curatoréue, cum re vera tutor curatórue non ſit, negotia adminiſtrat, cauſa. Hunc enim cum nomine tenus, quod ſibi falſo vſurpat, tutor ſit, à pupillæ, cuius res geſsit, nuptiis repelli Leoni & Anthemio diſplicuit.2 Et certè in toto ferè iure eorum adminiſtratio diuerſam à tutorum adminiſtratione rationem habet.3 Fideiuſſores planè nominatoréſque tutorum, aut qui eos dedere magiſtratus, licet deficiẽtibus tutoribus, in tutelæ periculum incidant, quia tamẽ ex alterius perſona hoc incõmodi eis accedit, Senatuſcõſulto nõ continentur. Quod verò Senatuſconſulti verbis cauebatur, ne vxorem tutor pupillam ſuam duceret, ſic acceptum eſt, vt ne deſponderi quidẽ poſſit.4 Sed nec filiis ſuis modò, verũ etiã nepotibus nuptum dare pupillas ſuas tutores prohibiti intelliguntur. Quanquam enim de filiis duntaxat oratio loqueretur, ad nepotes tamen interpretatione producta eſt: quod prohibitionis eadẽ circa illos, quæ circa filios ratio verſetur, licet ſi propriam verborũ ſignificationem ſpectemus, filiorũ appellatio nepotes nõ cõplectatur. Nihil autem intereſt filii ſui iuris an in patris poteſtate tutoriſue vel curatoris ſint. Naturales etiã liberi, licet in adoptionẽ dari & in alienã familiã tranſlati ſint, Senatuſconſulto tamen comprehendũtur.6 Adoptiui vero, tamdiu quoad de poteſtate dimittãtur. Emãcipatione enim adoptionis iura in totum perimũtur atque euaneſcunt.7 Ad Senatuſconſultum quoq; libertũ pertinere placuit, qui filio ſuo naturali quẽ in ſeruitute ſuſcepe-

6. L. ſi quis tutor D. de ritu nupt.
7. L. 1. l. 2. & 3. C. ſi ex falſis allegat. §. vlt. Inſtit. de excuſ. tut.
8. L. quòd ſi forte § 1. D. de ſolutio
9. L. Libertũ §. 1. D. de ritu nupt.
1. L. ſi quis tutor §. vlt. D. de ritu nupt.
2 L. vlt. C. de interd. matr.
3. L. Apud §. ſi quis non tutor D. de doli except. lib. 1. §. Cum eo l. 2. D. de eo qui pro tutore. l. debitores. D. de ſolutionib.
4. L. Si quis tutor § quamuis. D. de ritu nup.
5. L. non eſt matrimoniũ D. de ritu nupt.
6. L. Si quis tutor. § quãuis. & §. naturales eo tit.
7. L. quinetiam ſi. D. eo tit.

rat,poſtea manumiſſo pupillã ſuam in matrimonio collocat. [8] Nec viuo demum tutore verumetiam poſt mortem eius filius tutoris prohibetur eam vxorẽ ducere,cuius tutelæ rationi pater obſtrict[9] fuit, ſiue heres ei extiterit, ſiue abſtinuerit, aut etiã exheres ſcriptus ſit. Nam & fieri poteſt vt per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam reuocari oporteat.[1] Quòd ſi auus tutelam geſſerit neptis ex filio emãcipato natæ,nepti ex altero filio eam rectè collocabit, cũ hoc factũ ſuſpicione propter parẽ affectionis ſtimulũ vacet. Sed & ſi filiusfa. tutor puellæ vel curator ſit (poteſt enim) patri eius, fratríue qui in eiuſdem patris poteſtate eſt pupillã nõ rectè nuptũ dabit.[2] Patriæ nãque poteſtatis vinculo vni[9] pro pè eiuſdémque loco hæ inter ſe perſonæ habentur.[3] Quamquam autem in arbitrio matris pater eſſe voluerit, cui nuptũ filia communis collocaretur,non tamẽ ea tutorem eius eligere poterit:cum contra voluntatem patris hoc ea facere videatur, qui ideo maximè eã prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret.

Concludamus igitur non eſſe matrimonium , ſi tutor vel curator pupillam ſuam vel adultam, vel eam cui adminiſtrationis rationes reddere debet ſibi,liberíſue ſuis iunxerit. Ex quo ſequitur vt cum ceſſet matrimonium , nec dos eſſe intelligatur.[4] Conſequens eſt etiam ob res conſtãte huiuſmodi qualiquali coniunctione diſcidii cõſilio ſubreptas, rerum amotarum actionẽ denegari,[5] quæ diuortii nimirum, quo iuſta matrimonia dirimuntur,cauſa competens ad illicitã coniunctionem nõ pertinet. Qua ratione motus quis, nec ſine colore,inter huiuſmodi perſonas factas donationes matrimonii impedimento deficiẽte valere diceret[6]. Sed cũ quaſi ad coniuges, non quaſi ad extraneas perſonas fiãt, nec vt ſponſis factæ,quoniam & hic ſponſalia improbantur,cõſiſtere poſſint,idcirco placuit quaſi ab indignis ea quæ donata sũt ablata fiſco vindicari. Delinquunt enim qui Senatuſcõſulto vetitas nuptias contrahut.[7] Planè ex teſtamẽto tutoris in cuius matrimoniũ cõuenerit pupilla ſibi relicta capiet,nec quaſi indigna repelletur. Cõtrà tutor ex ei[9] teſtamẽto capere nihil poterit.[8] Hoc tã variè,quòd nõ vt tutori, ita pupillæ à tutore ſuo circũſcriptæ illicitarũ nuptiarum aduerſus ampliſsi-

8. L. libertinum. C. de interd. mat.
9. L. Nõ ſolũ §. 1. D. de ritu nupt.
1. L. ſi filiusfa. §. 1. & 2. D. de tut. & rat. diſt. L. Tutorem, D. de adm. tutor.
2. L. Non ſolum § ſed etſi filiusfa. D. de ritu nupt.
3. § Ei vero Inſtit de inutilib. ſtip. L frater à fratre. D. de condict. indeb.
4. L. 2. D. de iure dot.
5. L. ſi concubina D rer. amota.
6. L. cum hic ſtatus § vlt. D. de donati. int. vir.
7. L. 3. §. 1. D. de donatio int. vir.
8. L. vlt. D. de legat iw. L. 2. D. de his quæ vt indig.

mi ordinis decretum contractarum crimẽ obiici imputaríq; poſsit. Pupilla ergo, vt nullius culpæ adfinis legatũ quod teſtamẽto tutoris meruerit, conſequitur. Per contrarium verò tutor, meritò indignus cui occaſione huius cõiunctionis lucri cõmodique aliquid quæratur, à petitione legati teſtamento pupillæ ſibi relicti ſubmouetur. Verùm cur infirmatur pupillæ à tutore cum quo in matrimonium coiit, facta donatio legatum verò teſtamento datum ſuſtinetur? Differentiæ inter hanc & illã ſpeciẽ ratio fortè eſt, quod quæ inter coniuges fit, matrimonii prætextu, intuitu, contemplationéq; fieri intelligitur donatio. Ceſſante ergo matrimonio, quod donationi locum facit cauſamque pręſtat, vires habere huic caduco innixa fundamento donatio non poteſt. At quod teſtamento relinquitur, cum non ita matrimonio acceptum feratur, ſed & ob meritum extrinſecus accedere cẽſeatur, a ex ei° ſolius vitio qui teſtamenti honore indign° habetur, corruit: Quò fit vt pupillæ, cui cõtra atque tutori, peccati huius propter ætatis ſexúſque infirmitatem legúmque imperitiam venia tribuitur, eorum quę teſtamento tutoris meruerit, perſecutio non denegetur. Creditur tamen cum his quæ diximus Ceruidii Scæuolæ reſponſum pugnare, quo fructuum, quos mulier vſusfructus ſibi à viro relicti nomine perceperit, repetitionem heredibus dandam reſpondit, 9 ſi poſtea illicitum fuiſſe matrimonium pronuntietur. Sed non eſt eadem omnium iniuſtorum matrimoniorum ratio atque cauſa. Nam pupillæ quidem quæ laqueis tutoris irretita eiúſque vinculis cõſtricta Senatuſconſultum offẽdit, culpa excuſata eſt: nõ æquè vero ceteris mulieribus, quæ inhoneſtis illicitiſque ſe nuptiis maculauerint, parcimus. Itaque non eò minùs verũ eſt, quod generaliter definitur,1 nihil propter iniuſtũ matrimonium capi poſſe & quod ab herede ignorante perperam ſolutũ fuerit, id condici poſſe. Verumenimuerò exceptiones quaſdam Senatuſconſultum patitur. Vna eſt, ſi deſpõſata à patre vel teſtamẽto deſtinata, denominatáue ſit puella tutori, filióue eius. Hãc enim patris volũtatẽ, quẽ huiuſmodi conditionẽ filiæ quæſiiſſe, ſpectata prius planéque perſpecta ac cognita futuri generi integritate atque fide veriſimile eſt, ad exitum perduci Senatuſconſultum nõ impedi.2 Altera eſt,

a L. Nec adiecit D. pro ſocio.

9. L. vxori D. de vſufru. leg.

1. L. 1. D. in de vir. & vxor. l. Claudius de his quæ vt indig. l. contra C. de inceſt. nupt.

2. L. non eſt matrimonium. D. de rit. nupt. l. ſi patris C. de interd. matr. l. qui pupillam D. ad legem Iul. de adul.

ra eſt, ſi rationes tutor curatórue reddiderit,& id tēporis effluxerit quo in integrum reſtitutionem pupilla impetrare poſſit. Ante conſtitutum enim petendæ in integrum reſtitutionis tempus,pupillam ſuam rationibus redditis vxorē ducere, nec matrem quidem ex alio matrimonio factam poteſt.[3] Ex prætoris autem edicto olim poſt xxv. annos vtilis annus ad petendam in integrum reſtitutionem, concedebatur. Idcóque cum Marcellus in hac quæſtione annum viceſimum ſextum nominat,[4] vtilem nō cōtinuum accipere vel ex ipſis diſertis Triphonii [5] Valerianíque [6] Imperatoris verbis debemus. At hunc vtilem annum Iuſtinianus in continuum quadriēnium tādem mutauit.[7] Pupillæ vtique quæ ante redditam ſibi tutelam deceſſerit, filiam tutor in matrimonium filio ſuo collocare non vetatur, quoniam rationum reddēdarum obligatio æris alieni hereditarii vicem ſimilitudinémque repręſentat, ac ſuſtinet, proindéque non minùs cum tutoris quàm cum cuiuſlibet alterius debitoris filio nuptias ea rectè contrahit.[8] Mater etiam pupillæ cū tutore filiæ ſuæ vel filio tutoris, nuptias contrahere non prohibetur.[9] Sed nec tutores pupillis ſuis vel curatores adultis filias ſuas neptéſue nuptum dare vetantur.[1] Nulla enim ex hoc matrimonio pupilariū rationum interuerſio contingere poteſt, cui præcipuè periculo proſpicere Senatus voluit. Itē qui ei quā in matrimonio habebat, abſens & ignorans curator conſtitutus eſt, in Senatuſconſulti pœnam non incidit, dum tamen alium in ei[9] locum ſubſtituatur: ne maritorum ignorantia fraus ampliſſimi ordinis conſulto quæratur.[2] Quamquā enim curæ datio non teneat, propterea quòd vxori ſuæ maritus curator creari non poſſit,[3] tamē ſatagere ille debet, vt alius ei curator detur. Nam & qui non iure tutores curatoréſue dantur, curare debent[4] vt alii in eorum locum ſufficiātur, aut certè pupilli propinquos ac neceſſarios certiores facere, vt aliū ei tutorem petant, ne pupilli vtilitates ac negotia deſerantur. Proinde cum Alexandro propoſitum eſſet, nurui ſocerum poſt liberos ex matrimonio ſuſceptos curatorem datum, matrimonium quidem ritè ab initio contractum non vitiari, iuſtóſq; eſſe ex ea quæſitos liberos reſcripſit,[5] verum omnis ſcrupuli amouendi cauſa inſiſtere ſocerum debere, vt alius eius loco

3 L. Quanquam D. de rit. nupt.
4. In l. qui pupillam D. de adulter.
5. In l. filius §. ſi quæ eo tempore. D. de liber. & poſt.
6. l. ſi patris de interd. mat.
7. L. vlt. C. de tempor. in integ. reſti.
8. L. non ſolū §. vlt. de rit. nupt.
9 L. 2. D. de interd. ma.
1. L. Libertū in fin. C de ritu nupt. L. curatorem C. de interdict. matr.
2. L. Ampliſsimi. C. de excuſ. tut.
3. L. Maritus C. qui dare tuto. L. virū. D de cur. furioſ.
4. L. 1 §. vltim D. de eo qui pro tut. l. tutores §. qui ſine. D. de adm. tut.
5. L. Cum propon. C. de ritu nup.

daretur. Qua de ſpecie etiã cõſulti per epiſtolam Impp. Galienus & Valeria. in hæc verba reſcripſerunt.[6] *Licet orationis ſub Diuo Marco habitæ verba deficiant, is tamen qui poſt contractas nuptias nurui ſuæ curator datus eſt excuſare ſe debet, ne manifeſtã ſẽ. etiam eius oſtendat & la' em pudoris contrahat.* Pœna autem tutoris qui Senatuſconſulto vetitas nuptias copulauit, ea eſt vt ei infamiæ nota veluti de tutela confeſſo inuratur,[7] quòd huiuſmodi coniunctione fraudem adminiſtrationis tegere laborauerit. Corporalis quoque ei pecuniariáue extra ordinem pro dignitate pupillæ coercitio imminet.[8] Quinetiã lege Iulia de adulteriis, qui pupillã illicitè duxerit tutor poſtulari poteſt.[9] Poſtremo relegatione plectendum libertum eundémq; tutorem patronæ ſuæ Senatus cẽſuit,[10] qui eam ſibi filióue ſuo in matrimonio collocaſſet. Nec verò pœnas has ruſticitatis imperitiæue velamento deprecari quẽquam poſſe Impp. reſcripſerũt.[1] In his enim quæ malo more, nefariéque geruntur ruſticitatis excuſatio non accipitur,[2] cui in his demũ quæ ex meris ciuilis iuris præceptis pẽdent parci ſolet.[3] Imperitiã autem in Impp. reſcripto iuris legúmque inſcitiam accipio, quæ, vt Accurſii obiectione diluam, in maſculis ferenda non eſt, aliter atque in feminis, quæ inceſti, in quo ſola iuris obſeruatio interuenit, pœnas non timent, ob conceſſam eis iuris ignorantiam propter quam, pœnam quidem eis remitti, non item illicitam coniunctionem retineri cenſeo. Nam & citra exiſtimationis ſuæ damnum dotis in eius matrimonii cauſam datæ condictionem pupilla habet.[4] MANDATIS quoque principalibus præſides prouinciarum, procuratores Cæſaris, præfectis cohortis, aut equitum, Tribuni, & omnes omnino qui aliquod in prouincia officium gerunt, inde oriundam vel ibi domicilium habentem vbi adminiſtrant feminam ducere prohibentur,[5] potentatus, vt Papinia. ait, ratione, ne videlicet potẽtia ſua, in qua conſtituti ſunt, ad vim abutẽtes matrimonia ſibi arbitrio nutúque ſuo concilient, trahántq; ac rapiant verius quàm ducant. Qua de cauſa & eis in ea prouincia, in qua adminiſtrant, emere fenúſue exercere, mutuámq; pecuniam dare non licet.[6] Huiuſmodi ergo matrimonia aduerſus mandacta contracta perinde nulla ſunt, atque ea quæ contra am-

6. in L. licet C. de excuſ. tut.

7. L. Ampliſſimus C. de excuſ. tute. L. non eſt matrimonium D. de ritu nupt.

8 L. ſi tutor. C. de interd. mat.

9. L. qui pupillã D. ad L. Iul de adult.

10. L. Libertum. D. de ritu nupt.

1. L. . C. de interd. matr.

2. L. 2. C de in ius voc.

3 L. ſi quis id quod D. de Iuriſdictio. omnium iud. L. 2. D. ſi quis in ius voc. nõ ier. l. vlt. C. de teſtam.

4. L. ſi tutor C. de interd. mat.

5 L. ſi quis officium l præfectus D. de ritu nupt.

6. L. Aufertur §. quod à præſide D de iure fiſ l. 1. C. de contractis. iud l. principalibus D ſi cert. d o. l. eod. C. eod tit.

pliſsimi ordinis decretum à tutoribus eorúmque liberis cōtrahuntur. Quò fit vt cum matrimonium non conſiſtat, nec dos ſit, nec rerum amotarum actio inter eas perſonas quę ita coierint detur.[7] Nec tamen, quia nuptiæ non ſint, eò magis donationes inter eos factæ ratæ erunt,[8] ne ex delicto ſuo lucrum ferant, meliórque ſit in legē committentiū, quàm eorū qui ſecūdum præcepta legum in matrimonium conueniūt, cōditio.[9] Vtique enim prohibitas nuptias contrahentes peccare delinquereque intelliguntur.[1] Et ideo magis eſt, vt quę ita donata fuerint, quaſi ab indignis ablata fiſco vindicētur.[2] Exēplo certè pupillę tutori liberíſue eius nuptæ, prouincialis mulier quæ contra mandata prouinciæ rectori nupſerit, ex viri teſtamento capiet. Imperatores autem Gratianus Valent. & Theod. quod de adminiſtrantibus veteri iure cautum erat, ad adminiſtrantium liberos, propinquos, comites, cōſiliarios, domeſticos porrexerunt.[3] Quos & arrharū ſponſaliciarum in matrimonii argumentum datarum, diſpēdio mulctant. Qua in parte iuri antiquo derogare eos fortaſsis exiſtimet qui penitus non inſpexerit. Nam ad arrharum acceptarum reſtitutionem mulierem quæ finita adminiſtratione nuptias implere nolit, adigi Paulus indicat:[4] Id quod Accurſiū cruciat, qui in huius nodi diſſolutione tanquam in ſalebra hęret. Nos vt eius hæſitationi certa & vera diſtinctione medeamur, multum intereſſe dicemus ſponſaliane ſola, an verò nuptias prouinciarum rectores arrhis datis tū cùm prouinciam cum imperio obtinerent, contraxerint. A perfectis ſiquidem & conſummatis nuptiis quas mandata principalia ſtare non patiūtur, mulieribus prouincialibus abire ac recedere etiam cum arrharum lucro Impp. permittūt. At ſi in prouincia ſpōſalia duntaxat contracta ſint, quia nihil in ea re contra mādata peccatum eſt, quę huiuſmodi cōditioni renūtiare volet acceptas arrhas reſtituere iure ac meritò debet. Et hæc eſt inter Impp. conſtitutionem Paulique locum ab Accurſio nō animaduerſa differentia. Nuptiis enim duntaxat, nō etiam ſpōſalibus qui in prouincia aliquod officiū gerebant, interdicebantur. Quinetiam deſponſam ſibi antequàm in prouinciā mitterentur vxorē illic ducere non prohibebantur,[7] vt pote ceſſante ea, quæ ſibi eos in prouinciis ſuis matrimonia conci-

7 L. ſi concubina D. rer. amot.
8 L. Cum hic ſtatus § vl. de dona. int. vir.
9. L. 3. § 2. D. de dona. int. vir.
1 L. vlt D. de leg. 11. 1. c.
2 L. Cum ſtatus §. vlt. D. de dona. int. vir.
3. l. 1. C. ſi rector. prouincial.
4. L. ſi quis officium D. de rit. nupt.
7. d. L. ſi quis officium.

liare vetabat, ratione. Sed etſi cõtra mãdata in prouincia matrimonium contractũ eſſet, poſt depoſitũ tamen officiũ ſi in eadem voluntate vterque perſeueraret, iuſtæ efficiebantur quæ ab initio non conſtiterant nuptiæ. Indéque poſtea vt ex iuſto matrimonio editi liberi iuſti legitimíque patri fiebant, quemadmodum Paulus lib. v. Reſponſorum tradit, [8] qui à Gordiano teſtis laudatur. [9] Planè filiabus ſuis conditionẽ in prouincia quærere, eáſque in matrimoniũ collocare & dotẽ eis conſtituere non prohibebãtur, qui in prouinciis præerãt: filiis verò vxorem prouincialem ducentibus conſentire auctoritatémque præſtare minimè poterãt.[11] De cuius varietatis ratione ſi mihi liquere negem, inſcitiam meã potiùs quàm antiquorum inconſtãtiã prodã: Quorũ etſi mentẽ mihi planè perſpectam eſſe ac cognitam adfirmare non auſim, tamẽ, quatenus eam coniectura aſſequi licet, duplici eos ratione adductos credo. Primùm enim pręſumptum habuiſſe exiſtimo, patrem impẽſiore affectu maioríque contentione in cõditione filio quærenda, quàm in filia nuptum collocanda laboraturum. Nã filiæ quidẽ in manum mariti mancipiúque transeuntes familiæ ſuæ finẽ adferunt: per filios verò cũ nomine paterna familia propagatur. Ne verò filiorũ amore domúſque amplificãdæ ſtudio, ad matrimonia filiis conciliãda ſua poteſtate abuterentur, frenis quibuſdam ac habenis cohibẽdã eſſe eã potentiam cenſuerũt, nihil quicquam tale eos filiarum cauſa attẽtaturos rati. Huic rei argumento eſt quod filiam ſuam pupillo ſuo tutor in matrimoniũ collocare non prohibetur: [1] filio verò ſuo pupillã in matrimoniũ collocare prohibetur. Licet ergo tã in filię quàm filii nuptiis auctoritas patris intercedere deberet, verendã tamen magis eſſe præſidis in collocando filio, quàm in filia nuptum danda impreſſionem pendentes cenſuere. Alia quoq; veteres ratio in hoc iure ſtatuendo mouere potuit, quam Cyno Ludouico Romano, & noſtri ſeculi Varroni πολυγραφωτάτῳ D. And. Tiraquello gentili & populari meo cuius memoriam ſanctè ac religioſe pro eo ac debeo colo, placuiſſe video. Dificilis nimirũm virginalis pudicitiæ cuſtodia, cui adſeruandæ continendæque ne Argi quidem lumina plerunque ſufficiunt. Cauendum enim fortè (nihil enim præter coniecturam ha-

8. L. eos qui D. de ritu nuptiarum.
9. L. Etſi cõtra C. de nuptiis.
10. l. ſi quis officium §. vlt.
11. l. qui in prouincia. eod.

1. L. liberum §. vlt. D de ritu nupt.

bemus)prudentes cogitarunt,ne dum paternæ adminiſtrationis exitus expectatur, interim filia iam matura viro & plenis nubilis annis,ætatis lubrico ſexúſue infirmitate vel amoris facibus, aliquod dedecus admittat. Cui malo obuiam vt irent patri liberam conditionis filiæ quærendæ poteſtatem vel ipſo adminiſtrationis ſuæ tempore relinquẽdam eſſe cenſuerunt: Et certè probabile eſt ſubiiſſe animos veterum illam cogitationem,puellarum nuptias non æquè ac maſculorum coniugia protrahi ac differri poſſe, moramque nullam nuptiarum tempeſtiuitati,ſi famæ ac caſtitati puellarum conſultum velimus, fieri oportere. Qua eadem ratione filiam ſuam pupillo iam adulto nuptum dare,ſi tam adulto quàm puellæ hæ nuptiæ cordi ſint tutori permiſere, ne fortè in longius tempus protactis nuptiis vel moræ impatientia, vel amaſij illecebris in aliquod probrum prolabatur, ex quo ei generique ac toti familiæ labes ac macula aliqua quæ deinde elui non poſſit,aſpergatur. At maſculorum coniunctionem quæ citra periculũ exiſtimationíſque damnum proferri poſſit, inhibendam ob impreſſionis metum merito in ſuperioribus ſpeciebus cenſuerunt. Iuuat hanc rationẽ quod aliàs quoq; in hoc nuptiali iure diuerſam maſculorum ac feminarum cauſam iuris auctores conſtituunt. Nam puellæ quidem poſt xxv. annum, nõ item maſculi impunè citra parentum cõſenſum matrimonia contrahunt.[2] Eodémque refert Accurſius,quod ex Paulo recenſetur,Nepoti vxorem ducenti & auum & filium conſentire debere:nepti verò nubenti voluntatem auctoritatémque aui ſufficere. 2.L.oratione §.1.D.de ritu nupt.

Tempus eſt autem, ad ea iniuſtarum nuptiarum genera, quæ naturali ratione,ſanguiníſque iure prohibentur, noſtra ſe conuertat oratio. Qua in quæſtione,fixum ſit hoc,ratúmq; principium ex gradu adſcendentium deſcendentiumque, in infinitum duci vxores non poſſe: et inter eas perſonas quæ parentum liberorúmue locum inter ſe obtinent inceſtas ac nefarias nuptias eſſe.[1] Veluti inter patrem & filiam vel auum & neptem,matrem & filium vel auiam & nepotem, & vſque in infinitum. Nec intereſt ex iuſtis nuptiis eiuſmodi perſonarum coniunctio deſcendat,an non.[2] Nam & ex ancilla ſuſceptam & vulgò quæſitam filiam ducere genitori minimè con- 1. L. nuptiæ conſiſtere D. de ritu nupt. §.Ergo inſtit. de nupt. 2 L. Et nihil. D. de ritu nupt.

ceditur, ſeruiléſque adeò cognationes in hoc nuptiali iure obſeruantur,[3] cùm contra naturale ius, pudorémque ſit à patre filiam quomodocumque quæſitam duci. Proinde in his quidem ſpeciebus inceſtum iure gentium committi conſtat,[4] cuius veniam ſexus infirmitate deprecari mulieres non poſſunt,[5] cùm naturali iure, cuius vtpote non ſcripti ſed nati ignorantia defendi nequeunt, prohibitam rem admiſerint. Nec enim ſexui, nec ruſticitati in his parcitur, à quibus naturalis nos ratio, animis noſtris diuinitus indita, atq; impreſſa auocat. Fœditas verò illarum coniunctionũ h.c t ipſa per ſe, vt qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipſam exuiſſe videatur. Ciceroni vtique inceſtum cum filia Q. Fuſius Calenus apud Dionem lib. XLVI. obiicit his verbis καὶ προσέτι καὶ τὸ ςόμα αὐτοῦ διαβάλλειν ἐπεχείρησε τοσαύτῃ ἀσελγίᾳ καὶ ἀκαθαρσίᾳ παρὰ πάντα τὸν βίον χρώμενος, ὥστε μηδὲ τῶν συγγενεστάτων ἀπέχεσθαι ἀλλὰ τήν τε γυναῖκα προαγώγευεν καὶ τὴν θυγατέρα μοιχεύειν. Quo nomine & eum Saluſtius ita inſectatur. *Verum vt opinor ſplendor domeſticus tibi animos atollit: vxor ſacrilega ac periuriis delibuta, filia matris pellex, tibi iucundior atque obſequentior quàm parenti par eſt.* Meminit Sueton. in Domitiano[6] Ocellatarum ſororum & Varonillæ Veſtalium inceſti accuſatarum. Quin fertur Philadelphus à Sotade cuiuſdem enormis cũ ſorore Arſinoë commixtionis inſimulatus cum eum diceret in foramen non iuſtum ſtimulum immittere, εἰς τρυμαλιὴν οὐχ ὁσίην τὸ κέντρον ὠθεῖν, vt meminit Plutar. de liber. educ. Prædicabat etiam Caligula, matrem ſuam ex inceſto quod Auguſtus cum filia Iulia commiſiſſet, procreatam.[7] Ac nec cum his quidem perſonis quæ vel adfinitatis ratione, parentũ liberorúmue vicem repræſentant ac ſuſtinent, iuſtæ ſunt nuptiæ. Quare nec nouercam, ne proaui noſtri vxorem, nec ſocrum, ideſt vxoris noſtræ matrem, nec eiuſdem auiam, proauiam, ducere licet.[8] Cuiuſmodi nuptias Cicero pro Cluẽtio Auito ſic exagitat. *Lectũ illum genialem quem triennio ante filiæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni expulſa atque exturbata filia iubet. Nubit genero ſocrus, auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis ominibus. O mulieris ſcelus incredibiliter præter hanc vnam in omni vita inauditum. O libidinem eff·enatam & indomitam. O audaciam ſingularem.* Narrat quidem Suet. Tiberium equiti

3. 7. *Adoptiuus* §. *ſeruiles.* D. *de ritu nupt.*
4. *L.* v.t. *D. de ritu nupt.*
5. *L ſi adulterium cum inceſtu* D. *ad L. Iul. de adulter.*
6. *cap.* 8.
7. *Sueto. in Calig. Cap.* 23.
8. *L. ſi qui mihi* §. 1. & *L. Adoptiuus* §. *nunc videamus.* L. *Ariſto* D. *de rit.* §. *Ergo Inſtit. de nupt.*

Romano iuriſiurandi gratiam feciſſe, ita vt ei liceret vxorem in ſtupro generi deprehenſam dimittere cum ſe eam num-quam repudiaturum ante iuraſſet. Planè duplicem cauſam cur nouercam vxorem ducere non liceat, Philo Iudæus in libro περὶ τῶν ἐν εἴδει reddit. διότι, ait, τελευτήσαντα τὸν πατέρα τιμῶν καὶ διότι μητρυιᾶς, καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενές ἐστιν, ἢ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς συνῳδὸν πάθος. Vnus mihi tam infauſti matrimonij cupiditate in-cenſus Imperator Antonius Caracalla occurrit, de quo Spar-tianus his verbis. *Intereſt ſcire quemadmodum nouercam ſuam Iu-lianus duxiſſe dicatur: quæ cum eſſet pulcherrima & quaſi per negli-gentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque Antoninus, vellem ſi liceret, reſpondiſſe fertur, ſi libet, licet. An neſcis te Impera-torem eſſe, & leges dare, non accipere? Quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt: nuptiáſque eas celebrauit, quaſi ſciret ſe leges dare, cum verè ſolus prohibere debuiſſet: matrem enim (non alio erat dicenda nomine) duxit vxorem: ad parricidium iunxit inceſtum.* Fertur etiam Antigonus Stratonicem Seleuci patris Arme-niæ regis vxorem, id eſt priuignus nouercam cui propinquo ſimile in epiſtolis amatoriis Ariſtaneti fictitium quoddam exemplum priuigni nouercam depereuntis. Sed nec ſocero nurus, pronurúſue rectè nubit. Socerum enim parentis locum obtinere placet.[8] Ac eiuſmodi quidem nuptias quas cum pri-uigno nouerca, cũ ſocero nurus contraxerit inceſtas ac nefa-rias eſſe nemini dubiũ eſt, cum pudori, caſtitati, verecũdię na-turali, publicæq; honeſtati tales cõiũctiones aduerſẽtur. Qui-nimo ex his cauſis inceſtum iuregẽtium admitti Papinianus ſcribit.[9] Quod quibuſdam parum conſideratè dictum vide-tur, qui pro certo ac conſtanti ponunt, inter parentes & libe-ros duntaxat iuregentium inceſtum cõmitti. Cum his verò qui ex latere veniunt, vel cum adfinibus, iure ciuili, vel mori-bus: Ipſumque adeo ſibi contrarium eſſe Papinianum perſua-dent, qui pecuniæ in huiuſmodi nuptiarũ cauſam datæ repe-titionem tribuat, quę vtique denegaretur, ſi in ſpecie hac iure gentium inceſtus admiſſus cenſeretur: quod mulieribus iuſ-gentium non æquè ac ciuile ignorante liceat. Verum ego Iu-reconſultorum coryphæum vellicari non niſi grauatè ferre poſſum. Nec enim adduci poſſum, vt credam, aliquid tãto vi-ro excidiſſe, quod à nobis, qui in illius magiſtri verba iurare

8. L. qui a parentis D. ſo-lut matr.

9. L. vlt. D. de condict. ſine cauſ.

addicti ſumus, iure notari queat. Credo itaque eius auctoritate fretus (nec vana fides) inceſtum iuregentium committi, ſi ſocero nurus, vel nouerca priuigno commiſceatur, quòd hæ perſonæ ſibi parentum ac liberorum loco ſint, vt paulò ante comprobauimus, & quòd omnium mentibus à natura inſita ratio ab huiuſmodi coniunctionibus abſtinendũ dictet. Cõfirmat noſtram immo verò Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum inceſtu committatur, vt pote cũ priuigna, nuru, nouerca, mulierem quoque ſimiliter plectendam:[1] cuius tamen impunitum eſſet facinus, ſi ſola iuris ciuilis obſeruatione tale crimen in turpibus numeraretur. Verũ cum iuris naturalis ignorantiam vitiis ſuis obtendere ac prętexere mulieres non poſſint, meritò eis eiuſmodi inceſtus, cuius turpitudinem indita diuinitus ac impreſſa ratione notã habent, pœna irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in ſpecie à Papiniano tractata: videbatur enim pecunia à muliere illiciti matrimonij nomine data repeti non poſſe, quaſi cõtra iuſgentium ac naturalem honeſtatem (cuius ignoratione excuſari nequit) data eſſet. Sed alia ratione repetitionem competere Papiniano ſubtiliter placet, quia ſcilicet matrimonij effectu non ſecuto, quod nec iure ſequi poſſit, nulla magis cauſa dotis dandæ quàm turpis interceſſerit. At viros primarios & Iuriſconſultor. huius temporis doctiſſimos concubinatum vitrici cum priuigna approbare audio, idque nomum non eſſe profiteri vt cum qua non ſit connubium, ſit concubinatus. Hoc enim ex quodam difficillimo Papiniani loco ſe recte colligere putant in l. cum tabulis ꝯ. quoniam. D. de his quæ vt ind. auf. Apageſis quæſo ab optimo doctiſſimoſq; nomotheta Papiniano tam enorme inceſtum. Porro nec patris quoque ſponſam vxorem ducere filio conceditur:[2] non magis quam patri filij ſponſam, quamuis nec illa nouerca, nec hæc nurus propriè dici poſſit. Ab earum quoque quæ in parentum concubinatu fuerint nuptiis abſtinendum, piè Imp. Alexander conſtituit.[6] Contra religionem quippe ac pudorem eſt cum ea matrimonium coire filium, quæ pudicitiam patri proſtrauerit. Sed an eadem ſit prohibito cum fratris ſponſa concubinaue meritò dubitari poteſt cum id legibus ſpecialiter cautum non inueniatur. Sed & per adoptionem

ſpecialiter

1. L. ſi adulterium cum inceſtu D. ad l. Iul. de adul.

2. l. ſi quæ 12. §. 1. de ritu nupt.

6 L. liberi C. de nupt.

quæſitarum cognationum rationem hic habendam prudentes cenſuere. Etenim matrimonio inter ſe iungi ex perſonæ non poterant, quæ per adoptionem parentum, liberorúmue loco ſibi eſſe cœpiſſent, in tantum vt etiam diſſoluta adoptione idem iuris maneret.[7] Itaque eam quę per adoptionem filia, neptiſue facta eſſet, ne poſt emancipationem quidem vxorem ducere qui quandoque adoptaſſet, poterat.[8] 7. §. Ergo Inſtit. de nupt. 8. L. Quinetiam D. de ritu nupt.

Hæc de aſcendentium, deſcendentiumque gradu. Iam, ex tranſuerſo etiam cognationis gradu quaſdam illicitas eſſe nuptias, non eſt obſcurum. Ac primum inter fratrem, ſororem prohibitas eſſe nuptias nemini dubium eſt, ſiue ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint, ſiue ab alterō eorum.[9] Æmilius Probus in proëmio lib. de vita excellent. Imperat. *Neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſiū ſūmo viro ſororē germanā in matrimonio habere At id quidē noſtris moribus nefas habetur.* Cuius tamē Cimonis facti Herodian[*] aut inſcius aut immemor, lib. I. hiſtoriar. πτολομαῖος μὲν, ait, καὶ μέχρι ἀδελφῆς ἰδίας ἔρωτος προεχώρησας, παρά τε τοὺς μακεδόνων καὶ ἑλλήνων νόμους. A Dio apud Ægyptios patrio id more receptū fuiſſe ita ſcribit,[1] de Cæſare agens. Καὶ μετὰ τοῦτο εἰς ἐκκλησίαν εἰσελθὼν τόν τε πτολομαῖον καὶ τὴν Κλεοπάτραν παρεστήσατο καὶ τὰς διαθήκας τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς ἐκεῖνος μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις κατὰ τὰ τῶν Αἰγυπτίων πάτρια καὶ βασιλεύειν ἐγέγραπτο. Romanis vtique sēper deteſtabilis & execranda talis coniunctio viſa eſt. Ideoq; inter ea quæ de Caligula non vt principe, ſed vt mōſtro, Suetonius narrat, hoc refert,[1] quod cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri cōſuetudinem fecerit, quem etiam Druſillam germanā Caſſio Longino Cōſulari collocatam abduxiſſe, & in modū iuſtæ vxoris propalam habuiſſe ſcribit. Quam eius turpitudinem nec Dio lib. lix. ſilentio prætermiſit: Eadémque ſe ac famam ſuam turpitudine fœdaſſe Othonem Xiphilinus memorat: Plutarchus autem in Parallelis ex Chryſippi lib. I. Rerum Italicar. auctor eſt Papyrium quendam Romanum amoris impatientia & ardore victum Camiliam ſororē grauidam feciſſe. Quod vbi Papyrius Tolucer cōmunis eorum pater reſciuit enſem filiæ miſit, quo puella pectus tranſfodit, eodémque leti genere ſceleſtum ac nefarium facinus

9. §. Inter ſtit. de nupt. 1. Lib. xlij. 1. Cap. xxiiij.

ſuum Papyrius deinde expiauit. Planè per adoptionem facta ſororem, adoptione ſoluta, vxorem ducere nihil vetabat. 2 Adoptione enim quęſita fraternitas eò vſque demum impediebat nuptias, quoad maneret adoptio. 3 Similitérque adoptiui patris matrem, materteram aut neptem ex filio ducere vxorem poſt emancipationem nemo impediebatur, cum in extranei cauſam emancipatione redactus eſſet. Adoptiuę vtique ſororis filia, vxor duci vel conſtāte adhuc adoptione licito iure poterat, quod ea cognata non eſſet, cum auunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum ius adiunctum habent. 4 Pari ratione alio patre natam patris ſui ſororem adoptiuam ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non eſſet. Sed & Maximianus Conſtantino per adoptionem nepoti filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici Maximiano & Conſtantino AA, dicti auctor tantū abeſt vt vituperet, vt ſummis contrà laudibus efferat, *O diuinum*, inquiens, *tuum Maximiane iudicium qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maieſtatis ordine filium, etiam generum eſſe voluiſti, diui inquam Conſtantij filium, in quem ſe prima illius iuuenta transfudit.* Quinetiā Claudius Neronem à ſe in locum filij adoptatū, cum filia ſua Octauia matrimonio iūxiſſe legitur, 5 filia tamē prius in adotionem tradita, vt in alienam familiam eo modo transferretur, ne ſoror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio perſuaſit Domitium Neronem priuignum filij loco adoptare, quem nō filium modò, ſed & generum habere voluit: verùm ne frater ſororem ducere videretur, adoptionis commento neceſſitudinis ſpecies diſſoluta eſt. Inde Iunoni Octauia à Seneca comparatur: ſic enim in Tragœdia eius nominis ſcriptum eſt.

Tu quoque terris
Altera Iuno, ſoror Auguſti
Coniunx quæ graueis vince dolores.

Et aliàs,

Fratris thalamos ſortita tenet
Maxima Iuno ſoror Auguſti
Sociata thoris.

2 L. quinetiā D. de ritu nupt.
3 L. per adoptionem D. de ritu nuptiarum.
4 L. 4. § per. in d. de ſuis & legit.
5 Dio lib. LIX.

Alio etiam loco,

Mœret infelix ſoror
Eademque coniunx.

Simili loco etiam Cicero Clodium inceſtus cum ſorore ſuſpitione laborantem in Oratione pro domo ſua proſcindit. *Sed tamen*, inquiens, *ego mihi ſororem virginem aſciſo: tu ſororẽ tuã virginem eſſe non ſiuiſti. Sed vide, ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eandem ſororem & vxorem appellare poßis.*

Enimuero fratrum ſororúmue filias vxores ducere nõ licebat.[1] Tametſi talium cõniugiorum vſum in Rempub. inuehere, Claudium Imperatorẽ Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ amore incẽſum, tentaſſe literis proditũ eſt, vt publici iuris velamẽto eius matrimonij à ſe cũ ea cõtrahendi turpitudo tegeretur. Sic enim de hoc eius incœpto Tacitus lib. XII. ſcribit. *Claudius Senatũ ingreſſus, decretũ poſtulat, quo iuſtæ inter patruos fratrumq́; filias nuptiæ etiã in poſterũ ſtatuerentur: neque tamen repertus niſi vnus talis matrimonij cupitor, Taledius Seuerus Eques Romanus.* Trãquillus in Claudio de eius nuptiis agẽs. *Verũ*, ait, *illecebris Agrippinæ Germanici fratru ſui filiæ per ius oſculi & blãditiarũ occaſiones allectus in amorẽ, ſubornauit proximo Senatu qui cogerẽt ſe ad ducendum eam vxorem, quaſi Reip. intereſſet, dandamq́; ceteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus iniuſta habebãtur. Ac vix vno interpoſito die confecit nuptias, non repertis qui ſequerentur exemplum: excepto libertino quodam & altero primipilari.* Zonaras in Claudio, etiam Senatuſconſulto huiuſmodi nuptiarũ ius ſancitũ fuiſſe in eius principis gratiam tradit, auctoréque Vitellio Senatũ, Claudiũ ad Agrippinam vxorẽ ducendam adegiſſe. ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βουλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. Inde Seneca in libro ioculari de eius Imperatoris morte, *Vt Romæ*, ait, *ſacra eſſent quibus ipſe, cũ ſibi Agrippina nuberet, XXX. Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis mactatis, principium dedit.* Hũc pertinent & hi, quos ſubiungam, Senecæ ex Octauia verſus, quibus nutrix Octauiam Claudij filiam ita adfatur.

1. L. nemini C. de nup. L. vltim. C. d. inceſt. nupt. §. fratris Inſtit. de nuptiis.

Fruſtra parentis inuocas Manes tui
Miſeranda, fruſtra: nulla cui prolis ſuæ
Manet inter vmbras cura: qui nato ſuo

Præferre potuit ſanguine alieno ſatum
Genitámque fratris coniugem captus ſibi
Toris nefandis flebili iunxit face.

Nec tamen tam mali exempli nuptiæ impoſterum frequentarentur, Nerua vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Id quod Xiphilinus in Nerua tradit, his verbis, ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαι τινά, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. Etenim ne de nominis vi ac poteſtate dubitetur, quod idem auctor de Hadriano. Τραϊανοῦ, ait, ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει, Ælius Spartianus ait, *Traiani per ſororẽ neptẽ eum vxorem accepiſſe*. Et Pollux lib. VIII. Onomaſtic. & Heſychius & Moſchopul⁹ ἐν συλλογῇ ἀττικῶν ὀνομάτ. ἀδελφιδοῦς. aiũt, ὁ ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς υἱὸς καὶ θυγατὴρ αὐτῶν ἀδελφιδῆ. Porrò illam Neruæ conſtitutionem Zonaras, Tomo II. Annal. ita refert, οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μή τινα παιδογόνα μόρια παρὰ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι μήτε μὴν ἄγεσθαι πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν. Domitianum tamen nõ puduiſſe cum Iulia fratris filia, tamquam cum vxore palam verſari Suetonius & Xiphilinus memoriæ prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitioſa libidine incitatum Heraclium Imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitiique quo laborauit, quàm ob illicitam cum fratris filia coniunctionem accidiſſe, vulgò creditum, Zonaras his verbis ſcribit. λέγεται δὲ καὶ τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ στρεφόμενον ἄνω τὸ οὖρον πέμπειν καὶ εἰ μὴ σανὶς ἐν τῷ ἤτρῳ αὐτοῦ ἐτίθετο, κατὰ τοῦ προσώπου αὐτοῦ τὸ ἐκκρινόμενον ἀνεδίδοτο, ὃ συμβαίνειν ἐδόκει διὰ τὴν ἄθεσμον μίξιν τῆς ἀδελφόπαιδος. Acerbiſſimè verò huius generis nuptias vt inceſtas & nefarias Impp. Anaſtaſius & Zeno Cõſtitutionibus ſuis damnarunt. In quas etiam B. Ambroſius. lib. VIII. Epiſtol. ita inuehitur. *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, hoc eſt, vt accipiat ſororis ſuæ filiam, diuerſa licet matre quàm ſocrus editus: Interroga nominum religionem. Nempe auunculus iſte illius, illa huius neptis vocatur: nec ipſe te reuocat ſonus nominum, cum hic auum reſonet illa hoc nomen ad auunculum quod ad auũ referat.* Et mox, *Quid eſt quod dubitari queat, cum Lex diuina etiam patrueles fratres prohibeat conuenire, qui ſibi quarto ſociãtur gradu? Huiuſmodi autẽ gradus tertius eſt, qui etiam iure Ciuili à conſortio coniugij exceptus videtur.* Sed nec in concubinatu quidẽ haberi ſororis filia, licet libertina, abſque inceſti crimine potuit. 3 Non modo autem fratris aut ſororis

3 L. etiam D. de ri. nupt.

filiam verumetiam neptem proneptémue ducere non licet.[4] An autem mortuorum fratrum coniuges, fratribus superſtitibus ducere licuerit, quæri poteſt. Sane eam quæ in manum fratris cõuenerit, diſſolutis ſeu morte ſeu repudio nuptiis duci citra inceſti crimen non poſſe Imperatorũ conſtitutionibꝰ cauetur.[5] Quamquam non deſunt aliquot in Romana hiſtoria eiuſmodi matrimoniorum exẽpla. Lucius enim Tarquinius cui poſt regnum ſcelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu quæ Arũti fratri nũpſerat, Arunte veneno ab ea ſublato, cum ipſe coniugẽ quoque ſuam eodem genere interemiſſet, duxit. Quod nefariũ eius factum Dionyſ. Halicarnaſ. lib. iiii. duobus locis refert, quorum vtrumque, vel ea præcipue de cauſa vt ſi qua ineſt in verbis aut obſcuritas, aut deprauatio, adhibita explanatione, emendationéue tollatur, ſubiungam. Prior ſic habet. τοιαῦτα τῆς τυλλίας λεγούσης ἀσμένως δέχεται τὰς αἱρέσεις ὁ ταρκύνιος. καὶ αὐτίκα δή. αὐτῇ πίστεις καὶ λαβὼν τὰ προτόλεια τῶν ἀνοσίων γάμων καὶ διαπραξάμενος ἀπέρχεται. διελθόντος δὲ οὐ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου, τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν ἥ τε πρεσβυτέρα τῶν τυλλίου θυγατέρων καὶ ὁ νεώτερος τῶν ταρκυνίων. Et mox. μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας ὁ ταρκύνιος, ἀπάγεται γυναῖκα τὴν τυλλίαν. In quibus verbis obſcuritas nulla eſt quæ lectorẽ vel mediocriter literis Græcis tinctum morari poſſit, præterquã in voce πρωτόλεια, cuius ſcripturam corruptam eſſe fortè ſuſpicabitur qui apud Suidam leget προτέλεια à Lycurgo ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας, appellari τὰ πρὸ τοῦ τελεσθῆναι τι τῶν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γινόμενα ἢ διδόμενα. προτέλεια inſuper, vt & Pollux lib. iii Onomaſt. ſcribit appellatũ eum diem, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν γαμουμένην παρθένον ἄγουσιν οἱ γονεῖς εἰς τὴν θεὸν καὶ θυσίας ἐπιτελοῦσιν. Et certè pro quolibet auſpicio, initio, primordio, verbũ hoc Græci vſurpãt. Lucianus in Dialogo, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, ἄρξομαι δ' ἀπὸ τοῦ πρώτου, δείπνου ἣν δέῃ ὅ σε εἰκὸς. δειπνήσειν τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας. Gregorius etiam Nyſſenus Lazari à mortuis excitationem, οἱονεὶ τὰ προτέλεια τῆς καθολικῆς ἀναστάσεως. vocat Cum verò verbum hoc primitias ſignificet, nemo dubitabit erratũ eſſe in Heſychii codicibus in quibus legitur προτολεῖον ὑπάρχον. Eſt enim emendãdum προτελείων, ἀπαρχῶν. Verum in eodem ſignificato vocẽ

4. §. fratris Inſtit de nupt. L. ſororis D. de ritu nupt.

5 L. Nemini & l. vlt. C. de nupt. L. fratris C. de inceſt. nupt. l. 1 & 3. de Inceſt. nupt in cod. Th.

BIBLIOT. ROMA. VITTORIO EMANUELE

quoque πρωτόλειον à Græcis vſurpari obſeruaui. Suidas. πρωτόλεια, ἡ πρώτη λεία, τὰ περὶ τῶν λῃίων ἐξαίρετα. Idem πρωτόλειον, ἀπαρχὴν, interpretatur Heſychius etiam πρωτόλεια ἁρπάγματα, πρωτόλειον ἀπαρχή. In Etymologico quoque πρωτόλεια exponuntur eſſe τὰ πρῶτα τῶν λῃίων καὶ τῶν τοῦ πολέμου λαφύρων ἐξαίρετα καὶ πρώτιστα. ἀπὸ τοῦ εἰώθασιν οἱ πρώτιστοι λαμβάνειν, οἷον ἡ Χρυσηὶς ἐδόθη τῷ Ἀγαμέμνονι καὶ ἡ Βρυσηὶς τῷ Ἀχιλλεῖ. δηλοῖ δὲ τὰς ἀπαρχάς. Vtramuis ergo lectionem ſequare, ſenſus conſtabit, eũque locũ ſic fidus interpres Gelenius reddidit. Delibato inceſtarum nuptiarum fructu abiit. Alter eiuſdem Halicarnaſſei in quo de inceſtis Tarquinii & Tulliæ nuptiis fit mẽtio locus, ita habet. ἀλλ' εὐθὺς ἅμα τῷ αὐτὰ διαπράξασθαι τὰ θαυμαστὰ ἔργα, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς ὑποδεξαμένας τὰ δύστηνα σώματα πυράς, φίλους εἱστία καὶ γάμους ἐπετέλει καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ἐπὶ τὸν τῆς ἀδελφῆς θάλαμον ἤγετο, τὰς ἀπορρήτους περὶ αὐτὴν ἐμπεδῶν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγιστα καὶ οὔτε Ἑλλάδος οὔτε βαρβάρου γῆς οὐδαμόθι γινόμενα πρῶτος εἰς τὴν ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγὼν καὶ μόνος. Quem totum locum ſic Gelenius Latino ſermoni tradidit. Hic eſt ille Tarquinius, Quirites, qui nondũ princeps fratrem germanum quia malus eſſe nolebat, veneno ſuſtulit aſſumpta ipſius vxore in ſocietatem eius ſceleris, ſuæ coniugis germanæ, quam Diis inuiſus adulterio iã ante corruperat. Hic vxorem pudicam matronam & communium liberorum parentem eodem veneno eodem tempore necauit: ac ne paululum quidem lugubri ſpecie diſſimulauit vtrumque veneficiũ, ſed confeſtim poſt perpetrata hæc egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis, qui miſera illa corpora exceperãt, ipſe amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidã ſponſam in ſororis thalamũ ex pacto nefario, primus ac ſolus inducens in hãc vrbẽ morẽ impiũ & apud omnes Græcas ſimul atq; Barbaras nationes abominabilẽ. Sed quid ea quæſo, verba ſignificãt πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς πυράς. Equidem, ne diutius lectorẽ teneam, adfirmare non dubitabo legendum eſſe πρὶν ἢ μαρανθῆναι, quod idem valet atque παύσασθαι καὶ σβέσασθαι, id eſt, ante extinctas pyræ flammas. Quo loquendi genere Homerus vſus eſt Illiàd. lib. 10.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

vbi Euſtathi9. Obſerua, ait, τὸ ἐμαράνθη λεχθὲν ἐπὶ σβέσεως φλο-

γος. Et mox: φλογὸς, inquit ille, μαρανθείσης ἀπομένει ἀνθράκια. Ariſtoteles vero in libro περὶ νεότητος καὶ γήρως inter μάρανσιν & σβέσιν differentiam facit, ἀλλὰ μὴν, ait, πρὸ γε δύο ὁρῶμεν φθοράς, μάρανσίν τε καὶ σβέσιν. τὴν μὲν γῆρας, τὴν δὲ βίαιον. Rurſus quis eſt ſenſus horum Halicarnaſſei verborum ἐπιδὼν ὁμολογίας; Et hic quoque, vt breue id faciā, mendum eſt, legēdum; ἐμπεδῶν, id eſt firmās, ſtabiliens, vt ſit ſenſus, illicitas nefadaſque cum ea iungēs pactiones. Heſychius enim ἐμπεδοῖ interpretatur βεβαιοῖ, πιστοῦται, ἀσφαλίζεται. Vt autem ad ipſam hiſtoriam redeam, Liuius lib. 1. ab. v. c. eaſdem nuptias breuiter nec, niſi adhibita fuſiori Halicarnaſſei narratione, perſpicuè ita perſtringit A ūs, inquit, *Tarquinius & Tullia minor* (Sic enim ex Halicarnaſſeo emendo) *prope continuatis funeribus cum domos vacuas nouo matrimonio feciſſent, iunguntur nuptiis, magis non prohibēte Seruio quàm approbante.* Nam verbum hoc *iunguntur*, nō ad Aruntem & Tulliam maiorem, ſed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem de quibus ante egerat, referri placet. Ceterū etiam Marcum Craſſum fratris defuncti vxorem duxiſſe, & quos habuit liberos, ex ea ſuſcepiſſe eum, nec in aliquam factum hoc reprehenſionem incurriſſe, Plutarchus in eius vitę initio ſcribit. Quod cum mirum quibuſdam videatur, verbū συνοικεῖν, quo Plutarchus in ea hiſtoria referenda vtitur, interpretatione quæ menti planè auctoris repugnat, ad nudā cohabitationem, vt & τὸ, παῖδας ἔσχεν, ad puerorum eius educationem, deflectere nituntur. Sed quam aliam Craſſus, quem minimè cœlibem vitā duxiſſe imò verò iuſtos liberos ſuſtuliſſe, ex lib. v. Epiſtolar. familiariū Ciceronis, & ex eodē Plutar. in Cicerone, cōſtat, vxorē duxerit, legere non memini. Nā alterius Plutarchus, cui vſitatum eſt ipſo limine cuiuſq; genus, familiam, coniugium narrare, non meminit, & verbū συνοικεῖν de nuptiali coniunctione paſſim nō apud Plutarchū modò ſed & reliquos Græcos auctores accipi, tam certum eſt quàm quòd certiſsimū, vt teſtimonia proferre putidæ ſit futurum diligentiæ. Atque adeo vetuſtum & antiquitate ipſa ſpectabilem ex inſigni Reginæ bibliotheca manuſcriptū Plutarchi codicē exhibuit mihi egregius ille Antiſtes qui nobis incredibili felicitate Plutarchum Gallicè loquentē reddidit, in cuius margine ad eum locum fugientibus iā literis adno-

tatum eſt, Craſſum vxorẽ fratris duxiſſe, vt proinde temerè mutanda non ſint quæ certam ſemper & conſtantem interpretationem habuere. His accedere & Apuleii ex Apologia pro ſeipſo ſecũda, aliud exẽplũ velim, quo cum viri mortui fratre Prudentillã tabulas nuptiales feciſſe narrat. Quod nõ poſſet aptius quàm ipſiſmet auctoris verbis referri. Sic autẽ habent. *Æmilia Pudẽtilla, quæ nunc mihi vxor eſt, ex quodã Sicinio Amico, qui cum antea nupta fuerat, Pontianũ & Pudentẽ filios genuit, eóſque pupillos in poteſtate aui relictos paterni (nã ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate ſedulò aluit. Non tamen libenter in ipſo ætatis ſuæ flore tãdiu vidua, ſed puerorum auus, inuitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo Sicinio Claro, eóque cæteros procos abſterrebat, & præterea minabatur ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis eius ex paternis eorum bonis teſtamẽto relicturũ. Quã conditionem cũ obſtinatè propoſitã videret mulier ſapiens, & egregiè pia, ne quid filiis ſuis eo nomine incõmodaret, facit quidẽ tabulas nuptiales, cum quo videbatur, cũ Sicinio Claro. Verumenimuero vanis fruſtrationibus nuptias eludit, eo ad dum puerorũ auus fato conceſſit relictis filiis eius heredibus, ita vt Pontianus, qui maior natu erat, fratri ſuo, tutor eſſet.* Hæc ille. Huiuſmodi certe matrimonia, vt ſupra citatis Impp. Conſtitutionibus ita Concilii Neocæſarienſis. I. Canone ſecundo & Agathenſis cano. XI. interdicta. Tertullian. lib. IV. aduerſus Marciõ de Iohanne. Is enim, ait, retundens Herodem quod aduerſus legem fratris ſui defuncti vxorem duxiſſet, habentis filiam ex ea, coniectus in carcerem fuerat & ab eodem poſtmodũ occiſus. Si ergo quoniam in lege præcipitur, vt quis fratris ſui vxorem ſine liberis defuncti, in matrimonium adſumat, ad ſuſcitandum fratri ſuo ſemen, idque ſæpius euenire in vnam perſonã poteſt, ſecũdum callidam illam quæſtionem Sadducæorum, ideo & aliâs putant eam permiſſam frequentiam nuptiarum. Intelligere primo debebunt rationem ipſius præcepti, & ita ſciẽt illã rationẽ iã ceſſantẽ, ex eis quę euacuata ſint. Neceſſario nãque ſuccedendũ erat in matrimonium fratris ſine liberis defuncti, primum quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat: Creſcite & redundate, dehinc quoniam patrum delicta etiam de filiis exigebantur, tertio quoniam ſpadones & ſteriles ignominioſi habebantur. Itaque ne proinde male-

maledicti iudicarentur, qui non naturæ reatu & mortis præuentu orbi deceſſiſſent, ideo illis ex ſuo genere vicaria & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur. At vbi Creſcite & redundate euacuauit extremitas temporum, inducente Apoſtolo, ſupereſt vt & qui habent vxores, ſic ſint ac ſi non habeant, quia tempus in collecto eſt, & deſiit vua acerba à patribus manducata filiorum dentes obſtupefacere (vnuſquiſque enim in ſuo delicto morietur) & ſpadones non tantum ignominia caruerunt, verum & gratiam meruerunt inuitati in regna cœlorum, ſepulta lege ſuccedendi in matrimonium fratris, contrarium eius obtinuit non ſuccedendi in matrimonium fratris.[6] Quinetiam cum Ægyptiorum quidam mortuorum fratrum coniuges matrimonio ſibi copularent hoc colore, quod virgines manſiſſe dicerentur, fortè profecto à Iudæis more, apud quos fratre mortuo abſque liberis fratrem ſuperſtitem ſobolem excitare lege præcipiebatur, Zeno eas nuptias, & qui eas contraxiſſet & inde ſuſceptos liberos inceſtarum nuptiarũ pœnis ſubiacere voluit.[7] Titum plane Imperatorem animam agentem vnius dũtaxat peccati pœnitere ſe teſtatum eſſe Xiphilinus refert. Conieciſſe autẽ quoſdam id eſſe, quòd Domitiani fratris vxorem in delitiis habuiſſet. Vxoris etiam ſororem ducendi, & ſic duabus ſororibus coniungendi licentiam, diſſoluto quoquomodò coniugio Impp. Val. Theod. & Arcad. ſubmouerunt.[8] Honorius tamen Imp. duas Stiliconis filias, vnam poſt alteram in matrimonio habuiſſe fertur. Sed quàm infelix fuerit vtriuſque matrimonii exitus, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Ex neutra enim liberos ſuſcepit, mortéque immatura vtraque obiit, vt Zonaras Tomo iii. Annalium his verbis narrat. ἄγεται, ait, de Honorio loquens, τοίνυν τὴν Στιλικῶνος θυγατέρα Μαρίαν εἰς γαμετὴν ἧς θανούσης λέγεται τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Θερμαντίαν γῆμαι ἐν ἁπαλῇ τυγχάνουσαν ἡλικίᾳ κἀκείνη δὲ ταχὺ ἐτελεύτησεν. Marcellinus comes in Chronico, *Stilico comes, cuius duæ filiæ Maria & Tharmantia, ſingulæ vxores Honorii principis fuere, vtraque tamen virgo defuncta, ſpreto Honorii regno, regnum inhians,* & quę ſequũtur. Paul. Diaconus lib. xiiii. Appendicis ad Eutropium. *Et ait, ſoboles nulla fuit nam duæ Stiliconis filiæ, id eſt, Maria & Tharmantia,* (Sic enim

6. L. fratris & L. vlt. C. de inceſt. nupt. L. Nemini C. de nupt. L. 1. & L. 3. de inceſt. nupt in C. Th.

7. L. licet. C. de inceſt. nuptiis.

8. L. fratris C. de inceſt. nuptiis.

addicti ſumus, iure notari queat. Credo itaque eius auctoritate fretus (nec vana fides) inceſtum iuregentium committi, ſi ſocero nurus, vel nouerca priuigno commiſceatur, quòd hæ perſonæ ſibi parentum ac liberorum loco ſint, vt paulò ante comprobauimus, & quòd omnium mentibus à natura inſita ratio ab huiuſmodi coniunctionibus abſtinendũ dictet. Cõfirmat noſtram immo verò Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum inceſtu committatur, vt pote cũ priuigna, nuru, nouerca, mulierem quoque ſimiliter plectendam: 1 cuius tamen impunitum eſſet facinus, ſi ſola iuris ciuilis obſeruatione tale crimen in turpibus numeraretur. Verũ cum iuris naturalis ignorantiam vitiis ſuis obtendere ac prętexere mulieres non poſſint, meritò eis eiuſmodi inceſtus, cuius turpitudinem indita diuinitus ac impreſſa ratione notã habent, pœna irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in ſpecie à Papiniano tractata: videbatur enim pecunia à muliere illiciti matrimonij nomine data repeti non poſſe, quaſi cõtra iuſgentium ac naturalem honeſtatem (cuius ignoratione excuſari nequit) data eſſet. Sed alia ratione repetitionem competere Papiniano ſubtiliter placet, quia ſcilicet matrimonij effectu non ſecuto, quod nec iure ſequi poſſit, nulla magis cauſa dotis dandæ quàm turpis interceſſerit. At viros primarios & Iuriſconſultor. huius temporis doctiſſimos concubinatum vitrici cum priuigna approbare audio, idque nomum non eſſe profiteri vt cum qua non ſit connubium, ſit concubinatus. Hoc enim ex quodam difficillimo Papiniani loco ſe rectè colligere putant in l. cum tabulis ꝟ. quoniam. D. de his quæ vt ind. auf. Apageſis quæſo ab optimo doctiſſimoſq; nomotheta Papiniano tam enorme inceſtum. Porro nec patris quoque ſponſam vxorem ducere filio conceditur: 2 non magis quam patri filij ſponſam, quamuis nec illa nouerca, nec hæc nurus propriè dici poſſit. Ab earum quoque quæ in parentum concubinatu fuerint nuptiis abſtinendum, piè Imp. Alexander conſtituit. 6 Contra religionem quippe ac pudorem eſt cum ea matrimonium coire filium, quæ pudicitiam patri proſtrauerit. Sed an eadem ſit prohibito cum fratris ſponſa concubinaue meritò dubitari poteſt cum id legibus ſpecialiter cautum non inueniatur. Sed & per adoptionem

ſpecialiter

1. L. ſi adulterium cum inceſtu D. ad l. Iul. de adul.

2. l. ſi qua 12. §. 1. de ritu nupt.

6 L. liberi C. de nupt.

quæſitarum cognationum rationem hic habendam prudentes cenſuere. Etenim matrimonio inter ſe iungi eæ perſonæ non poterant, quæ per adoptionem parentum, liberorúmue loco ſibi eſſe cœpiſſent, in tantum vt etiam diſſoluta adoptione idem iuris maneret.[7] Itaque eam quę per adoptionem filia, neptíſue facta eſſet, ne poſt emancipationem quidem vxorem ducere qui quandoque adoptaſſet, poterat.[8] 7. §. Ergo Inſtit. de nupt. 8. L. Quinetiam D. de ritu nupt.

Hæc de aſcendentium, deſcendentiumque gradu. Iàm, ex tranſuerſo etiam cognationis gradu quaſdam illicitas eſſe nuptias, non eſt obſcurum. Ac primum inter fratrem, ſororem prohibitas eſſe nuptias nemini dubium eſt, ſiue ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint, ſiue ab alterō eorum.[9] Æmilius Probus in proœmio lib. de vita excellent. Imperat. *Neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſiũ ſũmo viro ſororẽ germanã in matrimonio habere. At id quidẽ noſtris moribus nefas habetur.* Cuius tamẽ Cimonis facti Herodian’ aut inſcius aut immemor, lib. 1. hiſtoriar. πτολεμαῖος μὲν, ait, καὶ μέχρι ἀδελφῆς ἰδίας, ἔρωτος προεχώρησας, παρά τε τοὺς μακεδόνων καὶ ἑλλήνων νόμους. A Dio apud Ægyptios patrio id more receptũ fuiſſe ita ſcribit,[1] de Cæſare agens. Καὶ μετὰ τοῦτο εἰς ἐκκλησίαν εἰσελθὼν τόν τε πτολεμαῖον καὶ τὴν Κλεοπάτραν παρεστήσατο καὶ τὰς διαθήκας τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς ἐκείνους μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις κατὰ τῶν Αἰγυπτίων τὰ πάτρια καὶ βασιλεύειν ἐγέγραπτο. Romanis vtique sẽper deteſtabilis & execranda talis coniunctio viſa eſt. Ideoq; inter ea quæ de Caligula non vt principe, ſed vt mõſtro, Suetonius narrat, hoc refert,[1] quod cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri cõſuetudinem fecerit, quem etiam Druſillam germanã Caſſio Longino Cõſulari collocatam abduxiſſe, & in modũ iuſtæ vxoris propalam habuiſſe ſcribit. Quam eius turpitudinem nec Dio lib. lix. ſilentio prætermiſit: Eadémque ſe ac famam ſuam turpitudine fœdaſſe Othonem Xiphilinus memorat: Plutarchus autem in Parallelis ex Chryſippi lib. 1. Rerum Italicar. auctor eſt Papyrium quendam Romanum amoris impatientia & ardore victum Camiliam ſororẽ grauidam feciſſe. Quod vbi Papyrius Tolucer cõmunis eorum pater reſciuit enſem filiæ miſit, quo puella pectus tranſfodit, eodémque leti genere ſceleſtum ac nefarium facinus

9. §. Inter Inſtit. de nupt.
1. Lib. xlij.
1. Cap. xxiv.

ſuum Papyrius deinde expiauit. Planè per adoptionem facta ſororem, adoptione ſoluta, vxorem ducere nihil vetabat. 2 Adoptione enim quęſita fraternitas eò vſque demum impediebat nuptias, quoad maneret adoptio. 3 Similitérque adoptiui patris matrem, materteram aut neptem ex filio ducere vxorem poſt emancipationem nemo impediebatur, cum in extranei cauſam emancipatione redactus eſſet. Adoptiuę vtique ſororis filia, vxor duci vel conſtãte adhuc adoptione licito iure poterat, quod ea cognata non eſſet, cum auunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum ius adiunctum habent. 4 Pari ratione alio patre natam patris ſui ſororem adoptiuam ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non eſſet. Sed & Maximianus Conſtantino per adoptionem nepoti filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici Maximiano & Conſtantino A A, dicti auctor tantũ abeſt vt vituperet, vt ſummis contrà laudibus efferat, O *diuinum*, inquiens, *tuum Maximiane iudicium qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maieſtatis ordine filium, etiam generum eſſe voluiſti, diui inquam Conſtantij filium, in quem ſe prima illius iuuenta transfudit.* Quinctiã Claudius Neronem à ſe in locum filij adoptatũ, cum filia ſua Octauia matrimonio iũxiſſe legitur, 5 filia tamẽ prius in adotionem tradita, vt in alienam familiam eo modo transferretur, ne ſoror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio perſuaſit Domitium Neronem priuignum filij loco adoptare, quem nõ filium modò, ſed & generum habere voluit: verùm ne frater ſororem ducere videretur, adoptionis commento neceſſitudinis ſpecies diſſoluta eſt. Inde Iunoni Octauia à Seneca comparatur: ſic enim in Tragœdia eius nominis ſcriptum eſt.

Tu quoque terris
Altera Iuno, ſoror Auguſti
Coniunx quæ graueis vince dolores.

Et aliàs,

Fratris thalamos ſortita tenet
Maxima Iuno ſoror Auguſti
Sociata thoris.

2 L. quinctiã D. de ritu nupt.
3. L. per adoptionem D. de ritu nuptiarum.
4. L. 4. §. penult. d. de ſuis & legit.
5. Dio lib. LIX.

Alio etiam loco,

Mœret infelix ſoror
Eademque coniunx.

Simili ioco etiam Cicero Clodium inceſtus cum ſorore ſuſpitione laborantem in Oratione pro domo ſua proſcindit. *Sed tamen, inquiens, ego mihi ſororem virginem aſciſo: tu ſororē tuā virginem eſſe non ſiuiſti. Sed vide, ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eandem ſororem & uxorem appellare poßis.*

Enimuero fratrum ſororúmue filias vxores ducere nō licebat.[1] Tametſi talium cōniugiorum vſum in Rempub. inuehere, Claudium Imperatorē Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ amore incēſum, tentaſſe literis proditū eſt, vt publici iuris velamēto eius matrimonij à ſe cū ea cōtrahendi turpitudo tegeretur. Sic enim de hoc eius incœpto Tacitus lib. xii. ſcribit. *Claudius Senatū ingreſſus, decretū poſtulat, quo iuſtæ inter patruos fratrumq́; filias nuptiæ etiā in poſterū ſtatuerentur: neque tamen repertus niſi vnus talis matrimonij cupitor, Taledius Seuerus Eques Romanus.* Trāquillus in Claudio de eius nuptiis agēs. *Verū, ait, illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ per ius oſculi & blāditiarū occaſiones allectus in amorē, ſubornauit proximo Senatu qui cogerēt ſe ad ducendum eam vxorem, quaſi Reip. intereſſet, dandamq́; ceteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus iniuſta habebātur. Ac vix vno interpoſito die confecit nuptias, non repertis qui ſequerentur exemplum: excepto libertino quodam & altero primipilari.* Zonaras in Claudio, etiam Senatuſconſulto huiuſmodi nuptiarū ius ſancitū fuiſſe in eius principis gratiam tradit, auctoréque Vitellio Senatū, Claudiū ad Agrippinam vxorē ducendam adegiſſe. ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βουλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι γαμεῖν ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. Inde Seneca in libro ioculari de eius Imperatoris morte, *Vt Romæ, ait, ſacra eſſent quibus ipſe, cū ſibi Agrippina nuberet, xxx. Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis mactatis, principium dedit.* Hūc pertinent & hi, quos ſubiungam, Senecæ ex Octauia verſus, quibus nutrix Octauiam Claudij filiam ita adfatur.

Fruſtra parentis inuocas Manes tui
Miſeranda fruſtra: nulla cui prolis ſuæ
Manet inter vmbras cura: qui nato ſuo

[1] L. nemini C. de nup. L. vltim. C. d. inceſt. nupt. §. fratris Inſtit. de nuptiis.

Præferre potuit ſanguine alieno ſatum
Genitámque fratris coniugem captus ſibi
Toris nefandis flebili iunxit face.

Nec tamen tam mali exempli nuptiæ impoſterum frequentarentur, Nerua vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Id quod Xiphilinus in Nerua tradit, his verbis, ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. Etenim ne de nominis vi ac poteſtate dubitetur, quod idem auctor de Hadriano. Τραϊανοῦ, ait, ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει, Ælius Spartianus ait, *Traiani per ſororē neptē eum vxorem ſuſcepiſſe.* Et Pollux lib. VIII. Onomaſtic. & Heſychius & Moſchopul⁹ ἐν συλλογῇ ἀττικῶν ὀνομάτ. ἀδελφιδοῦς, aiũt, ὁ ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς υἱὸς καὶ θυγάτηρ αὐτοῦ ἀδελφιδῆ. Porrò illam Neruæ conſtitutionem Zonaras, Tomo II. Annal. ita refert, οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μή τινα παιδὸς ἄρρενα μόριον ἐκτέμνεσθαι, μήτε μὴν ἄγεσθαι πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν. Domitianum tamen nō puduiſſe cum Iulia fratris filia, tamquam cum vxore palam verſari Suetonius & Xiphilinus memoriæ prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitioſa libidine incitatum Heraclium Imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitiique quo laborauit, quàm ob illicitam cum fratris filia coniunctionem accidiſſe, vulgò creditum, Zonaras his verbis ſcribit. λέγεται δὲ καὶ τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ στρεφόμενον ἄνω τὸ οὖρον πέμπειν καὶ εἰ μὴ σανὶς ἐν τῷ ἰξῷ αὐτοῦ ἐτίθετο, κατὰ τοῦ προσώπου αὐτοῦ τὸ ἐκκρινόμενον ἐνεδίδοτο, ὃ συμβαίνειν ἐδόκει διὰ τὴν ἄθεσμον μίξιν τῆς ἀδελφόπαιδος. Acerbiſſimè verò huius generis nuptias vt inceſtas & nefarias Impp. Anaſtaſius & Zeno Cōſtitutionibus ſuis damnarunt. In quas etiam B. Ambroſius. lib. VIII. Epiſtol. ita inuehitur. *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, hoc eſt, vt accipiat ſororis ſuæ filiam, diuerſa licet matre quàm ſocrus editus:* Interroga *nominum religionem. Nempe auunculus iſte illius, illa huius neptis vocatur: nec ipſe te reuocat ſonus nominum, cum hic auum reſonet illa hoc nomen ad auunculum quod ad auū referat.* Et mox, *Quid eſt quod dubitari queat, cum Lex diuina etiam patrueles fratres prohibeat conuenire, qui ſibi quarto ſociātur gradu? Huiuſmodi autē gradus tertius eſt, qui etiam iure Ciuili à conſortio coniugij exceptus videtur.* Sed nec in concubinatu quidē haberi ſororis filia, licet libertina, abſque
3. L. etiam D. de rit. nupt. inceſti crimine potuit. 3 Non modo autem fratris aut ſororis

filiam verumetiam neptem proneptémue ducere non licet.4 An autem mortuorum fratrum coniuges, fratribus ſuperſtitibus ducere licuerit, quæri poteſt. Sanè eam quæ in manum fratris côuenerit, diſſolutis ſeu morte ſeu repudio nuptiis duci citra inceſti crimen non poſſe Imperatorũ conſtitutionib9 cauetur.5 Quamquam non deſunt aliquot in Romana hiſtoria eiuſmodi matrimoniorum exẽpla. Lucius enim Tarquinius cui poſt regnum ſcelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu quæ Arũti fratri nũpſerat, Arunte veneno ab ea ſublato, cum ipſe coniugẽ quoque ſuam eodem genere interemiſſet, duxit. Quod nefariũ eius factum Dionyſ. Halicarnaſ. lib. iiii. duobus locis refert, quorum vtrumque, vel ea præcipue de cauſa vt ſi qua ineſt in verbis aut obſcuritas, aut deprauatio, adhibita explanatione, emendationéue tollatur, ſubiungam. Prior ſic habet. τοιαῦτα τῆς τυλλίας λεγούσης ἀσμένως δεξάμενος τὰς αἱρέσεις ὁ ταρκύνιος, καὶ αὐτίκα δοὺς αὐτῇ πίστεις καὶ λαβὼν τὰ πρωτόλεια τῶν ἀνοσίων γάμων καὶ διαπραξάμενος ἀπέρχεται. διελθόντος δὲ οὐ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου, τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν ἥ τε πρεσβυτέρα τῶν τυλλίου θυγατέρων καὶ ὁ νεώτερος τῶν ταρκυνίων. Et mox. μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας ὁ ταρκύνιος, ἀπάγεται γυναῖκα τὴν τυλλίαν. In quibus verbis obſcuritas nulla eſt quæ lectorẽ vel mediocriter literis Græcis tinctum morari poſſit, præterquã in voce πρωτόλεια, cuius ſcripturam corruptam eſſe fortè ſuſpicabitur qui apud Suidam leget προτέλεια à Lycurgo ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας, appellari τὰ πρὸ τοῦ τελεσθῆναι τι τῶν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γινόμενα ἢ διδόμενα. προτέλεια inſuper, vt & Pollux lib. iii Onomaſt. ſcribit appellatũ eum diem, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν γαμουμένην παρθένον ἄγουσιν οἱ γονεῖς εἰς τὴν θεὸν καὶ θυσίας ἐπιτελοῦσιν. Et certè pro quolibet auſpicio, initio, primordio, verbũ hoc Græci vſurpãt. Lucianus in Dialogo, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, ἄρξομαι δ' ἀπὸ τοῦ πρώτου, δείπνου ἣν δέχῃ ὁ σὲ εἰκὸς δειπνήσειν τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας. Gregorius etiam Nyſſenus Lazari à mortuis excitationem, οἱονεὶ τὰ προτέλεια τῆς καθολικῆς ἀναστάσεως. vocat Cum verò verbum hoc primitias ſignificet, nemo dubitabit erratũ eſſe in Heſychii codicibus in quibus legitur προτολεῖον ὑπάρχον. Eſt enim emendãdum προτελείων, ἀπαρχῶν. Verum in eodem ſignificato vocẽ

4. §. fratris Inſtit de nupt. L. ſororis D. de ritu nupt.

5 L Nemini & l. vlt. C. de nupt. L. fratris C. de inceſt. nupt. l. 1 & 3. de Inceſt. nupt in cod. Th.

BIBL. ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

quoque πρωτόλειον à Græcis vſurpari obſeruaui. Suidas. πρωτόλεια, ἡ πρώτη λεία, τὰ περὶ τῶν λῃῶν ἐξαίρετα. Idem πρωτόλειον, ἀπαρχὴν, interpretatur Heſychius etiam πρωτόλεια ἁρπάγματα, πρωτόλειον ἀπαρχή. In Etymologico quoque πρωτόλεια exponuntur eſſe τὰ πρῶτα τῶν λῃῶν καὶ τῶν τοῦ πολέμου λαφύρων ἐξαίρετα καὶ πρώτιστα. ἅπερ εἰώθασιν οἱ πρώτιστοι λαμβάνειν, οἷον ἡ χρυσηῒς ἐδόθη τῷ Ἀγαμέμνονι καὶ ἡ βρισηῒς τῷ Ἀχιλλεῖ. δηλοῖ δὲ τὰς ἀπαρχάς. Vtramuis ergo lectionem ſequare, ſenſus conſtabit, cũque locũ ſic fidus interpres Gelenius reddidit. Delibato inceſtarum nuptiarum fructu abiit. Alter eiuſdem Halicarnaſſei in quo de inceſtis Tarquinii & Tulliæ nuptiis fit mẽtio locus, ita habet. Ἀλλ' εὐθὺς ἅμα τῷ αὐτὰ διαπράξασθαι τὰ θαυμαστὰ ἔργα, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς ὑποδεξαμένας τὰ δύστηνα σώματα πυρὰς, φίλους εἱστία καὶ γάμους ἐπετέλει καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ἐπὶ τὸν τῆς ἀδελφῆς θάλαμον ἤγετο, τὰς ἀπορρήτους περὶ αὐτὴν ἐμπεδῶν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγιστα καὶ οὔτε ἑλλάδος οὔτε βαρβάρου γῆς οὐδαμόθι γινόμενα πρῶτος εἰς τὴν ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγὼν καὶ μόνος. Quem totum locum ſic Gelenius Latino ſermoni tradidit. Hic eſt ille Tarquinius, Quirites, qui nondũ princeps fratrem germanum quia malus eſſe nolebat, veneno ſuſtulit aſſumpta ipſius vxore in ſocietatẽ eius ſceleris, ſuæ coniugis germanæ, quam Diis inuiſus adulterio iã ante corruperat. Hic vxorem pudicam matronam & communium liberorum parentem eodem veneno eodem tempore necauit: ac ne paululum quidem lugubri ſpecie diſſimulauit vtrũmque veneficiũ. ſed confeſtim poſt perpetrata hæc egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis, qui miſera illa corpora exceperãt, ipſe amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidã ſponſam in ſororis thalamũ ex pacto nefario, primus ac ſolus inducens in hãc vrbẽ morẽ impiũ & apud omnes Græcas ſimul atq; Barbaras nationes abominabilẽ. Sed quid ea quæſo, verba ſignificãt πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς πυρὰς. Equidem, ne diutius lectorẽ teneam, adfirmare non dubitabo legendum eſſe πρὶν ἢ μαρανθῆναι, quod idem valet atque παύσασθαι καὶ σβέσασθαι, id eſt, ante extinctas pyræ flammas. Quo loquendi genere Homerus vſus eſt Illiad. lib. 10.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

vbi Euſtathi⁹. Obſerua, ait, τὸ ἐμαράνθη λεχθὲν ἐπὶ σβέσεως φλο-

γος. Et mox: φλογὸς, inquit ille, μαρανθείσης ὑπομένει ἀνθράκια. Ariſtoteles verò in libro περὶ νεότητος καὶ γήρως inter μάρανσιν & σβέσιν differentiam facit, ἀλλὰ μὴν, ait, πυρός γε δύο ὁρῶμεν φθοράς, μάρανσίν τε καὶ σβέσιν. τὴν μὲν γῆρας, τὴν δὲ βίαιον. Rurſus quis eſt ſenſus horum Halicarnaſſei verborum ἐπιδῶν ὁμολογίας; Et hic quoque, vt breue id faciã, mendum eſt, legẽdum; ἐμπεδῶν, id eſt firmãs, ſtabiliens, vt ſit ſenſus, illicitas nefadaique cum ea iungẽs pactiones. Heſychius enim ἐμπεδοῖ interpretatur βεβαιοῖ, πιστοῦται, ἀσφαλίζεται. Vt autem ad ipſam hiſtoriam redeam, Liuius lib. 1. ab. v. c. eaſdem nuptias breuiter nec, niſi adhibita fuſiori Halicarnaſſei narratione, perſpicuè ita perſtringit A. ñ. inquit, *Tarquinius & Tullia minor* (Sic enim ex Halicarnaſſeo emendo) *prope continuatis funeribus cum domos vacuas nouo matrimonio feciſſent, iunguntur nuptiis, magis non prohibẽte Seruio quàm approbante.* Nam verbum hoc *iunguntur*, nõ ad Aruntem & Tulliam maiorem, ſed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem de quibus ante egerat, referri placet. Ceterũ etiam Marcum Craſſum fratris defuncti vxorem duxiſſe, & quos habuit liberos, ex ea ſuſcepiſſe eum, nec in aliquam factum hoc reprehenſionem incurriſſe, Plutarchus in eius vitę initio ſcribit. Quod cum mirum quibuſdam videatur, verbũ συνοικεῖν, quo Plutarchus in ea hiſtoria referẽda vtitur, interpretatione quæ menti planè auctoris repugnat, ad nudã cohabitationem, vt & τὸ, παιδας ἔσχεν, ad puerorum eius educationem, deflectere nituntur. Sed quam aliam Craſſus, quem minimè cœlibem vitã duxiſſe imò verò iuſtos liberos ſuſtuliſſe, ex lib. v. Epiſtolar. familiariũ Ciceronis, & ex eodẽ Plutar. in Cicerone, cõſtat, vxorẽ duxerit, legere non memini. Nã alterius Plutarchus, cui vſitatum eſt ipſo limine cuiuſq; genus, familiam, coniugium narrare, non meminit, & verbũ συνοικεῖν de nuptiali coniunctione paſſim nõ apud Plutarchũ modò ſed & reliquos Græcos auctores accipi, tàm certum eſt quàm quòd certiſsimũ, vt teſtimonia proferre putidæ ſit futurum diligentiæ. Atque adeò vetuſtum & antiquitate ipſa ſpectabilem ex inſigni Reginæ bibliotheca manuſcriptũ Plutarchi codicẽ exhibuit mihi egregius ille Antiſtes qui nobis incredibili felicitate Plutarchum Gallicè loquentẽ reddidit, in cuius margine ad eum locum fugientibus iã literis adno-

tatum eſt, Craſſum vxorē fratris duxiſſe, vt proinde temerè mutanda non ſint quæ certam ſemper & conſtantem interpretationem habuere. His accedere & Apuleii ex Apologia pro ſeipſo ſecūda, aliud exēplū velim, quo cum viri mortui fratre Prudentillā tabulas nuptiales feciſſe narrat. Quod nō poſſet aptius quàm ipſiſmet auctoris verbis referri. Sic autē habent. *Æmilia Pudētilla, quæ nunc mihi vxor eſt, ex quodā Sicinio Amico, qui cum antea nupta fuerat, Pontianū & Pudentē filios genuit, eóſque pupillos in poteſtate aui relictos paterni (nā ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate ſedulò aluit. Non tamen libenter in ipſo ætatis ſuæ flore tādiu vidua, ſed puerorum auus, inuitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo Sicinio Claro, eóque cæteros procos abſterrebat, & præterea minabatur ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis eius ex paternis eorum bonis teſtamēto relicturū. Quā conditionem cū obſtinatè propoſitā videret mulier ſapiens, & egregie pia, ne quid filiis ſuis eo nomine incōmodaret, facit quidē tabulas nuptiales, cum quo videbatur, cū Sicinio Claro. Verumenimuero vanis fruſtrationibus nuptias eludit, eo ad dum puerorū auus fato conceſſit relictis filiis eius heredibus, ita vt Pontianus, qui maior natu erat, fratri ſuo, tutor eſſet.* Hæc ille. Huiuſmodi certe matrimonia, vt ſupra citatis Impp. Conſtitutionibus ita Concilii Neocæſarienſis. I. Canone ſecundo & Agathenſis cano. XI. interdicta. Tertullian. lib. IV. aduerſus Marciō de Iohanne. Is enim, ait, retundens Herodem quod aduerſus legem fratris ſui defuncti vxorem duxiſſet, habentis filiam ex ea, coniectus in carcerem fuerat & ab eodem poſtmodū occiſus. Si ergo quoniam in lege præcipitur, vt quis fratris ſui vxorem ſine liberis defuncti, in matrimonium adſumat, ad ſuſcitandum fratri ſuo ſemen, idque ſæpius euenire in vnam perſonā poteſt, ſecūdum callidam illam quæſtionem Sadducæorum, ideo & aliâs putant eam permiſſam frequentiam nuptiarum. Intelligere primo debebunt rationem ipſius præcepti, & ita ſciēt illā rationē iā ceſſantē, ex q̃s quę euacuata ſint. Neceſſario nāque ſuccedendū erat in matrimonium fratris ſine liberis defuncti, primum quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat: Creſcite & redundate, dehinc quoniam patrum delicta etiam de filiis exigebantur, tertio quoniam ſpadones & ſteriles ignominoſi habebantur. Itaque ne proinde male-

maledicti iudicarentur, qui non naturæ reatu & mortis præuentu orbi deceſſiſſent, ideo illis ex ſuo genere vicaria & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur. At vbi Creſcite & redundate euacuauit extremitas temporum, inducente Apoſtolo, ſupereſt vt & qui habent vxores, ſic ſint ac ſi non habeant, quia tempus in collecto eſt, & deſiit vua acerba à patribus manducata filiorum dentes obſtupefacere (vnuſquiſque enim in ſuo delicto morietur) & ſpadones non tantum ignominia caruerunt, verum & gratiam meruerunt inuitati in regna cœlorum, ſepulta lege ſuccedendi in matrimonium fratris, contrarium eius obtinuit non ſuccedendi in matrimonium fratris. 6 Quinetiam cum Ægyptiorum quidam mortuorum fratrum coniuges matrimonio ſibi copularent hoc colore, quod virgines manſiſſe dicerentur, fortè profecto à Iudæis more, apud quos fratre mortuo abſque liberis fratrem ſuperſtitem ſobolem excitare lege præcipiebatur. Zeno eas nuptias, & qui eas contraxiſſet & inde ſuſceptos liberos inceſtarum nuptiarũ pœnis ſubiacere voluit. 7 Titum plane Imperatorem animam agentem vnius dũtaxat peccati pœnitere ſe teſtatum eſſe Xiphilinus refert. Conieciſſe autẽ quoſdam id eſſe, quòd Domitiani fratris vxorem in delitiis habuiſſet. Vxoris etiam ſororem ducendi, & ſic duabus ſororibus coniungendi licentiam, diſſoluto quoquomodò coniugio Impp. Val. Theod. & Arcad. ſubmouerunt. 8 Honorius tamen Imp. duas Stiliconis filias, vnam poſt alteram in matrimonio habuiſſe fertur. Sed quàm infelix fuerit vtriuſque matrimonii exitus, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Ex neutra enim liberos ſuſcepit, mortéque immatura vtraque obiit, vt Zonaras Tomo iii. Annalium his verbis narrat. ἄγεται, ait, de Honorio loquens, τοίνυν τὴν Στιλικῶνος θυγατέρα Μαρίαν εἰς γαμετὴν ἧς θανούσης λέγεται τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Θερμαντίαν γῆμαι ἐν ἀτελεῖ τυγχάνουσαν ἡλικίᾳ· κἀκείνη δὲ ταχὺ ἐτελεύτησεν. Marcellinus comes in Chronico, *Stilico comes, cuius duæ filiæ Maria & Tharmantia, ſingulæ vxores* Honorii *principis fuere, vtraque tamen virgo defũcta, ſpreto Honorii regno, regnum inhians*, & quę ſequũtur. Paul. Diaconus lib. xiiii. Appendicis ad Eutropium. *Et* ait, *ſoboles nulla fuit nam duæ Stiliconis filiæ, id eſt, Maria & Tharmantia*, (Sic enim

6. *L. fratris & L. vlt. C. de inceſt. nupt. L. Nemini C. de nupt. L. 1. & L. 3. de inceſt. nupt in C. Th.*

7. *L. licet. C. de inceſt. nuptiis.*

8. *L. fratris C. de inceſt. nuptiis.*

loge) *vna poſt alteram ei coniugio ſociata, vtraque Dei iudicio inopinata morte præuenta ex hac luce virgines migrauere.* Baſilius magnus in Epiſt. ad Diodorum Tarſi Epiſcopum ſub cuius nomine ſcriptum quoddam vulgatum erat quo aſſerebat fas eſſe mortuæ vxoris ſororem ducere in matrimonium. Ei opinioni obiicit conſuetudinem & eam quidem vim legis obtinentem quod à ſanctis viris ad nos ſit deducta. Conſuetudo autem eiuſmodi eſt vt ſi quis impudico atq; impuro affectu victus in tam illicitam coniunctionem inciderit, vt duabus ſe ſororibus matrimonio copularit, neque nuptias contraxiſſe videri hunc, neque antea in Eccleſiæ communionem admitti debere, quia copulatam illicita ſe inuicem ſeparauerint. Verumenimuero duorum fratrum liberi inuicem rectè matrimonio iungebãtur,[1] cõſobrinæque vxoris ductæ fit in pleriſque Pãdectarum locis mentio [2] Sic Tullias duas Regis Seruii Tullii filias, Lucio & Arũti Tarquiniis Priſci Tarquinii nepotib⁹, cõſobrinis ſuis matrimonio iũctas fuiſſe Dionyſ. Halicarn. lib. iiii. Antiquit. refert. Sed manifeſtum eſt eô loci in Græco Codice erratum. Ita quippe ſcriptum eſt. ἦσαν δὲ Τυλλίῳ δύο θυγατέρες ἐκ γυναικὸς γενόμεναι Ταρκυνίας ἣν ἐνεγγύησεν αὐτῷ βασιλεὺς Ταρκύνιος ταύτας τὰς κόρας ἐπιγάμους γενομένας ἐκδέδοται τοῖς ἀδελφοῖς τῆς μητρὸς αὐτῶν υἱωνοῖς τοῦ Ταρκυνίου. Secundum quam ſcripturam hoc Halicarnaſ. ait. *Erant Seruio Tullio filiæ duæ: ex vxore Tarquinia, quam ei rex Tarquinius Priſcus deſpondit. Has puellas viro maturas, & nubiles nuptum dedit fratribus matris earum nepotibus Tarquinii.* Quod vtique conſiſtere non poteſt. Nam Tarquiniam Tullii coniugem filiam fuiſſe Tarquinii Priſci inconfeſſo eſt: Lucium verò & Aruntem Tarquinios, non Tarquinii Priſci filios, ſed nepotes fuiſſe omni adſeueratione contendit Halicarnaſſeus, & eorum qui contra ſentiebant opinionẽ accurratiſſimè refutat: pugnántque inter ſe nepotes fuiſſe Tarquinii, & fratres Tarquiniæ Tullii coniugis: & hoc modo non conſobrinis ſed auunculis iunctæ fuiſſent Tulliæ. Itaque proculdubio legendum eſt, ἀδελφιδοῖς, id eſt nepotibus per fratrem, ſeu υἱοῖς ἀδελφοῦ τῆς Ταρκυνίας. Nã, vt ille exiſtimat, ex Tarquinii Priſci filio qui in iuuenili ætate mortem obierat, nati erãt. Quamquam Liuio probabilius videtur Tulliarum non cõſobrinos eos, ſed auũ-

1. §. duorum Inſtit. de nupt. l. 3. & l. non ſolum §. 1 d. de ritu nupt. L. 2. C. de inſt. & ſubſt. tutio.
2. L. 23. & 24. d. de condi. inſt. & l. tertius §. fi. eum D. ad Trebell.

culos fuiſſe. Verba eius hæc ſunt lib. 1. ab v. c. *Hic Lucius Tarquinius Priſci Tarquinii Regis filius nepóſue fuerit parũ liquet: pluribus tamen auctoribus filium crediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium mitis ingenii iuuenem. his duobus, vt ante dictum eſt duæ Tulliæ filiæ nupſerant.* Hæc ille. Sunt & alia complura eiuſmodi matrimoniorum in hiſtoriis exempla. Legimus enim Brutum duxiſſe vxorem Portiam conſobrinam ſuam: & Cicero refert in oratione pro Cluentio quandam Cluentiam rite nupſiſſe M. Aurio Melino conſobrino ſuo. Namq; Auguſtum filiam ſuam Iuliam Marcello Octauiæ ſororis ſuæ filio nuptum dediſſe à Dione 1 & Suetonio 2 relatum eſt: Et filium ſuum immatura morte præceptum Quintilianus lugens, auunculo eum generum deſtinatum ſignificat. 3 Sed & Conſtantius Imp. ſororem ſuam quam in Græcis Socratis codicibus Helenam, in Latinis Caſſiodori Conſtantiam nominari inuenio, Iuliano in matrimonium tradidit, atque ita patruelis patrueli iuncta eſt. Iulianus enim ex Conſtantio Conſtantini magni conſanguineo fratre ortus erat. Quanquam ſobrinarum diu Romæ ignorata coniugia Tacitus lib. xii. memorat, poſteáque tempore addito ea percrebuiſſe. Quo quidem in Taciti loco illud ſummè notandum eſt ſobrinarum vocabulum vel pro conſobrinis vſurpatum vel potius ita emendandum cum quidem de ſobrinarum coniugio nunquam fuerit dubitatum vt pote duobus gradibus à conſobrinis diſſitarum. Id quod & Plutarchus ἐν αἰτίαις confirmat has nuptias plebiſcito permiſſas ſignificans, πρότερον γάρ, inquit, οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ' αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τηθίδας οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν, ἀλλὰ ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν ἐκ τοιαύτης αἰτίας. Ἀνὴρ χρημάτων ἐνδεὴς τἄλλα δὲ χρηστὸς καὶ παρ' ὅντινα οὖν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων ἀρέσκων ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε, καὶ πλουτεῖν ἀπ' αὐτῆς, ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτοῦ κατηγορίας ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν ἔλυσε τὸ ἔγκλημα ψηφισάμενος πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δ' ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι. In cuius loci verſione interpres non contemnendo errore lapſus eſt. Vocem enim ἀνεψιαῖς de neptibus interpretatur, qua tamen appellatione illic conſobrinas exaudiendas conſtat. Duorum enim fratrum ſororúmue filii, filiæ ἀνεψιοὶ & ἀνεψιαὶ inter ſe ſunt. Cuius rei vel locuples teſtis eſt Pollux

1. Lib. lviii.
2. in Auguſto cap. 63.
3. Lib. vi. Orat. inſtit. cap 1.

lib.iiii. Onomaſt. cap.iiii. M. Antoninus philoſophus habuit vxorem Anniam Fauſtinam conſobrinam ſuam vt ſcribit Iul. Capitolinus & Didius Iulianus qui Pertinaci in imperio ſucceſſit dicitur filiam ſuam fratris filio deſpondiſſe, vt idem Capitol. refert. At religioſiſſimus Princeps pudoriſque, continentiæ ac pietatis diligentiſſimus Theodoſius maior, etiam has nuptias prohibuit, quemadmodum Ambroſ. lib. viii. Epiſt. indicat. *Nam & Theodoſius*, inquit,

4. Epiſt. lxvi. *Imperator etiam fratres patrueles & conſobrinos vetuit inter ſe coniugio conuenire, & ſeueriſſimam pœnam ſtatuit ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora, Et tamen illi inuicem ſibi æquales ſunt, tantummodo quia propinquitatis neceſſitudine & fraternæ ſocietatis ligantur vinculo, pietati eos voluit habere quod nati ſunt*: Meminerũt & huius Theodoſianæ Conſtitutionis hoc eſt paternæ Honorius & Theodoſius eius filii in l. 1. C. Th. ſi nupt. ex reſcript. petant. itemque Sextus Aurelius Victor, apud quem ita eſt *Illa tamen quibus Traianus aſperſus eſt, vinolentiam ſcilicet, & cupiditatem triumphandi vſque eo deteſtatus eſt, vt bella non mouerit, ſed inuenerit, prohibuerítque lege miniſteria laſciua pſalteriáſque comeſſationibus adhiberi, tantum pudori & continentiæ tribuens, vt conſobrinarum nuptias vetuerit tanquam ſororum*. Quæ poſteriora verba ab eo ſumpſit Paul. Diaconus lib. xii. appendicis ad Europ. apud quem tamen *miſteria* pro *miniſteria* in nonnullis codicibus malè legitur. Vide & Caſſiodor. lib. 7. Variar. in formula ritè ducendæ conſobrinæ ex reſcripto. Atque ad hanc Theodoſii conſtitutionem referendum eſt quod B. Auguſtin. lib. xv. de ciuitate Dei cap. xvi. ſcribit. *Experti autem ſumus de conubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana, verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cũ conſobrina pene cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocabantur, & pene germani ſunt*. Et mox, *Verumtamen quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe coniugia, nec ſolùm ſecundum ea quæ diſputauimus propter multiplicandas difficultates, ne habeat duas neceſſitudines vna perſona, cum duæ poſsint eas habere, & nume-*

rus propinquitatis augeri,ſed etiam quia neſcio quo modo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile,vt qui debet cauſa propinquitatis verecundam honorem,ab ea contineat quamuis generatricem tamen libidinem,de qua erubeſcere videmus etiam ipſam pudicitiã coniugalem: Porro obiter notandum eſt malè Ambroſium in eiuſdem epiſtolæ loco ſuperius à nobis citato tribuere prohibitionem talium nuptiarum legi diuinę,melius enim Auguſtinus ſcribit eas à lege diuina non prohiberi, ſiquidem in Leuitico cap. 18. vbi enumerantur omnes perſonæ quæ prohibentur matrimonio coniungi, nulla conſobrinorum fit mentio. Similis quoq; eſt error Philonis vel potius eius interpretis qui ſcribit per legem Moſaicam prohiberi vxorem duci conſobrinam. malè. Philo enim dixit υἱιδῆν id eſt, neptem ex filio. Sicut & θυγατριδῆν dixerat neptem ex filia. In contrarium errorem incidit Haloander in verſione canonum Apoſtolicorũ cap. 18. cum ἀδελφιδῆν vertit cõſobrinam, cum vertere debuiſſet fratris filiam. Verùm illam Theodoſij conſtitutionem Arcadius & Honorius eius filij poſtea abrogauerunt, quorum de ea re conſtitutio in Codice Iuſtiniani extat in hæc verba.[4] *Celebrandis inter conſobrinos matrimoniis licentia legis huius ſalubritate indulta eſt, vt reuocata priſci iuris auctoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis matrimonium inter cõſobrinos habeatur, ſiue ex duobus fratribus, ſiue ex duabus ſororibus, ſiue ex fratre & ſorore nati ſint*. Refragari tamẽ duæ eorũdẽ Imperatorũ cõnſtitutiones videntur, quæ in Cod. Theodos. referuntur. Vna[5] ſub titul. Si nuptię ex reſcripto petãt. Altera[6] ſub tit. De inceſtis nuptiis. Sed ego Anianũ illis cõſtitutionibus violentas manus adtuliſſe ſuſpicor, cum ad Gothorũ ſuorum, in quorum gratiam ex Alarici Regis præcepto breuiarium Codicis conſcripſit, vſum, Conſtitutiones illas accommodare ſtuderet. Quod ex collatione earundem Conſtitutionum, cum iis quę ſub iiſdem Rubricis in Codice Iuſtiniani collocatæ sũt, deprehendi poteſt. Neutro enim loco in Iuſtiniani Codice de conſobrinarum nuptiis fit mentio. Sed & Conſtitutioni Arcadij & Honorij inceſtarum nuptiarum pœnam idem Anianus ex gentis ſuæ moribus, ignis & proſcriptionis ab eorum Imperatorum ſententia abhorrentẽ inſeruit: Ac vt ſemel dicam quod ſentio, quod Tribonianus

4. L. Celebrandis C. de nupt.

5. L. vn. ſi nupt. ex reſcrip. pet. in C. Th.

6. L. 3. de inceſt nup. in C. Th.

in Pandectas & Codicem pro imperio auſus eſt, idem Anianus in breuiariũ Codicis Theodoſiani & Caij Inſtitutiones admittere non dubitauit. Itaque illis in libris plerumq; Tribonianus & Anianus pro antiquis Iuriſconſultis atque Imperatoribus leguntur. Quale illud eſt, quod apud Caium legitur, Ciues Romanos effici ſeruos tribus modis, id eſt testamento, aut in Eccleſia, aut ante Conſulem manumiſſos: Nec enim dubium eſt Caium cum Cicerone Topicis, & Vlpiano in Inſtit. ſcripſiſſe, libertos eos ciues Romanos eſſe qui teſtamẽto, cẽſu, vindicta, manumiſſi eſſent: Manumiſſiones quippe in Eccleſia Caius ignorabat, quibus vires atq; robur Cõſtantinus Magnus primus tribuit. Et ne longiùs à propoſito recedam in earundem Caij inſtitutionũ Epitome cuius Anianus, aut eiuſdem farinæ alius auctor eſt, fratres amitinos vel cõſobrinos in matrimonio iungi nulla ratione permitti ſcriptum eſt: quod tamen ciuili iuris antiqui definitioni aduerſatur. Similiter Theophilus ad ſuorũ quoque temporũ rationẽ ius antiquum detorquens, contra Iuſtiniani mentem ſcripſit, δύο ἀδελφῶν ἀῤῥένων ἢ θηλειῶν παῖδας οὐ δύνασθαι πρὸς γάμον συνάπτεσθαι. Nam earũ nuptiarum prohibitio ex recentiorum Imperatorum Conſtitutionibus, quibus & Conciliorum Eccleſiaſticorum canones acceſſerunt, deſcendit, vt ex Concilio Romano quod imperante Leone ſub vrbis Romanę Epiſcopo Gregorio iij. celebratum eſt, patet. Gothorum vtique vt & Alemanorum legibus conſobrinorum conſobrinarúmque interdictæ fuere nuptiæ. In Alemanorum enim legibus quas eis Clotharius Rex deſcripſit, ita legitur Tit. xl. *Nuptias prohibemus inceſtas: itaque vxorem habere non liceat ſocrum, nurum, priuignam, nouercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris vxorem, vxoris ſororem: Filij fratrum, filij ſororum, inter ſe nulla præſumptione iungantur. Si quis contra hoc fecerit, à loci Iudicibus ſeparetur, & omnes facultates amittat, quas fiſcus adquirat. Si minores perſonæ ſunt quæ ſe illicita coniunctione polluerunt, careant libertate, ſeruis fiſcalibus adgregandæ.*

Nunc ad reliqua pergamus: Amitam quoque & materteram vxorem ducere non conceditur, quoniam, vt Iuſtinianus ait,[1] parentum loco habentur. Vnde apud Halicarnaſſeũ Brutus inter cetera quæ Tarquinio Superbo vitio dat, hoc vt

[1] §. Itẽ amitam Inſtit. de nupt.

probrum obiicit, quòd Seruij Tullij vxorem Tarquiniam ἠν-
αἴτ, προσῆκεν αὐτῷ τιμᾶν ἅπερ μητέρα πατρὸς ἀδελφὴν οὖσαν, ante-
quam viro iuſta feciſſet, laqueo necaſſet. Itaq; exterminandi
Syllani ſibi inuiſi cauſa Nero, accuſatores Tacito 2 teſte ſum- *2. lib. xvi.*
miſit, qui cum Lepida amita eius, Caſſij vxore inceſti eum
poſtularent: Illæ etiam ſunt iniuſtæ nuptiæ, quæ legitimo
conſenſu carent. Nuptiæ enim conſenſu ſolo contrahẽtium
fiunt. Quare cum furioſo furioſáue matrimonium contrahi
nequit; 3 Nec enim voluntatem, ſenſum, intellectúmue habẽt. *3. L. furor D. de ſponſal. b.*
Diſſimilis mutorum ſurdorúmque cauſa eſt, quibus vt pote *L. oratione in fi. D. de ritu nupt.*
conſenſus compotibus valetudo, vitiúmque corporis, quo
minus matrimonium contrahant, non obeſt. 4 Quamquam
autem matrimonium contrahi furor non ſinit, ritè tamen *4. L. vbi non voce D. de regul. iur. l. in quibuſcunque D. obligat. & action.*
contractum non diſſoluit, ſimilitérque qui ſponſalibus con-
trahendis ab initio impedimento fuiſſet, furor idem poſtea
ſuperueniens iam contracta ea, non dirimit. 5 Cæterùm non
conſenſum duntaxat eorum qui coeunt, ſed & eorum quo- *5. L. patre furioſo D. de his qui ſunt ſui vel. al. d. L.*
rum in poteſtate ſunt, exigimus. 7 Idque naturali ratione, ex
qua parentibus debita reuerentia atque obſeruantia deſcen-
dit, 8 & ciuili iure, quo patriæ poteſtatis ius receptum eſt, *9 oratione in fi. D. de ritu nupt.*
deſiderari, bellè Iuſtinianus ſcribit. 1 Filiis ergo familias abſq;
parẽtum voluntate iuſtas nuptias contrahere non licet. Qui *6. d. L. furor.*
locus à tam multis iam tractatus eſt, vt nobis non ſit hæc di- *7. L. 2. D. de ritu nupt.*
ſputationis materia attentanda: Quid enim, vt de noſtris ta- *8. L. veluti. D. de Inſti. & iure.*
ceam, ad D. Claudij Eſpencæi erudiriſſimi celeberrimíque
Theologi, qui hanc quæſtionem accurratiſſimè perſecutus *9. D. L. patre furioſo.*
eſt, copiam addi poſſit? Itaque ea demum quę inſtituti operis
ratio neceſſariò poſtulat, attingam. Conſequens eſt autẽ cùm *1. Inſtit. de nupt.*
iuſtæ ac legitimæ non ſint nuptiæ, patre minimè conſentien-
te factæ, iuſtos ac legitimos non haberi inde ſuſceptos libe-
ros, ac per hoc, vt Apuleius infert, 1 ſpurios naſci. Quod tamẽ *1. lib. v. de aſino aureo.*
vereor ne rectè dicatur ab Apuleio, nolim enim dicere ſpu
rios naſci ex huiuſmodi nuptiis, cum longe alij ſint iniuſti
liberi & longe alij ſpurij. nam ſpurij non niſi ex ſcorto naſ-
cuntur. Iniuſti vero ciuiliter intelliguntur qui ſuſcepti ſunt
ex nuptiis ciuiliter iniuſtis, non iure ciuili nec ritu Romano.
contractis, nec ij ſunt ſui nec filij ſ in poteſtate patris: ſed non
propterea ſunt ſpurij. Verba autem Apuleij hæc ſunt, impa-

res nuptiæ & prætereà in villa, ſine teſtibus & patre non conſentiẽte factæ legitimæ non poſſunt videri. ac per hoc ſpurius iſte naſcetur, ſi tamen partum omnino perferre te patiemur. Nec refert viuóne auo, an poſt eius mortem in lucem edantur, cum patris morte, quæ ab initio iniuſtæ ſunt, non eò magis conualeſcant nuptiæ.[4] Infamiæ quoque notam non euadere eum, qui ſciẽs vxorem non iuſſu eius, cuius in poteſtate eſt duxerit, ipſa Prætoris de infamibus edicti verba declarant. [5] Nepoti autem vxorem ducenti tàm auum quàm patrem conſentire debere, Paulus teſtatur.[6] Aliter atque ſi neptis nubat, cui ſolius aui auctoritatem ſufficere, an hoc ideo quod in alienam familiam tranſit, tradit. Cum tamen pater furit, auus ſapit, aui ſolius auctoritas ſufficit.[7] Qua in ſpecie, aut etiam ſi morte, vel emancipatione pater de medio ſit ſubductus, procedere poſſe Accurſius monet: quod Paulus ex Põponio ſcribit,[8] ſi nepotem ex filio, neptẽ ex altero filio in poteſtate habeam, nuptias inter eos me ſolo auctore contrahi poſſe. Verſa vice, ſi auus furore teneatur, nepoti patris ſolius voluntas exquirenda eſt. [s planè cuius pater ab hoſtibus captus eſt, ſi nõ intra triennium reuertatur, vxorem ducere poteſt.[9] Pari modo ſi ita pater abſit, vt vbi gentium ac locorum ſit ignoretur poſt triennium ex quo apertiſsimè fuerit ignotus vbi degat, & an ſuperſtes ſit, non prohibentur[1] liberi eius vtriuſq; ſexus nuptias abſque eius auctoritate cõtrahere. Sed & ſi ante triennium nuptias contraxerint. dũmodo eam filius vxorem duxerit, vel filia huiuſmodi homini nupſerit, vt certũ ſit patrem, ſi adeſſet eius conditionẽ nõ repudiaturũ, nuptię valebunt.[2] Enimuero conſenſus patris non ita accipiendus eſt, vt ſatis ſit mandatum filiæ mariti quærendi dediſſe: nam & perſonam patri demonſtrari oportet.[3] Patris autem ad nuptias conſtituendas iuſſum præcedere oportere Iuſtinianus tradit:[4] Vbi iuſſum pro voluntate accipiendum eſſe conſtar. Velle porro intelligitur ſi quod agitur ſciat, nec euidẽter diſſentiat.[5] Contrariam quippe volunratem conteſtari neceſſe eſt. Alioquin ſi taceat, nec contradicat, pro iuſſu & conſenſu ſilentium eius interpretamur.[6] Itaque nutu & literis, & per nuntium patris conſenſum interponi poſſe dubium non eſt.[7] Conſenſus porrò qui in aliis cauſis exigitur, vel ex interuallo & negotio

4. l. Paulus D. de ſtat. hominum.
5. L. 1. D. de his qui not. infami.
6. L. oratione §. 1. D. de ritu. nupt.
7. l. ſi nepos D. de ritu nupt.
8. L. ſi neptẽ D. de rit. nupt.
9 l. ſi nepos §. vlt D. de ritu nupt.
1. L. ſi ita D. de ritu nupt.
2. L. ſi filius D. eod. titulo.
3. L. generalı D. eod. tit.
4. Inſtit. de nuptiis.
5 L. in ſponſalibus in fine D. de ſponſal. arg l. 2. §. velle D. ſol matr.
6. L ſi vt proponis C. de nupt.
7. Arg. L. pater §. 1. D. de aeq. hered L. 2. D de oblig & act. L 2. D. de pact.

& negotio iam perfecto, cum effectu interponitur. Quod & in hac quæſtione probare videtur, Iuſtiniano prima fronte contrarius, Papinianus, cum ita ſcribit.[8] *Dotis promiſſio non ideo minùs valebit, quòd ignorante initio patre nuptiæ factæ fuerint, ſi po-* [8. L. Dotis promiſſio D. de iure dot.] *ſtea conſenſerit: cum omnis dotis permiſſio futuri matrimonij conditionem accipiat.* Verum ea, meo quidem iudicio, verba ſic accipienda ſunt, vt ex die accommodati conſenſus incipiant nuptiæ eſſe, exindéque dos peti poſſit. Quod ita cenſuiſſe Papinianum indicio ſunt ſequentia eius verba, quibus obiicit, maritũ à petitione dotis, cuius promiſsio ad primas tantùm, non etiam ad ſecundas nuptias extenditur, repellendum videri: Cui obiectioni locum non eſſe in ſpecie propoſita ſignificat, quoniam accedente demum patris conſenſu, nuptiæ eſſe cœperint. Planè cõsẽſus ſui qualẽ qualẽ, dum tamẽ apertam, ſignificationem dare patrem ſufficit, nec tabulis nuptialibus ac dotalibus ſubſcribere eum neceſſe eſt. Hæc ita in filiorumf. matrimoniis ſeruantur: Emancipati verò filij citra parentum conſenſum iuſtas nuptias contrahunt,[8] nec interreſſe exiſtimo iuſtæne ætatis ſint, an minores xxv. annis, cum [8. L. filius emancipatus D. de ritu nuptiar.] huius diſtinctionis nullum Conſultorum Imperatorúmue auctorem habeamus: Quamquã Accurſio aliter videri ſcio, qui quod de feminis propter infirmitatem ac fragilitatem ſexus ab Impp. conſtitutum eſt,[9] ad mares porrigere nulla [9. L. vidua & L. in coniunctione C. de nupt.] probabili ductus ratione conatur.[1] Proinde minimè dubium eſt, iuſtè quæſitos filios videri, & ſuos heredes patri adnaſci, quos emancipatus ex vxore, non ex patris voluntate ducta [1 in gloſ. d. L. filius eman.] ſuſceperit. Atq; adeo ad bonorum quoq; poſſeſsionem aui, cuius teſtamento præteriti ſunt, eos patre mortuo admitti Vlpianus ſcribit.[2] *Non enim, ait, per reſciſionem is qui filius iuſtus eſt efficitur non filius, cum reſciſio quò magis admittatur, non quò minùs, adhibeatur.* [2. L. 3. §. ſi mancipatus, D. de bon poſſ. contra tabu.] Quæ verba obſcurum ſenſum habent, & licet ijs facem iam eruditiſſimi aliquot viri prætulerint, quia tamen, vt eſt in prouerbio, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ deciéſque repetita placent, non pigebit familiarem eorum verborum interpretationem facere. Sciendum eſt igitur, Prætorem qui iuris ciuilis cuſtodiendi magis, quàm conuellendi atque infringendi cauſa conſtitutus erat, ne apertè contra iuris ciuilis auctoritatem emancipatis præteritis ſubuenire videre-

tur, quibus tamen naturali ratione ſuccuri æquum erat, eorum capitis diminutionem reſcindere conſueuiſſe, [3] vt eo facto quaſi poteſtati patris redditi, contra tabulas bonorum poſſeſſionem peterent. Hac ratione, dixiſſet aliquis nepotem quem emancipatus ex matrimonio citra conſenſum patris contracto ſuſtulit, auitum teſtamentum per bonorum poſſeſſionem expugnare non poſſe, quoniam vt ad bonorum poſſeſſionem admittatur, reſcindi patris eius emancipationẽ neceſſe ſit: qua etiã reſciſſa videbitur non ex iuſtis nuptiis nepos hic conceptus, quę parentis cõſenſu (in cuius poteſtatem per reſciſionem emãcipationis patrem eius redigimus) non fuerint firmatæ. Huic tacitę obiectioni Vlpianus occurrẽs, reſciſionem emãcipationis (ſic enim interpretari conuenit) quæ à Prætore fit, eò comparatam eſſe ſcribit, vt aditum ad bonorũ poſſeſſionem emancipatis patefaciat. Proinde quę admittendorum eorũ cauſa inducta eſt, excludere & repellere eos non debet, ne quod pro eis fauorabiliter conſtitutum eſt, in eorũ incõmodum atq; odium retorqueatur. Vt enim ſcitè Quintilianus in Declamationibus argumentatur, quæ pro aliquo ſcripta eſt lex, contra eum valere non debet. Itaque reſciſio hęc, quominus iuſtus patris filius nepos intelligatur, non efficit, ſed contrà, viam ſternit ad bonorum poſſeſſionem petendam: Nam etiamſi, vt ſubiicit Vlpianus, tam turpem & ignominioſam vxorem duxiſſet filius, vt toti familię eius adfinitas dedecori eſſet, nihilominus tamen ex ea natus filius ad bonorum poſſeſſionem admitteretur. Potuit enim auus in eũ ſuo iure vti, & eum pro imperio exheredare. Parẽtibus ſiquidem liberos exheredare licet, [4] quos & occidere licebat. Quòd ſi eum exheredaſſet, de inofficioſo teſtamento queri nepos hic neceſſe habuiſſet. In quo iudicio & patris delicta, & nepotis merita Centũuiri examinaſſent, perpendiſſéntque an ob patris vitium nepotem plecti alienúmque à ſubſtantia auita fieri, & contrà, an liberos vili, abiecta famoſaque nuru ſuſceptos ad bona aui, cuius familia labe hac aſpergitur, admitti æquũ eſſet. Hæc per tranſennam interlocutum me non pœnitet, cũ locus hic, adhibita noſtra interpretatione planior poſt hac legentibus futurus occurreret. Vt autem eò redeat vnde exiit oratio, admonendi ſumus, non idem filiabus quod filiis emã-

3. L. ſed cum patrono §. vlt. D. de bon poſſeſsionibus.

4. L. in ſuis in ſi. D. de lib. & poſt.

cipatus iuris eſſe. Filiæ namque emancipatæ, quoad viceſimũ quintum annum attigerint, non modò primas, ſed ne ſecundas quidem nuptias ſine patris voluntate rectè contrahunt: [5] Quinetiam morte patris ſui iuris factæ, donec ad legitimam ætatem peruenerint, matris & propinquorum & curatoris, ſub cuius poteſtate cõſtitutę ſunt, ſententiam explorate neceſſe habent. [6] Quod ſi inter tutorem, matrem & propinquos de electione futuri mariti minùs conueniat, ad arbitrium magiſtratus erit recurendum. [7] Huiuſmodi quondam diſcordiã inter matrem & tutores M. Geganio Macerino iterum, & T. Quinctio Capitolino. v. Coſſ. ortã Liuius memorat. [8] Virginẽ ſiquidem maximè forma notam, tum temporis duo iuuenes petiere. Vnus plebeij generis, tutoribus fretus, qui & ipſi eiuſdẽ ordinis erãt: nobilis alter nulla re præterquã forma captus cui mater ſplendidiſſimis nuptiis iungi filiam cupiẽs fauebat. Quod certamẽ cum domi & intra priuatos parietes componi nequiſſet, ventũ in ius eſt, poſtulatúque matris & tutorũ vtrinque audito, magiſtratus ſecundum matris arbitrium ius nuptiarum dedere. At quæ viceſimum quintum annũ egreſſæ ſunt filiæ, inconſultis parentibus impunè pro arbitrio nubunt, nec pœnam exheredationis ob eam rem timent. [9] An verò abducendę filię quę ſine eius voluntate nupſiſſet ius patri olim competeret, quęri poteſt. Vlpianus quidem certè benè concordantia matrimonia iure patriæ poteſtatis turbari non poſſe, patríque interdicto ſibi filiam exhiberi deſideranti perſuadendum, ne acerbè patriam exerceat poteſtatem ſcribit. [1] Imò verò de vxore exhibenda ac ducenda patrem etiam qui in poteſtate eam habeat, à marito rectè conueniri poſſe Hermogenianus auctor eſt. [2] Interdicto quoq; ſuccurri marito, cuius vxor inuita à parẽtibus detinetur, Impp. reſcripſere. [3] Ex illo verò generali Vlpiani axiomate, quo bene cõcordãtia matrimonia iure patriæ poteſtatis nõ eſſe turbãda definit, interpretationem meo quidem iudicio accipit, quod Paulus in lib. Sententiarum ſcribit, [4] *Eorum qui in patris poteſtate ſunt, ſine voluntate eius matrimonia iure non contrahi, ſed cõtracta non ſolui.* Porrò duas eodem tẽpore vxores habere, Romæ non licuit. [5] Binarum verò eodem tempore cõtractarum nuptiarum crimen infamiæ pœna vindicatum notũ eſt. Edicto enim Præ-

5. L. viduas & L. in coniunctione C. de nuptiis.

6. L. 1. & d. L. in coniunctione C. de nupt.

7. L. 1. C. de nuptiis.

8. lib. iiii. ab vrb. Cond.

9. §. cauſas Nou. vt cum de appella. cognoſcit.

1. L. 1. §. vl. D. de liber. exhib.

2. L. 2. D. libe. exhib.

3 L. ſi inuita C. de nupt C. de liber. exhib.

4. lib. 2. Tit. xix.

5. §. adfinitatis Inſtit. de nupt.

toris, qui vel bina ſponſalia eodem tempore conſtituta habebat, infamia notabatur.[6] Vnde Impp. Valerian. & Galien. *Eum*, inquiũt,[7] *qui duas ſimul habuit vxores ſine dubitatione comitatur infamia: In ea namque re non iuris effectus, qua ciues noſtri plura contrahere matrimonia prohibentur, ſed animi deſtinatio cogitatur.* Quibus poſtremis verbis, vt eorum vim poteſtatémque breuiter explanemus, tacitę obiectioni reſpondet. Dixiſſet enim aliquis, non poſſe quem duas vxores habere: nam manente prioris non repudiatæ coniugio, alteram additam coniugem vxorem eſſe non poſſe. Sed voluntatem contrahendi matrimonij non iuris effectum & cõiunctionis validitatem ſpectari debere, Impp. aiũt: quemadmodum & Vlpianus factũ notari tradit:[8] Ideoque ſi vel cum ea quis nuptias faciat, vel ſpõſalia conſtituat, quam vxorem ducere non liceat, infamiam non eo minùs effugere. Illius verò Galieni & Valeriani cõſtitutionis vltimam partem, vt hoc obiter admoneam, Tribonianus in Tit. De donationib. ante nuptias, iũctis & addictis aliquot, prout ſenſus deſiderabat, verbis rettulit.[9] Impp. etiã Diocletian. & Maximianus, *Neminem*, inquiunt, *qui ſub ditione ſit Romani nominis binas vxores habere poſſe, vulgò patet, cũ etiã in edicto Prætoris huiuſmodi viri infamia notati ſint: Quam rem competens iudex inultam eſſe non patietur.* Vtique enim ſtupri crimen in poſteriorem vxorem cõmitti non dubiũ eſt. Ex quo ſequitur capitalem pœnam ei qui tale facinus admiſerit, ex Cõſtãtini Conſtitutionibus, quæ ſtupra & adulteria capite plectũt, imminere: quod & Conſtantini quædam Conſtitutio non obſcurè indicat, qua capitali pœnę non eſſe obnoxias eas mulieres ſtatuit,[1] quæ viuis maritis militibus, nullo accepto de eorum ſoſpitate nũtio, poſt quatuor annorum ſpatium alteri nupſerint. Incidiſſe autẽ aliquando Romæ de duabus vxoribus ſimul ductis controuerſiam, Craſſus apud Ciceronem lib. 1. de Oratore ita ſcribit. *Quid, quod vſu memoria patrum venit, vt paterfamiliâs qui ex Hiſpania Romam veniſſet, cum vxorem prægnantem in prouincia reliquiſſet, Romæque alteram duxiſſet, neque nuntium priori remiſiſſet, mortuúſque eſſet inteſtatô, & ex vtraq; filius natus eſſet, mediocríſne res in controuerſiam adducta eſt, cũ quæreretur de duobus ciuium capitibus, & de puero qui ex poſteriore natus erat. & de eius matre? quæ ſi iudicaretur certis quibuſdam verbis non*

6. L. 1. in fi. L. quid ergo §. 1. D. de his qui not. infa.
7. L. Eum qui C. ad l. Iul. de adulter.
8. L. quid ergo §. cum autem factum D. de his qui not. infa.
9. L. eaque C. de donationib. ante nupt.
1. L. Vxor C. de repudiis.

nouis nuptiis fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinæ locum duceretur. Ac neque hic omittendum cenſeo, Papyrii non minus lepidum atque feſtiuum, quàm prudens figmentum, quo matrem inſtantiùs percontantem quid in Senatu egiſſent patres, eluſit.[2] Actū enim in Senatu dixit, vtrū vtiliꝰ videretur, magíſque ex Repub. eſſe, vnúſne vt duas vxores haberet, an vt vna apud duos nupta eſſet. Quod vbi illa audiuit, domo trepidâs egreſſa, ad ceteras matronas rettulit, poſtridiéq; ad Senatum copioſæ matrûmfamilias cateruæ confluxerunt, deprecantes, vna potius vt duobus nupta fieret, quàm vni duæ. Senatoribus verò, quæ illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio iſtæc vellet, mirantibus, & non vt paruæ rei prodigium, illam verecundi ſexus impudicam inſaniam pauefcentibus, puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, ſicuti fuerat, enarrauit. Nec clam me eſt memoriæ proditum,[3] Helium Cæcinam Tribun. Pleb. legem habuiſſe ſcriptam, paratámque quā Iulius Cæſar ſe abſente ferre iuſſiſſet, vt vxores liberorum quærendorum cauſa quas, & quot vellent ducere Quiritibus liceret. Sed ea lex promulgata nō fuit primúmque ex Romanis Antonium duas in matrimonio mulieres habuiſſe, Plutarchus ſcriptum reliquit, in collatione Demetrii & Antonii, his verbis. ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ ῥωμαίῳ τετολμημένον. Valentinianus quoque Seueræ coniugis prædicatione in Iuſtinæ amorem pellectus, cum neque ſubnixum iam liberis matrimonium ſoluere, & vxori ex qua Gratianum ſuſceperat, repudium mittere ſuſtineret, neque frenis amorem, quo puellam tantopere ſibi laudatam deperibat, cohibere poſſet, alteram Seueræ Iuſtinam vxorem ſuperduxit, ex qua Valentinianum iuniorem ſuſtulit. Ac vt facti eius turpitudinem amoliretur, lege ſanxit, vt cuilibet duas ſimul vxores habere liceret: quemadmodum Socrates,[4] Paul. Diacon.[5] & Nicephorus[6] ſcribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. Nam & Iudæos qui forte hoc colore, quod primis generis humani ſatoribus polygamia propagandæ ac multiplicandæ ſobolis neceſſitate permiſſa fuiſſet, quaſi maiorum veſtigiis inſiſtentes, plures ſibi vxores habere licere

2. Gel li. x. Noct. Attic. cap. 23. Macrob. lib. 1. ca. 6.

3. Sueton. in Iulio cap. 52.

4. lib. 4 hiſt. Eccleſiaſtic. cap. 30.

5. lib. xi. append. ad Eutrop.

6. lib 11. hiſtor Eccleſiaſt. ca 33.

exiſtimabant, Impp. Theodos. Arcad. & Honor. prohibuere in diuerſa ſub vno tempore coniugia conuenire.[7] Necnon Iuſtinianus Nouella lxxix. quæ de naturalibus liberis tractat, εἴ τις, ait, νομίμῳ συνοικῶν γυναικὶ ἄλλας ἐπεισάγειν οὐκ ἂν δύναιτο, τοῦ συνοικεσίου συνεστῶτος, καὶ ἐξ αὐτῆς νομίμως παιδοποιεῖσθαι. An autem concubina vxori iure Quiritium adiungi poſſet, dubitari ſcio. Hoc certè iura antiqua. nec ſua concedere Iuſtinianus ſcribit.[8] Nam nec prudentes hoc probaſſe indicio eſt, quod Vlpianus ait,[9] ſi patronus qui libertã duxerat ei concubinam adhibuiſſet, inde coniecturam capi nolle eum nuptam habere quoniam cum vxore concubina haberi non poſſet. Idem ipſum Conſtantini magni Conſtitutio prohibuit, quæ ita habet.[1] *Nemini licentia concedatur conſtante matrimonio cõcubinam penes ſe habere:* Quamobrem Gellius eam quæ iũcta conſuetáque eſſet cum eo, in cuius manu mãcipióque alia matrimonii cauſa foret, probroſam habitam lege Numæ oſtendit,[2] eiuſmodíque mulieres, quæ cum eo cui vxor eſſet, corpus miſceret, pellices appellatas, ibidẽ tradit. Quod & Caium Flaccum lib. de Iure Papyriano ſcripſiſſe Paulus lib. x. ad L. Iuliã & Pap. notauerat.[3] Cæterùm ſunt & illæ iniuſtę nuptię. quæ à mulieribus intra luctus tẽpus cõtrahuntur: Luctus autem tempus regia lege definitum, decem menſium erat: per quos mulier abſtinere à nuptiis iubebatur, duplici, vt Harmenopolus explicat,[4] ratione, διά τε τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς, καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ καὶ τιμὴν τῷ ἀνδρί. Cuius rei Plutarchus in Numa teſtis eſt ἀλλὰ τὸ τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες, ἡ δὲ πρότερον γαμηθοῦσα βοῦν ἐγκύμονα κατέθυσεν ἐκείνου νομοθετήσαντος. Ouid. lib. I. Faſtor.

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor,
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Idem lib. III.

Annus erat decimum cùm Luna receperat orbem
Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Et mox.

Aſſuetos igitur numeros ſeruauit in anno,

7. L. nemo C. de Iudæis.
8. L. vlt. C. Commun. de manumiſſionibus.
9. L. vlt. in fi. D. diuort.
1. l. 1. C. de concub.
2 lib. iiii. cap. iii.
3. L. Maſſurius D. de verb ſigni.
4 lib. 4. Tit. 6.

Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum.

Quamobrem cum fœderis inter Octauiũ Cæſarem & Antonium faciendi cauſa, Octauiam illius ſororem huic nuptum dari placuiſſet, & ea legibus prohiberetur nuptias cõtrahere, quòd M. Marcellum paulò antè mortuum lugeret, necdũ decem menſes à viri morte effluxiſſent, per ſenatũ legibus ſolui eam gratiámque ei legitimi luctus temporis fieri neceſſe fuit vt Plutarch. in Antonio his verbis narrat, ὡς οὖν ἔδοξεν ἀμφοτέροις ἀναβάντες εἰς ῥώμην ἐπετέλουν τὸν ὀκταβίας γάμον. οὐκ ἐῶντος μὲν νόμου πρὸ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντος γαμεῖσθαι, τῆς δὲ συγκλήτου δόγματι τὸν χρόνον ἐκείνης ἀνείσης. & quæ ſequũtur. Itaq; quod apud Senecam Epiſt. lxv. ad Luciliũ legitur: *Annum fœminis ad lugendum conſtituiſſe maiores*, de anno vtique Romuli qui decẽ dũtaxat mẽſibus conſtabat vt fusè à Macrobio 5 tractatur, non de anni ſuis temporibus ordinata dimenſione accipiendum eſt. Eodémque modò Legitimum luctus tempus in Iureconſultorum ſcriptis interpretandum adfirmo. Primi namque Gratianus, Valentinianus, & Theodoſ. Impp. luctus tempus duobus menſibus auctum, anno definiere, vt ex eorũ conſtitutione in C. Theodoſ. relata conſtat, quæ ita habet. 6 *Si qua ex fœminis perdito marito intra anni ſpatium alteri feſtinarit nubere (parum enim temporis poſt decem menſes ſeruãdum adiicimus,) tametſi id exiguum putemus, probroſis inuſta notis, honeſtioris, nobiliſque perſonæ & decore & iure priuetur &c.* Indéque colligi poteſt Apuleium 7 qui annui luctus temporis mentionẽ faciat, aut poſt eorum Imperatorum ætatem, aut eorum ſeculo vixiſſe. Apud eum enim Charite Lepolemũ nuptias eius ambientẽ hac excuſatione repellit, quod nõdum annum luctus compleuiſſet: At Caligula die ſuo natali, quo & Auguſti templũ conſecrauit, vt ad ſpectacula quæ edebat, omnes cõuenirẽt, luctus inhibuiſſe, & præterea viduis intra conſtitutum legitimum tempus, nubere niſi prægnantes eſſent, conceſſiſſe fertur. Verba Dionis, 1 quæ hoc comprobãt hæc ſunt. καὶ τὰ πένθη πάντα ἐπέσχεν, ὥστε καὶ ταῖς γυναιξὶ τῶν ἀνδρῶν ἐστερημέναις γαμεῖσθαι καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου, ἂν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν ἐξεῖναι. Plane Heliogabalus quemadmodum Xiphilin. narrat, cum Pomponio Baſſo è viuis ſublato, quem vel ea præcipuè de cauſa reũ poſtulari curauit, vt ab vxore cuius ipſe amore fla-

5. lib. 1. ca. 12

6. L. 1. de ſecund. nupt. Cod. Theod.

7. lib. viii. de aſino aur.

1. lib. lix.

grabat, diuelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugẽdum virum ſpatio dato. Eadem obſeruatione ſpreta, Ariadna Zenonis Iſaurici vxor quadrageſimo à viri obitu die Anaſtaſio nupſit, vt à Zonara[2] refertur. Qua autem ratione intra annum luctus nubere mulier prohibebatur, eâdẽ, poſt miſſum ex iuſta cauſa repudium, alii nubendi poteſtatem, ex Impp. Theodoſ. & Valentin. conſtitutione, non habebat:[3] nè, vt ipſi aiunt, de prole dubitandi occaſio daretur. Idémque tempus, etiam bona gratia & communi conſenſu diſſoluto matrimonio, expectandum mulieri eſſe, antequam in alterius manum conueniret, Imp. Anaſtaſius conſtituit.[4] Cum verò ſine probabili ac legitima cauſa mulier à viro diuerterat, connubium ei cum alio ante tranſactum quinquennium, non erat.[5] Illud conſequẽter tractandum occurrit, an cum ea quæ ex alio prægnans & grauida eſſet, matrimonium iure contrahi potuerit. Quam quæſtionem ex facto olim accidiſſe, memini me apud Dionem[6] legere, Nam cum ardenti Liuiæ ducendæ amore flagraret Auguſtus, eiúſque deſiderio mora inde afferri videretur, quod ea ex Nerone ſextum iam menſem grauida eſſet, Pontifices conſuluiſſe dicitur, an fas eſſet prægnantem ducere. Quod illi hac diſtinctione diſſoluerunt vt ſiquidem ex quo grauida foret, dubium atque incertum eſſet, nuptiæ differendæ eſſent: Sin autem conſtaret ex quo concepiſſet, nihil prohibere quin duceretur: Itaque licere ſibi quod libebat Auguſtus videns, Liuiam protinus duxit. Id quod etiam Tacitus lib. I. breuiter perſtrinxit, his verbis: Abducta Neroni vxor, & conſulti per ludibrium Pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet. Suetonius ita paucis narrat.[7] *Cum Scribonia diuortium fecit, pertæſus morum peruerſitatem eius, ac ſtatim Liuiam Druſillam matrimonio Tiberii Neronis & quidem prægnantem abduxit, dilexítque ac probauit vnicè & perſeueranter.* Idem in Tiberio,[8] de eius patre agẽs. *Vxorem Liuiam Druſillam, & tunc grauidam, & iam apud ſe Tiberium enixam, petenti Auguſto conceſſit:* Non abs re igitur feſtinatas has Liuiæ nuptias, quæ nec maxima ſuſpicione carerent,[9] Antonius probri loco Auguſto obiecit,[1] quas etiam eleganter Prudentius ita exagitat, libr. I. contra Symmach.

2. In Anaſtaſio.
3. L. Conſenſu §. ſi verò cauſam C. de diuort.
4. L. ſi conſtante C. de repud.
5. d L. Conſenſu §. hac niſi.
6. lib. xlviii.
7. In Auguſto cap. 62.
8. cap. 4.
9. Sueto. in Clau. ca. I.
1. Sueto in Auguſto cap. 69.

Adiecere

Adiecere ſacrum, fieret quo Liuia Iuno,
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quàm quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternum partu vacuauerat aluum
Conceptámque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba, iam grauidæ fulcrum geniale paratur:
Iam ſponſus, ſaliente vtero nubentis, amicos
Aduocat, haud ſterilem certus fore iam ſibi pactam,
Vitricus ante venit tardum præferuidus ortum
Priuigni nondum geniti, mox editur inter
Feſcennina, nouo proles aliena marito.
Idque Deûm ſortes & Apollinis antra dederunt
Conſilium, nunquam melius nam cedere tedas
Reſponſum eſt, quæ cum prægnans noua nupta iugatur.

Quinetiam Octauiam Auguſti ſororem poſt Marcelli viri eius mortem adhuc grauidam, vẽtrẽque pleno Antonio deſponſam Dio. lib. xlviii. ita ſcribit. καὶ τὴν ὀκταβίαν τὴν τοῦ καίσαρος ἀδελφὴν γυναῖκα, τῷ Ἀντονίῳ ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐτελευτήκει καὶ κύουσαν περιμηνς ωσάμενοι, τοσαύτῃ μεταβολῇ ἐχρήσαντο. Martiam quoque vxorem tum ex ſe grauidam petenti Q. Hortenſio Catonem Vticẽſem conceſſiſſe Plutarchus refert:[2] Ceterùm Liuia apud Auguſtũ, Claudium Druſum Neronẽ intra triũ menſium ſpatium peperit, quem natum, Auguſtus patri Tyberio reddidit. Ea res ioci materiã, vt Dio auctor eſt,[3] prębuit indéque peruulgatus fuit Senarius Græcus, quo ſignificatur fortunatis vel trimeſtres naſci liberos: Quod deinde in vulgi ſermone tritum prouerbiũ abiit. Qua de re pro Græcis Dionis. Suetonii Latina verba ſubiungam:[4] *Patrẽ, ait, Claudij Cæſaris, Druſum olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia cum Auguſto grauida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit, fuitque ſuſpicio ex vitrico per adulterii cõſuetudinẽ procreatũ. Statim certè vulgatus eſt verſus,* τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. At vel tricesimo die patet fieri ex vxore, Caligula glorioſũ duxit. Eáq; gratia Miloniã Cæſoniam adulterio ſibi ante cognitam & iam tum partui propinquam duxiſſe eum Dio narrat.[5] Qua de re ita Suetonius.[6] *Cæſoniam neque facie inſigni, neque ætate integra, matrémque iam ex alio viro triũ filiarum, ſed luxuriæ ac laſciuiæ perditæ, & ardentius & conſtantius amauit: vt ſæpe chlamide, peltáque & ga-*

1. In Catone Vticenſi.
3. li. xlviii.
4. In Clau. cap. 1.
5. lib. Lix.
6. in Calig. cap. 25.

lea armatam, & iuxta adequitantem militibus oſtenderit, amicis verò etiam nudam. Quam enixã vxorio nomine dignatus eſt: vno atque eodem die profeſſus, & maritum ſe eius, & patrem infantis ex ea natæ. Auguſtum porrò, ex Liuia liberorum nihil quicquam ſuſtuliſſe, infantémque vnicum qui conceptus fuerat, abortiuum & immaturum editum Suetonius teſtis eſt[7] Tacit. lib. v. de Liuia. Exin Cęſar cupidine formę aufert marito incertum an inuitam adeo properus vt ne ſpatio quidem ad enitendum dato Penatibus ſuis grauidam induxerit. Nullam poſthac ſobolem edidit, ſed ſanguini Auguſta per coniunctionem Aggripinæ & Germanicę adnexa cõmunes pronepotes habuit. Ex quo interpretãdũ eſt, quod ait Plinius.[8] *Eſt quædam priuatim diſſociatio corporum & inter ſe ſterilis, at vbi cũ alijs iũxere gignunt, ſicut Auguſtus & Liuia.* Nã Auguſtus ex priore vxore Scribonia liberos ſuſcepit: Viciſsim & Liuia ex priore viro Druſo. Iũcti tamẽ inter ſe nihil liberorũ procrearũt. Similes nuptias refert Plut. in Silla. Πομπήϊον γὰ τοι βουλόμενος οἰκειώσασθαι τὸν Μάγνον, ἣν μὲν εἶχε γαμετὴν ἀφεῖναι προσέταξεν, Αἰμυλίαν δὲ Σκαύρου θυγατέρα καὶ Μετέλλης τῆς ἑαυτοῦ γυναικός, ἀποσπάσας μάγνου λαβεῖωνος ἐγκύμονα συνῴκισεν αὐτῷ. Απέθανε δὲ ἡ κόρη παρὰ τῷ Πομπηΐῳ τίκτουσα. Iam non niſi inceſtas ac nefarias nuptias cum virginibus Veſtalibus contrahi potuiſſe, certiſſimum eſt: Heliogabalum tamen humani generis portentum, Aquiliam Seueram veſtalem duxiſſe narrat Xiphilinus in Heliogabalo, εἶτα, inquiens, τὴν παῦλαν ὡς καὶ κηλῖδά τινὰ περὶ τὸ σῶμα ἔχουσαν ἀποπέμψας, Α᾿κυλίᾳ σεβήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας. ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνε. Quod ita perſtrinxit Lampridius in eius vita, *In virginem Veſtalem inceſtum admiſit.* Atque hæc habui, quæ de legitimis inceſtiſque Quiritium coniugiis dicerem, quæ vt ſunt, vti nam breuia videantur.

7. In Auguſto ca. 63.

8. lib. 7. ca. 13.

FINIS.

B. BRISSONII
AD LEGEM IVLIAM
DE ADVLTERIIS,
Liber Singularis.



PARISIIS,

Apud Bartholomævm Macævm, in monte D. Hilarij, ſub ſcuto Britanniæ.

M. DCV.

Cum Priuilegio Regis.

V. C. CHRISTOPHORO Thuano Celio, Pariſienſis Senatus Præſidi, B. Briſſonius. s.

SVPERIORIBVS *temporibus hac Satyrici poëtæ querela aures noſtræ perſonuere, Vbi nunc lex Iulia dormis? Inſederat videlicet imperitorum animis ridicula quidem, ſed tamen quæ maximam ad nequitiam feneſtram patefecerat opinio, adulterorum in Gallia impunita eſſe peccata, quæ paſsim corruptis moribus laudi iam duci, & in pretio haberi id vitii cœperat. Hanc tu Reipub. pernicioſam opinionem editis non ita dudum de aliquot adulteris exemplis eripuiſti, perfeciſtique, ut non tam puniendi voluntatem, quàm accuſatores maioribus noſtris antehac defuiſſe iudicemus. Quod ſpectaculum cùm maximus bonorum omnium plauſus conſecutus eſſet, hic me laudum tuarum, ad quas hunc cumulum acceßiſſe valde gaudebam, commemoratione incenſum res ipſa admonuit, vt antiquam de adulteriis coërcendis ab Auguſto latam legem, quæ quaſi poſtliminio in vſum rediret, in ordinem digererem, & interpretatione adhibita illuſtrarem. Itaq; nondum à quoquam tentatam quæſtionem ingreſſus, cum animum meæ in te obſeruantiæ teſtificandæ cupiditas adderet, libellum non iniucundum, vt ſpero, confeci, & vt in tuo nomine appareret, curaui. Is ſi tibi probabitur, mihi, qui ſola tibi gratificandi voluntate ad ſcribendū acceſsi, abunde ſatisfactum iudicabo: ad reliquos, ſi quis præterea per te ex noſtris vigiliis fructus perueniat, id omne in inſperato lucro deputabo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, pridiè Kalend. Decemb. 1557.*

B. BRISSONII AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS LIBER SINGVLARIS.

PROBRA, quemadmodum Vlpian. ſcribit, quædam natura turpia ſunt, quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis. In illis adulteria numerantur, quibus abſtinendum eſſe non tam ſcitis legum, quàm naturali ratione dictante quiſque intellegit. Nec enim, vt à Cicero. præclarè ſcriptum eſt[a], ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ lata lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ non tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed cùm orta eſt. Orta eſt autem ſimul cum mente diuina. Argumento eſt conſentiens in vnum omnium populorum de adulterij turpitudine opinio, quæ pro certiſſima lege naturæ accipienda eſt[b]. Nam ex quo primum à fero & agreſti cultu ad humanitatem traducti homines certis inter ſe matrimoniorum legibus deuincti ſociatiq; ſunt, qui prius incerto ac promiſcuo coitu libidinem explebant ſuam: ex eo tempore vitio duci adulterium, legibuſq; prohiberi cœpit.

[a] Lib. 2. de legibus.

[b] Cic. 1. Tuſc.

Auguſtin. lib. i. de libero arbitr. Adulterium ab omnibus malum eſſe intelligitur. Parthi plane & ſi dulcedine vanæ libidinis ſinguli plures vxores haberent, nulla tamen delicta adulteriis grauius vindicabant vt in fine lib. xii. auctor eſt Lactãtius Epitomes diuin. Inſtit. c. vi. Itẽ nõ adulterare: Sed hoc

præcepto non ſolum corrumpere alienum matrimonium prohibetur: quod etiam commune gentium iure damnatur, verum etiam proſtitutis corporibus abſtinere.

Fuit (ait Horatius) *c hæc ſapientia quondam*
c in art. poet.
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno. Et aliàs, d
d lib. 1. ſerm. ſat. 3.
Oppida cœperunt moliri, & ponere leges,
Neu quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Quæ res efficit, vt quæ in iure ciuili errantes inceſti criminie liberantur, adulterio commiſſo nullam mulieres excu-
e l. ſi adulterij § 1. D. de adulter.
ſationem habeant[e], propterea quod lege naturali, quã ignorare eas inſita ratio non permittit, prohibitam rem admiſerint. Id adeò ex eo vel perſpicuè apparet, quod eſt brutis quibuſdam à natura datum, vt adulteria auerſentur: & quanto ea hominibus odio eſſe debeant, quibus poſſint, indiciis
f Plin. lib. 8. ca. 5. Solin. ca. 38. Ælia. lib. 1. de Hiſt. anim.
teſtentur. f Nec immeritò certè huius vitij fœditatem in animis noſtris lucere ipſam per ſe communis parens voluit. Etenim vt omnia animo ac cogitatione percurras, adulterio fœdius crimen, atq; hominum inter ſe ſocietati pernicioſius vix vllum reperies. Nam cetera quidem fermè omnia delicta propriæ turpitudinis finibus continentur: adulterium quod-
g lib. 1. biblioth.
dam veluti vitiorum agmen trahit: & vt Diodorus Siculus veriſſimè ſcribit g, ad eam, quæ marito infertur, iniuriam, corruptelam quoque, ac deprauationem morum, prolis confuſionem, matrimoniorum perturbationem adiungit. Nec verò vllum tantum ſcelus, vllum tam magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum libido voluptatis violatæq; pudicitię au-
h Quintil. lib. 9. cap. 10.
dacia non impellat, M. Catonem dixiſſe accepimus h, Nullam adulteram non eandem veneficam eſſe: videlicet homo prudentiſſimus ſentiebat nullum eſſe ſcelus, cuius non facilè ſuſpicio in eam caderet, quæ vt cum Apuleio loquar ſuo pudore poſtpoſito thoriq; genialis calcato fœdere larem mariti lupanari macularit infamia, iamq; nuptæ dignitate proſtitutæ ſibi nomen adſciuerit. Eamq; etiam maiorum fuiſſe opinionem Cornificius lib. iij. Rhet. ad Heren. ſcribit, & Seneca lib. vij. controu. controu. iij. Vnius criminis probationem, alterius probationem adferre docet tanquam cum dicimus adulteram vt credatur etiam propter hoc venefica. Multæ cum

ſuum corpus fœdiſſima cupiditate addixiſſent, ipſis etiam viſceribus vim afferre non dubitauerunt, i medicamentiſq; conceptos ex adulterio partus abigere, ne materna adulteria in lucem editi liberi diſſimilitudine formæ proderent. Quid dicam maritorum nece adulteria cumulata? Notæ ſũt Candaulis Lydij k, Vriæ l, Agamemnonis m, Fabij Fabricia-nin, Romani Argyropili o Conſtantinopolitani Imperatoris, p ex adulterio vxorum natæ cædes. Sed non eſt inſtitutæ diſputationis, quot ex hoc veluti fonte ſcelerum riuuli manarint, repetitis ab vltima antiquitate exemplis recenſere. Maneat modò illud, quod paulò ante attigimus, adulterio vincula quodãmodo diuini atque humani iuris reuelli, arctiſſimiſq; nexibus adſtrictam coniugum cõiunctionem diſſolui, familias incerta ſtirpe confundi, parenti non ſuo illegitimas proles eandem cum iuſtis liberis partem laturas adſcribi. Quo quid fingi poſſit hominum generi odioſius, non video. Lacedæmonios quidẽ certe cũ acerbiſſima execratione aduerſus eos quos vehementer odiſſent, vti vellent, inter cætera domus exitia, hoc imprecari ſolitos traditum eſt q, vt eorum vxores adulteris delectarentur. Quamobrem bene ſanxiſſe mihi Græciæ ciuitates videntur, quæ ſolos adulteros impunè occidi permiſerunt, non alia ratione, quemadmodum Xenophon in Hierone ſcribit, quàm quòd λυμαντῆρας αὐτοὺς νομίζουσι τῆς γυναικῶν φιλίας πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶναι, in qua omnem vitæ ſuauitatem iucunditatémq; poſitam eſſe iudicant. Nam, vt ait Xenoph. lib. iij παιδ. κυρ. neq; ij qui cum ſuis vxoribus adulteros comprehendunt ob hanc cauſam eos interficiunt, quod illas reddant impudicas: ſed quia ipſos exiſtimãt ab eis auferre charitatem erga viros itaque ijs vt hoſtibus vtuntur. Cui pene totius Græciæ communi conſtitutioni hoc ſapientiſſimus Athenienſium legiſlator Solon addidit r, vt quæ in adulterio deprehenſæ eſſent, mundo omni ornamentoq; muliebri detracto, matronarum cœtu, ſacrorúmq;, quæ vel ancillis patebant, aditu prohiberentur, ne earum conſuetudine honeſtæ matresfam. corrumperentur. Laudabilis & illa Thuriorum lex ſ, quæ Comœdiis alios, quàm adulteros traduci, nominatimq; perſtringi vetabat, quaſi hæc vna labes publica nota vindicanda eſſet. Quæ omnia prouidentiſſimus

i Iuuenal. ſatyr. 6.
k Herod. lib. 1.
l Plato lib. 11. de legib. Iuſtin. lib. 1.
l lib. Reg. 2. cap. 11.
m Paterc. libro 1. Propert. lib. 3.
n Plutarc in Parallel.
o Zonaras Tom. iij. Annal.
p Bapt. Egnat. in Epito. ſua.
q Suid. in verbo δακτυλίους μοιχοὺς & in verbo βοΐωνας.
r Aeſchines κατὰ Τιμάρχου. Demoſthen. κατὰ Νεαίρας.

Quamquam & huic vitio fuiſſe eùm principem deditum literis proditum eſt: quod ne amicos quidem negaſſe Tranquillus ſcribit[a], excuſantes ſane non libidine, ſed ratione ab eo adulteria commiſſa, quò facilius conſilia aduerſariorum per cuiuſque mulieres exquireret. Sed tamen hominum, vt eleganter cum Eutropio Sex. Aurel. Victor.[a], ait, more, qui in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt, aliorum in hoc genere peccata, grauiſſimè executus eſt. Nam & poëtam Ouidium quòd tres amatoriæ artis libros conſcripſiſſet, exilio damnauit. Quod & Frecuplh. lib. ii. Chro. tradit. Atq; hanc exilij ſui cauſam Ouidius pluribus locis aperit vt lib. i. Triſt. eleg. i.

a in Augusto cap. 69.

a in Epit.

Inſpice, dic titulum: non ſum præceptor amoris,
Quas meruit pœnas iam dedit illud opus.

Et eleg. vi.

Vel quod erat Muſas vt crimina noſtra peroſus. Et lib. ii.

Carmina fecerunt vt me moreſq; notaret
Iampridem inuiſa Cæſar ab arte meos.

Alibi tamen duas affert cauſas quarum vnam Tacitus prçterit ac diſsimulat,

Perdiderant, ait, *cum me duo crimina, carmen & error.*
Alterius facti culpa ſilenda mihi:
Nam tanti non ſum renouem vt tua vulnera Cæſar
Quem nimio plus eſt indoluiſſe ſemel.
Altera pars ſupereſt qua turpi crimine læſus.
Arguor obſcœni doctor adulterij. Et lib. 3. Eleg. 5.
Inſcia quod crimen viderunt lumina, plector.
Peccatumq; oculos eſt habuiſſe meos.

Et alibi,

Cur aliquid vidi, cur noxia crimina feci.

Et alibi,

Nec bene nec tutum eſt quo ſunt mea dicere caſu
Lumina funeſti conſcia facta mali.

Ac ne filiæ quidem neptíq, ſuæ, quæ hac lege commiſerant, vt parceret, adduci potuit. Ita factum eſt, vt adulteriorum accuſationibus fora per aliquod tempus perſtreperent. Quæ cũ paulatim conniuentibus magiſtratibus & diſsimulatione tẽporũ remitterentur, ſeneſcentẽ iam legem Iuliá renouaſſe

Domitianus dicitur, multoſq; nobiles ac locupletes viros ea lege condemnaſſe b. Ea res Martiali, aſſentandi honoris auidiſſimo principi multis locis materiam dedit. Sic enim ille lib. VI. Epigram.

b. Zonar. annal. tomo 2.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ,
Luſus & immeritos execui ſe mares.
Vtraque tu prohibes Cæſar, populiſq; futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude iubes.
Nec ſpado iam, nec mœchus erit, te præſide, quiſquam:
At prius, ô mores, & ſpado mœchus erat.

Alio quoque loco eius in Rempubl. ſingula merita perſecutus, quæ ei & ſpectacula, & ludos, & triumphos, & deos debeat, tandem ait,

Plus debet tibi Roma quod pudica eſt. Idem lib. VII.
Sancta ducis ſummi prohibet cenſura, vetatq;
Mœchari. Et aliàs c,

c lib. 8. Epigr.

Iulia lex populis, ex quo, Fauſtine, relata eſt,
Atque intrare domos iuſſa pudicitia:
Aut minus, aut certè non plus vigeſima lux eſt.

Eóq; referendum eſt & illud Iuuenalis d,

d ſaty. 2.

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus, atque ipſi Marti Veneriq; timendas.

Ceterùm lex iſta interdum e De adulteriis coërcendis, interdum f De pudicitia appellatur. Cuius verba hæc fuiſſe mihi traditum eſt:

e l. 5. & l. 42. D. ad l. Iul de adult. l. 3. & l. 17. C. eod. tit. l. 38. §. 1. D. de muneri b.
f l. 8. & l. 9. C. de adult. Sueto. in Auguſto. cap. 34.

I

Ne quis poſthac ſtuprum, adulterium facito ſciens dolo malo.

II.

Qui ſtuprum, adulterium ſciens dolo malo fecerit, in inſulam relegator.

III.

Patri, qui in poteſtate habet adulterum quemlibet, quem in filia deprehenderit domi ſuæ, generiue ſui, occidere ius eſto, dum vnà cum eo inconti-

nenti filiam occîdat.

IIII.

Viro deprehenſum domi ſuæ in vxore ſua adulterum, qui leno fuerit, quíue artem ludicram fecerit, vel in ſcenam ſaltandi, cantandíue cauſa prodierit, iudicióue publico damnatus, neque in integrum reſtitutus erit, quíue libertus eius mariti, vxoríſue, patris, matris, filij, filiæ, vtriuſque eorum fuerit, propriúſue eorum, vel cum alio communis, quíue ſeruus erit, occidere licito: Qui eorum aliquem occiderit, vxorem ſine mora dimittito.

V.

Viro adulterum cum vxore ſua depreheſum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere per horas diurnas, nocturnasque non plus quàm viginti teſtandæ eius rei gratia, vt vti ſine fraude ſuo iure poſſit, liceto.

VI.

Viro patríque, qui in poteſtate habet, ſexaginta dies vtiles ad accuſandum dantor, intráque eos dies cuilibet præferuntor. Poſt eos dies patri, maritóque lapſos, extranei quilibet admittuntor.

VII.

Ne quis inter reos eum, qui tunc ſine detrectatione Reipublicæ cauſa aberit, referto.

VIII.

Minoribus xxv. annis adulterii accuſare ne liceto.

IX.

Si ſeruus adulterij accuſetur, & quæſtionem in eo haberi accuſator poſtulet, iudices ſeruum æſtimanto: & quantum æſtimauerint, tantam pecuniam & alterum tantum eum qui nomen eius ſerui detulerit, ei ad quem ea res pertinet, dare iubento.

X.

Qui poſt maritum & patrem accuſare poſſunt, ſi ad accuſandum plures ſimul proſiluerint, is cuius de ea re notio eſt, de iuſto accuſatore conſtituito.

XI.

Reos adulterij marem & feminam ex eadem cauſa ne facito.

XII.

Si mulier ante denuntiationem nupſerit, qui accuſare volet, ab adulterio incipito. Nec ante ad mulierem quiſquam peruenito, quàm adulterum reum peregerit.

XIII.

Adultero abſoluto, quæ nupſit, quamdiu nupta erit, aduerſus omnes ſecura eſto.

XIIII.

Si vir, qui vxori adulteræ repudium miſit, vel extraneus quis mulieri, antequam nuberet, adulterij ſe acturos denuntiauerint, eáque poſt denuntiationem nupſerit, ab ea incipere accuſare volenti ius eſto.

XV.

Si vidua ſit, de cuius adulterio agitur, accuſator liberum arbitrium adulterum vel adulteram, vtrùm priùs velit, poſtulandi habeto.

XVI.

Qui domum ſuam præbuerit, vt ſtuprum, adulteriúmue cum aliena matrefa. vel cum maſculo fieret, ſciens hac lege tenetor.

XVII.

Qui pro comperto ſtupro pretium acceperit, quæſtúmue ex adulterio vxoris ſuæ fecerit, hac lege tenetor.

XVIII.

Damnatam adulterii ſi quis ſciens vxorem duxerit, hac lege tenetor.

XIX.

Qui deprehenſum in domo ſua adulterum dimiſerit, vxorémue in adulterio deprehenſam retinuerit, hac lege tenetor.

XX.

Mulieri accuſandæ ſex menſes vtiles dantor, poſteà accuſare ne liceto.

XXI.

Adulterum, adulterámue poſt quinquennium cótinuum quàm commiſſum eſſe adulterium dicetur, accuſare ne liceto, eáque præſcriptio adultero, adulteræque vtilis eſto.

XXII.

De ſeruis ancilliſue eius, de quo vel de qua quæretur, parentíſue vtriuſque eorum, qui eis ad vſum à parentibus dati ſint, ſi accuſator poſtulet,

quæſtionem habeto.

XXIII.

Quæſtioni reus reáue, patroníue eorum, & is, qui crimen detulit, interſunto. Patronis interrogandi facultas eſto.

XXIIII.

Seruus de quo quæſtio habita fuerit, publicus eſto.

XXV.

Si reus, vel rea abſoluti fuerint, ſeruorum damnum iudices æſtimanto: ſiue mortui fuerint, quantæ pecuniæ ante quæſtionem fuerint: ſiue ſalui, quantæ pecuniæ in his damnum datum fuerit, factúmue erit.

XXVI.

Serui, qui quæſtioni poſtulari poſſunt, intra ſexaginta dies ex die diuortii ne manumittuntor, néue alienantor.

XXVII.

Adulterii damnato damnatǽue teſtimonii dictio ne eſto.

XXVIII.

Diuortia ſeptem ciuibus Romanis puberibus teſtibus adhibitis præter libertum eius, qui diuortium faciet, poſthac faciunto. Aliter facta pro infectis habentor.

XXIX.

Dotale prædium Italicum maritus inuita vxore ne alienato, néue conſentiente ea obligato.

Nunc ſingula legis verba excutiamus, eisque congruam ex Iureconſultorum commentariis, noſtrisque qualeſcumque ſunt, obſeruationibus interpretationem accommodemus.

Prius caput ab Vlpia. refertur [a], quod ita conceptum eſt. NE QVIS POSTHAC. Verbum *Quis* vtrumque ſexum, id eſt, tam maſculos quàm feminas complectitur [b]. Sed & Eunuchos quos apud Lucianum Diocles οὔτε ἄνδρας οὔτε γυναῖκας eſſe ait ἀλλά τι σύνθετον ϗ μικτόν. Nec abs re de Eunuchis memini. Eunuchos adulterii vel ſtupri crimine inſimulari. Phauorinus enim Eunuchus cũ eſſet, adulterii à viro cõſulari poſtulatus eſt vt Philoſtratus ait. Lucianus etiam in Eunucho Bagoam etiam ferunt in adulterio deprehenſum, ac accuſatum ſuo ſe corporis ſtatu quod ſe Eunuchum diceret iudicum ſententiis aſpectu corporis abſolutum. Beatus quoque Auguſtinus lib. 11. ad Valer. Comit. Calligorum Valentinium ſpadonem conuictum in meretricem exarſiſſe punitum ſcribit. Nec verò ruſticitati hîc aut ætati venia datur. Proinde ſi minor XXV. annis adulterium commiſerit, hac lege tenebitur: quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit, nec iuſtè adulterii pœnam ætatis excuſatione deprecabitur, [c] cùm auxilium in integrum reſtitutionis in executionibus pœnarum ceſſet [d]. Ait autem POSTHAC, communi omnium legum regula, quæ futuris non præteritis caſibus ſcribuntur [e]. Neque enim (ait Cicero [f] Verrem ridens) in vlla lege præteritum tempus reprehenditur, niſi eius rei, quæ ſua ſponte ſcelerata, ac nefaria eſt, vt etiamſi lex non eſſet, magnopere vitanda fuerit. Cujuſmodi delictum etſi lex Iulia coërcet, quæ id, quod ſemper malum facinus fuit, admitti prohibet, quia tamen nouis conſtitutis pœnis id ſanxit, ante admiſſa in iudicium vocari noluit. STVPRVM ait, ADVLTERIVM [g]. Stuprum propriè in virginem vel viduam adulterium in nuptam committitur [h] propter partum ex altero conceptum compoſito nomine. Sed lex Iulia his verbis promiſcuè, atque indifferenter vtitur. Quorum Modeſtinus ſententiam exponens, ſtuprum cùm committere ait [k], qui liberam mulierem conſuetudinis cauſa non matrimonii [i] retinet: excepta videlicet concubina. Bene liberam. Inter liberas enim dumtaxat perſonas ſtuprum adulteriúmue paſſas lex Iulia locum habet [l]. Violata vero ſeruorum contubernia non vindicat [m] quia nec nuptiæ inter ſeruiles perſonas conſiſtunt [n] proinde adulterii accuſationem inter contuberna-

a l. hac verba. D de adulteriis.
b l. 1. D. de verb. ſign. l. ſi quis id quod. D. de iuriſdictio.
c l. 36
d l. ſi ex cauſa. §. ſi mulier. l. auxiliũ D. de minor.
e l. 38. §. 1. D. de adulter.
e l. 7. C de legib.
f Oratio. 3. in Verr.
g l. inter ſtuprum. D. de verbor. ſignific.
h S.x Pomp. lib. 1.
i l 6 § 1. D. de adulter.
k l. 34 D de adulter.
l l 6 D. ad leg. Iul. de adult.
m l. 25. C. eod. tit.
n l 3 C de inceſt. nupt.

les ſeruos ſeruos ſeruaſque ceſſare conſtat [k] Merito, excepta concubina, quæ quidem in concubinatu licito iure ſit. Nā concubinatus, quemadmodum Marcellus ſcribit, extra pœnam legis eſt, id eſt, vt ego interpretor, extra legis Iuliæ pœnam. quæ in concubina ſtuprum non vindicat, propterea quòd, vt Vlpianus cum Atilicino ſentit [n], hæ ſolæ in concubinatu haberi ſine metu criminis poſſunt, in quas ſtuprum non committitur. Cuius rei gratia inueſtigandum eſt, quibuſnam in mulieribus olim ſtuprum impunè admitteretur. Ac primum in ea quæ ſe non patroni concubinam eſſe patitur, ſtuprum non contrahi Papinian. ait [o] Etenim quæ in concubinatu patroni eſt, matronæ nomen non amittit [p], matriſque familiàs honeſtatem nihilominus retinet, cùm obſequiū patrono debeat. Vnde Capitolin. in M. Antonino philos. Eniſa eſt fabra vt Fauſtina mortua in eius matrimonium coiret: ſed ille concubinam ſibi adſciuit, procuratoris vxoris ſuæ filiam ne tot liberis ſuperduceret nouercam. Coràm vero procuratores liberti. Seneca lib. IIII. Controuerſiarum ait, Memini illum, cùm libertum reum defenderet, cui obiiciebatur, quod patroni concubinus fuiſſet, dixiſſe, impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſeruo neceſſitas, in liberto officium. Alia cauſa eſt eius, quę dignitatis matronalis oblita in concubinatum ſe alterius, quàm patroni tradit [q]. Quamquam ſine ſtupri crimine in concubinatu eſſe aliena liberta poterat. Plautus Epidico,

Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit.

Et plane olim ex libertino genere fere meretrices omnes ortæ erant. Eoque reſpexiſſe credo Horatium, qui cum docuiſſet ſine periculo in matronis venerem non exerceri, ſuppliciaque de adulteriis ſumpta recenſuiſſet, ſubiicit [s],

Tutior, at quantò merx eſt in claſſe ſecunda:
Libertinarum dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quàm qui mœchatur.

Itaque quod aliàs Modeſtinus ait [t], in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatum, ſed nuptias intellegendas: ſi non corpore quæſtum fecerit, de ingenua muliere non de quauis libera accipiendum eſt. In liberta enim non procedit. Sed

k l. 23. C. de adulter.
l l. 3. D. de concubin.
m l. ſi vxor. D. de adulter.
n l. 1. §. 1. D. de concubin.
o l. 16. §. 1. D de his quæ vt indign.
p l ſi vxor. §. 1. D. de adult. l liberta. D de oper libert.
q l. ſtuprum. D de rit. nupt.
r l. 3. D. de concubin.
s lib. 1. Serm ſatyr.
t l. in libera D. de rit. nupt.

Sed nec in ingenuas mulieres, quæ palam quæſtum corpore facerent, ſtuprum committebatur. Vnde Terent. Eunucho Act. v. ſc. v.

Quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo meretricia
Deprehendi quemquam.

Et ideo in concubinatu haberi poterant [u], quod vtique ſi honeſtè vixiſſent, non licuiſſet. Vnde Imperatores Diocletianus & Maximianus, quorum à rege Rogerio in Neapolitanas leges conſtitutio tranſlata eſt [x]. Si ea, aiunt [y], quæ tibi ſtupro cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgò ſe præbuit, adulterii crimen in ea ceſſat. Vbi bene Accurſius earum, quæ in matrimonio habentur, ſeparatam à virginibus vel viduis cauſam conſtituendam eſſe notat. Nam & in ea vxore adulterium vindicari, quæ vulgò ſui copiam faciat, paulò poſt docebimus. Sic eueniebat, vt in ea nupta adulterium committeretur, in qua innupta ſtuprum non committebatur. Poterit hic vulgatos codices verſantibus ſcrupulum Marcelli locus iniicere, quo ſtuprum & in his mulieribus intelligi ait [z] quæ turpiter viuerent, vulgoque quæſtum facerent. Sed profectò illic, Probrum, non, Stuprum, in Florentino Codice rectè legitur: hoc ſenſu, vt probroſæ ſint feminæ, quæ turpiter viuunt, vulgoque ſui copiam faciunt, etiamſi non palam, quamquam ingenuorum nuptiis lege Iulia de maritandis ordinibus ex ea cauſa non repellantur, qua non quæcumque ſe ſtupratoribus vulgo committunt, ſed quæ paſſim, & ſine vllo delectu meretricio more & in vicem proſtitutæ id faciunt, apprehenduntur [a]. Cato certè apud Gellium lib. IX. cap. XII. maiores hoc cenſuiſſe ſcribit, niſi quis palam corpore pecuniam quæreret, aut ſe lenoni locaſſet, etſi famoſus & ſuſpicioſus eſſet, vim in corpus liberum non æquum eſſe adferri. Nunc ad inſtituta pergamus. Præterea in ignominioſas feminas, quæ pudore, matronalique verecundia depoſita artem ludicrã lenociniúmue fecerint, operasq; ſuas in ſcenam ſaltandi, vel cantandi cauſa locauerint, quas & lex Iulia de maritandis ordinibus notat [b], ſtuprum commiſſum hac lege non apprehenditur. Eaq; ratione pleræque mulieres, vt pœnas adulterii effugerent, tutiusq; de cetero li-

u l. 3. D. de concubin.
x In conſtit. Neapol. lib. 3. tit. 77.
y l. ſi ea D. de adulter.
z l. 41. D. de ritu nupt.
a l. palã. D de ritu nupt.
b Vlp. in Inſtitut. tit. 13.

bidini inſeruirent, ſcenicis operis lenocinióue faciendo ſe dedebant. Qua fraude, ne delicti impunitatem ſibi pararent, Senatuſconſulto conſtitutum fuit eas [c], quæ ſe in fraudē legis & euitandæ pœnæ cauſā in ſcenam locaſſent, vel lenocinium profeſſæ eſſent, accuſari nihilominus adulterii, & damnati poſſe. Cuius rei Sueton. in Tiberio[d] meminit his verbis, Fœminæ famoſæ vt ad euitandas legum pœnas, iure, ac dignitate matronali exoluerentur, lenocinium profiteri cœperant & ex iuuentute ordinis vtriuſque profligatiſſimus quiſque, quominus in opera ſcenę, arenæque edenda Senatuſconſulto tenerentur, famoſi iudicii notam ſponte ſubibant. Eos, eaſque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exilii pœna affecit. Apud Plautum in Mercat. Act. 4. ſce. vlt. Syra auus quæritur dura lege viuere Mulieres multoque iniquiore quam viros & optat, æquam legem dici viris ac mulieribus. Locus tranſcribendus integer. B. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum ita ſcribit, Aliæ sūt leges Cæſarum aliæ Chriſti. Aliud Papinianus aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, nō volūtas. Apud nos quod nō licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſeruitus pari condicione cenſetur. B. Auguſt. de verbis Apoſt. ſermo. 4. Hæc dixi quæ licite committuntur: ſed non Dei legibus. Quis enim aliquando ad iudicem ductus eſt quia meretricis lupanar intrauit? Quis enim aliquando in publicis tribunalibus accuſatus eſt, quia per ſuas lyſtrias laſciuus, immunduſque defluxit? Quis aliquando habens vxorem, quia ancillam ſuam vitiauit, crimen inuenit? Sed in foro non cœlo, in lege mūdi non in lege creatoris mundi. Verum ex noſtris libris conſtat, eum qui alienā ancillam corrupiſſet, lege quidem Iulia non teneri, non tamē impunitum eſſe eius factum. Datur quippe ex hac cauſa domino & iniuriarum & l. Aquiliæ actio illa proculdubio cum maturæ vitiū oblatū hęc vtique cū immatura & nondū viripotēs corruptā eſt. Paulus lib. 1. Sent. Tit. de Iudicato. Si quis ancillam alienā immaturā, virginē immaturā corruperit pœna legis Aquiliæ tenetur: ſed & plane in caupone do-

[c] l. mater in ſ. D. de adult.

[d] cap. 35

minas ſtuprū admiſsū ne vindicandū: in miniſtras vero caupones quę vinū potātibus præbent non eſſe itē Conſtantinus ſtatuit[e]: quòd eas vitę vilitas iudiciaria ſeueritate immunes indignasq; legū obſeruatione reddit. Atq; eodē modo nec Solonis legibus in iis ſtuprū vindicabatur, quę in taberna ſederēt, vel in foro venales res propoſitas haberēt. Demoſthenes κτ' Νεαίρ. τοῦτο νόμοι ἐπὶ τούτοις παρεχόμενος, ὃς οὐκ ἐᾷ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου καθῶνται ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι. Atq; adeo tabernarias in vilium & abiectarum perſonarum numero habent Impp. vt ex eorū cōſtitutionibus intelligimus, d.l. 1. C. de natur. lib. l. humilē C. de inceſt. nupr. De illo dubitari poteſt, an in alienas ancillas ſtuprū impune committeretur: Etenim & extra ordinem de deuirginata ancilla præſides cognoſcere ſolitos Vlpianus ait[f], & pro modo delicti animaduertere. Eoque forte reſpexit Agathias Scholaſt. in Epigr. cum ait ἦν δὲ μιγῇς ἰδίῃ θεραπαινίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς Δοῦλος ἐναλλάγδην δμωΐδι γιγνόμενος. Εἰ δὲ καὶ ὀθνείῃ (ſcilicet θεραπαινίδι: Sic enim cum Brodęo interpretari rectius eſt, licet aliter Alciat[9] in parergis acceperit.) τότε σοι νόμος αἶσχος ἀνάψει, Ὕβριν ἀνιχνεύων σώματος ἀλλοτρίου. & Niceporus lib. xi. hiſt. eccleſiaſt. cap. 32. In meretrices autem & quæ palam quęſtū corpore facerent, meritoriaq; ſcorta nemo dubitat ſtupri crimen non cadere. Inde Saluian. Maſſilienſis lib. vii. de vero Dei iudicio, Impudicitiæ piaculo obnoxias eſſe meretrices ſcribit, ſed reatu tamen adulterii non teneri. Simili modo nec in meritorios pueros ſtuprum admittebatur. Inde Eunucho Terent. clamat, quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo meretricia deprehendi quēquam. Sed de priore ſtupri ſpecie ſatis: tractemus & alias. Qui duas vxores eodē tēpore ducit, is in ſecundā ſtuprū cōmittere intellegitur, ſtupriq; accuſari poteſt[g]. Nec enim iure Romano binas vxores eodē tēpore in matrimonio habere licuit[h], quod Athenienſiū legibus licuiſſe accepimus. Quāquā & Iuliū Cæſarē & Valentinianū idē in animo habuiſſe lege ſancire Trāquill[9] i, & Caſſiodor. & Paul. Diacon[9] ſcribant. Sed meritò hoc moribus Romanis improbatū eſt, quibus nō ei dūtaxat, qui duas vxores eodē tēpore duxerit, ſed & ei, qui vel bina dumtaxat ſpōſalia eodē tēpore conſtituta habuerit, infamia irrogatur[m];

e l. quæ adulterium C. ad leg. Iul. de adult.

f l. vlti. D. de off. præſid.

g l. eum qui D. de adulter.

h l. 2. C. de inceſt. nupt.

i in vita ca. 52.

k Lib. 4. hiſt. tripart. cap. 11

l Lib. 11. hiſt. Eutrop.

m l. 1. D. de not. infam.

niſi patris imperio coactus quis fecerit. Excuſatur enim, qui non ſponte, ſed cogente patre fecerit, cui obtemperare neceſſe habuit.n Mulier verò ipſa, quæ aliis iam nuptiis deuincto nupſit, ſiquidem falſa exiſtimatione decepta nupſerit, nullam pœnam incurrit: Poſteriores certe nuptiæ primis manentibus vitiantur, ſtuprique accuſatio datur. Præter hæc & qui pupillam ſuam ab eius patre, ſibi neque deſponſatam, neque deſtinatam, nondum redditis rationibus contra Senatuſconſultum duxerit, ſtupri tenetur o, quoniam nec matrimonium eſt p. Eademque ratione ſi quis in ea prouincia, in qua adminiſtrat, vel aliquod officium gerit, vxorem duxerit, eiuſmodi conſuetudine ſtuprum committere intellegitur, cum nuptiæ non conſiſtant q. Itidemque liberos qui concubinas parentum duxerint, tam irreligioſo matrimonio ſtuprum committere Imperator Alexander reſcripſit r. Poteſt & illud ex poſteriorum Imperatorum conſtitutionibus addi, Si quis Iudæus Chriſtianam mulierem in matrimonio habeat, adulterii loco hoc crimen vindicari s. Cæterùm ſtuprum non in virgine tantùm, ſed & in puero admittitur t. Eſt enim generale verbum, tantumdemque apud nos valet, quantum apud Græcos φθορὰ u. Sequitur igitur non in fœminis tantùm, ſed & in maribus admiſſa ſtupra lege Iulia vindicari. Quod & Iuſtinianus ſcribit x. Atque hi nefandi contra naturam coitus iam ante lege Scantinia vindicabantur. Cuius legis, vt iam ab aliis ante me notatos locos taceam, etiam Cicero a, & Cælius b, & Tertullianus b, & Prudentius c, meminere. Eius vero legis pœnam pecuniariam fuiſſe quidam exiſtimant ex eo quòd Quintilian. ſtupratori pœnam decem milium conſtitutam, duobus locis d tradat. Quod ego pro certo atque indubitato non admitto. Nam exempla quædam capitali ſupplicio ob ingenuos adoleſcentes ſtupratos affectorum, Suidas e, & Valer. Max. f memorant. Apud Plutarch. in Marcello, obtentatam ingenui pudicitiam pœna pecuniaria inflicta narratur. Et quod à Quintiliano, ſcribitur, poteſt, vt in ſcholà fit, exercitationis gratia confictum, aut ex Græcorum legibus ſumptum eſſe.

n d. l. 1. in fi. & l. liberorū. D. de his qui not. infam.
o l. 7. D. de adulter
p l. non eſt. D. de ritu nupt. l. 17. D. rerum amot.
q l. præfectus D. de rit. nupt. l. 3. §. 1. D. de donat. int. vir.
r l. 4. C. de nupt.
s l. 5. C. de Iudæis. l. . de nupt. C. Theo. l. 5. de adult. C. Theod.
t l. 34. D. ad l. Iul. de adult.
u l. 6. D. eod.
x §. item lex Iulia. Inſtit. de public. iudic.
a Philip. 3.
b Lib. 8. Epi. 146.
b In lib. de monogam.
c In Romano.
d Lib. 4. ca. 2. lib. 7 cap. 4
e In verbo Γάιος λαυδέριος
f Lib 6. cap. 1

Clemens etiam Alexandr. lib. iii. pædag. cap. iij. ἀγαμίας, ait, τοὺς παλαιοὺς ῥωμαίων νομοθέτας ἀνδρογύνους ἐμίσησαν ἐπιτήδευσιν, οὗτοι καὶ τοῦ σώματος καὶ παρὰ τὸ θῆλυ κοινωνίαν παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον ὀρύγματος κατηξίωσαν κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον. quibus verbis declarat ideo defodi. ſolitos eos, qui maſculis idē peractitaſſēt. Ego tamē ãpliari iűdiciũ poſtulo. Et vtut ſit, illã legē Iulia abrogatã fuiſſe nõ exiſtimo. Nã poſtea quoq; eius pœnã in vtriuſq; ordinis viris exercuiſſe Domitianũ, Tranquillus refert g. Planè etiã Cõſtãtinus capite animaduerti in prædicatores grauibus execrationibus præcipit. h Ignis deinde pœna hoc crimen vindicandum Impp. Valentinianus Theodoſ. & Arcadius conſtituere i. Addidit & Iuſtinianus, Zonara auctore, virilium amputationem: Quæ tamen pœnæ leues videbuntur, ſi cum magnitudine delicti comparentur. quod non diuinis modò præceptis, ſed & ipſi naturæ ita aduerſatur, non ſolum vt animus à facto, verum etiam à commemoratione abhorrere debeat. Quid enim vt cum Lactãtio loquar poteſt. Ceterũm ne inceſtu nihil lege Iulia expreſſum eſt, & ideo de inceſtu legem Iuliam ceſſare Papinian. k ait: quod ita verum eſt, ſi nõ cum adulterio inceſtum iunctum ſit l. Raptus item lex Iulia non coercet. Sed hoc crimen ad legem Iuliam de vi pertinet m. Et ideo bene Iuſtinia. ſtupri flagitium ſine vi admiſſum lege Iulia puniri ſcribit. o. Amplius ſtupra in viripotentes & maturas demum virgines commiſſa lex Iulia vindicat. Quod ſi quis virginem immaturam & intempeſtiuam viro corruperit, alia pœna plectitur n Hæc autem verba, NE QVIS STVPRVM FACITO, Vlpiano interprete, & ad eos qui ſtuprum, adulteriumue intulerint, & ad eos qui ſuaſerint, pertinent p Eos enim legis quoque ſententia teneri intellegimus, qui adulterium, ſtuprúmue facientibus opem ferunt, aut malo conſilio in fraudem illiciunt. S iens, ait lex, *dolo malo*, quæ verba & in eo capite legis Iuliæ de maritandis ordinibus. quod à Paulo refertur r, & in capite quinto legis Mamiliæ, & in lege Fabia ſ, & alias t ſæpe coniunguntur. Oſtendiunt autem eum demum ex hac lege plecti, qui dolo malo ſtuprum adulteriumue commiſerit. Si igitur dolus abſit, ceſſabit eiuſdem pœna: doli ſuſpicionem quilibet facti error excludit. Proinde qui non animo adulterij, ſtupriue

g In Domitia cap. 8.
h l. cum vir. C. de adulter.
i l. omnes de adulter. in C. Theod.
* lib 6. de vero cultu p. 21.
k l. 4. D. de quæſtion
l l. vim paſſam §. vlt. D. de adulter l. 5. D de quæſtio.
m lq. ui cœtu. § vlt. D. ad l. Iul. de vi publica. l 29. §. vlt. D. de adulter.
n l. ſi quis aliquid § qui inſtendunt D. de pœnis.
o Zonara p. 52.
p l. 2. D. eod.
r l lege Iulia. D de ritu nupt.
s l. 3. D de lege Fabia.
t l. 1. D: ad l. Iul peculat. l. 9. §. pen. ad leg. Corn. de falſ. l. ven. mſ. D. de plagiar. §. 1. D. de adul. ed.

committendi honeſtæ matronæ, virgíníue vitium obtulerit, cùm iuſta aliqua ratione ductus ſine vllo dolo exiſtimaret in ea ſtuprum non committi, excuſatur[u]: vt ecce, ſi non ex lege, nec vti oportet, repudiatam mulierem inſciens quis duxerit, quamuis ea adhuc in priori matrimonio eſſe videatur, tamen adulter non erit, quia ſine affectu delinquendi & dolo malo adulterium non committitur[x]. Eademque ratione qui meretricia veſte indutas matronas ſtuprauerit, vix eſt, vt lege Iulia teneatur[y]: quoniam hac mente, & cogitatione nõ fuit, vt ſtuprum, vel adulterium faceret. Quo pertinet illa quæſtio quæ à Quintiliano proponitur[z], an qui in lupanari cum aliena vxore fuerit deprehenſus, adulterij teneatur. Hic enim meretrici ſe iungi iuſta ratione credidit, cùm in eo loco, in quo proſtitutæ ſedere ſolent, matrona proſtaret. Et longè hic error à dolo & ſcientia abeſt, quorum vtrumque lex Iulia in hiſce delictis exigit. His conſequens eſt & illud, Adulterij ea demum mulierem teneri, quæ volens deliquerit: vim paſſa, quia culpa vacat, pœnam legis non timet[a]. Eam igitur vxorem ſine fraude ducere cuique licebit[b].

u arg. l. igitur. D de liber. cauſa. l. 1. §. is qui neſcit. D. de lib. hom. exhib.

x l. penult. D. de adulter.

y arg. l. item apud Labeonem §. ſi quis virgines. D. de iniur.

z lib 7. ca. 3.

a l. ſi vxor §. ſi quis plane. D. de adul.

b l. fœdiſsimã. C. eod.

QVI STVPRVM ADVLTERIVMVE FEC. &c.

Adulterij pœnam ex lege Iulia capitalem non fuiſſe perſpicuè ex eo apparet, quòd adulterij damnatas eadem lex vxores duci, & in teſtimonium citari vetet. Quod certè perabſurdum fuiſſet cauere, ſi huius criminis pœna vitam, libertatémue ademiſſet. Fuit verò proculdubio legis pœna relegatio, qua & Auguſtus vſus traditur, cum ſeueritatem legis in filiam neptémque exerceret, quæ ſe adulterio maculauerant. Suetonius in Auguſto[c]: Iulias filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegauit, relegatiſq;, vt mox ſubijcit, omnem vſum vini, omnemq; delicatiorem cultum ademit, neq; adiri à quoquam liberto, ſeruoq;, niſi ſe conſulto permiſit, & ita vt is certior fieret, qua is ætate, qua ſtatura, quo colore eſſet. Poſt quinquennium demùm ex inſula in continentem leuioribus paulò cõdicionibus eas tranſtulit. Quod Cornel. Tacitus diſtinctius memorans, Iuliam filiam ob im-

c Cap. 65.

pudicitiam à patre Auguſto Pandateria inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſam fuiſſe narrat [d]. Iuliam quoque neptem adulterij conuictam, damnatam ab eodem in inſulam Trimerum haut procul Appulis litoribus relegatam, vbi xx. annis exilium tolerauit [e]. Et illa quidem Marcello primùm Octauiæ ſuæ ſororis filio, deinde vt is obijt, Marco Agrippæ, poſtremóq; Tiberio nuptum à patre data eſt [f], quibus in matrimoniis incontinentiſſimè vixit, eáq; præcipua fuiſſe Tiberio cauſa creditur Rhodum ſecedendi [g], cùm nec perferre eam poſſet, nec criminari, aut dimittere auderet, propter patris Auguſti metum, cuius tamen auctoritate tandem ei libellus repudij abſentis Tiberij nomine miſſus eſt [h]. Ipſaq; in eas quas dixi inſulas relegata. In Chronico quoq; Euſebij Iuliam à patre Auguſto quod in adulterio deprehēſa eſſet exilio damnatam ſcriptum eſt. Nec vero alia quàm exilij pœna, quod & Seneca in lib. de Clementia extollit, adulteris eius inflicta eſt. Cornelius Tacitus [i]. Par cauſa ſæuitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & prauè facundus, eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temerauerat: nec is libidini finis. Traditam Tiberio peruicax adulter contumacia, & odiis in maritum accendebat: litteræq; quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, à Graccho compoſitæ credebantur. Igitur amot⁹ Cercinam Africi maris inſulam, quattuordecim annis exilium tolerauit. Sed mihi temperare non poſſum quin ad hanc rem pertinentia Vellei Paterculi verba adſcribam. Filia, ait [k], eius Iulia, per omnia tanti parentis immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuria, libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunæ ſuæ peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet, pro licito vindicans. Tum Iulius Antonius ſingulare exemplum Clementiæ Cæſaris, violator eius domus, ipſe ſceleris à ſe commiſsi vltor fuit, quem victo eius patre, non tantum incolumitate donauerat, ſed ſacerdotio prætura, conſulatu, prouincijs, honoratum etiam matrimonio ſororis ſuæ filiæ in arctiſſimam affinitatem receperat: Quintiuſque Criſpinus ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius & Sempronius Gracchus, ac Scipio, alijq; minoris

[d] Lib. 1. hiſt. Aug.
[e] Idem Tacit. lib. 4.
[f] Sueton in Aug cap. 61.
[g] Tacit. lib. 1. Sueto. in Tiber. cap. 10.
[h] Sueton. in Tiber. cap. 11.
[i] Lib. 1.
[k] Lib. poſteriore ad Vinic.

nominis vtriuſq; ordinis viri, quaſi cuiuſlibet vxore violata pœnas pependere, cum Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent coniugem. Iulia relegata in inſulam, patriæq; & parentum ſubducta oculis: quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarij exilij permanſit comes. Hæc ille, cui Seneca quoque conſentiens, Diuus ait [l], Auguſtus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegauit, & flagitia principalis domus in publicum emiſit, admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus ciuitatem. Fertur & illud inexplebilis Iuliæ libidinis argumentum, quod numquam niſi plena naue vectorem ſe tollere diceret [m], eaq; ratione etiam in infinitis adulteriis ſimiles marito liberos procreare. Sed de domeſticis Auguſti malis ſatis, qui eam quam ipſe tulerat legem, in liberis exercere coactus eſt. Legis Iuliæ pœnam intra relegationem ſteтiſſe confirmat, quod Tacitus refert [n], Vſtiliam, quæ Titidio Labeoni nupſerat, adulterij conuictam in inſulam Seriphum abditam eſſe. Huius etiam pœnæ aliud exemplum Plinius in Epiſtolis [o] ſuppeditat: Sequenti die audita eſt Galitta adulterij rea: nupta hæc Tribuno militum honores petituro: & ſuam, & mariti dignitatem Centurionis amore maculauerat. Maritus legato Conſulari, ille Cæſari ſcripſerat. Cæſar excuſſis probationibus Centurionem exauctorauit, atq; etiam relegauit. Circa milites porro, quos ab omni libidine puros ſeruari caſtrorum diſciplina poſtulat, legis Iuliæ pœnam plerique Imperatores exceſſere. Macrinum enim Capitolinus ſcribit milites quoſdam, qui hoſpitis ſui ancillam corrupiſſe arguebantur, duobus miræ magnitudinis bobus, quos ſubito aperiri iuſſerat, incluſiſſe, capitibus, vt ſecum colloqui poſſent, exertis. Quamquam & ille pro innata crudelitate adulterij reos ſemper viuos ſimul iunctis corporibus incendiſſe dicatur. Aurelianum quoque Flauius Vopiſcus refert militem, qui adulterium cum hoſpitis vxore commiſerat, ita puniuiſſe, vt duarum arborum capita inflecteret, quæ ad pedes militis deligata ſubito dimitteret, vt ſciſſus ille vtrinque penderet. Militem planè adulterij ex hac lege condemnatum ipſa ſententia ſacramento ignominiæ cauſa ſoluit [p]. Sed nec inter milites poſteà recipiuntur, qui adulterij damnati fuerint [q]. In ceteris ſecundum

leg:s

l Lib. 6. de Beneſic. cap. 32.

m Macrob. lib. 2. cap. 5.

n Lib. 2. ad fin.

o lib 6 epiſt. ad Corneliа.

p l. 1. §. miles. D de not. infam.

q l. qui cum vno. §. adulterij. D. de re milit.

legis Iuliæ cõſtitutionẽ exilij pœna ſeruabatur, vt vere à Beato Auguſtino[r] ſcriptũ ſit, Adulteria Romæ morte punita nõ fuiſſe antiquitus: Nam & ipſi Romani antiqui in ſtupro deprehenſas Veſtales ſacerdotes viuas etiam defodiebant. Adulteras autem feminas quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. Primus Conſtantinus capitis pœna adulterij crimen vindicandum conſtituit[s]. Vnde perſpicuum eſt à Triboniano additam eſſe eam parentheſim, quæ in Alexandri reſcripto[t] legitur: Qui autem adulterij damnatam (ſi quocumque modo capitalem euaſerit pœnam) ſciens duxerit vxorem, &c. Capitalem autem pœnam Iuſtinianus in maſculis probat, mulierem vero verberibus cæſam in monaſterium detrudi præcipit, data poteſtate marito intra biennium, ſi hoc exiſtimauerit eam inde reuocandi, quo tranſacto, aut viro præmortuo, eam raſo capite, monaſtico habitu amiciri, & illic omni vitæ tempore manere[u] iubet. Verum enimuerò quod ad legis Iuliæ pœnam attinet, dubitari poterit, Si relegatione (vt eſt certiſſimum) terminaretur, cur tandem Romanis tam grauis ac ſeuera viſa ſit, quam & deprecatus in Apuleiæ Variliæ condemnatione Tiberius dicitur[x]: & Iuuenalis amaram, atq; ipſi Marti Veneriq; timendam appellat[y]. Etenim relegatione, quę libertatem, ciuitatemq; conſeruat[z], vix mitior alia pœna huic ſceleri infligi potuit. Ego exiſtimo non propter relegationem modò, verumetiam propter alias adiunctas pœnas legem Iuliam atrocem exiſtimatam. Nam & ea lege damnatæ mulieres aliis iure nubendi, & teſtimonij dicendi ius amittebant: quod lege cautum fuiſſe infrà docebimus. Hoc amplius, matronali veſte depoſita togam induere cogebantur, quò à matronis diſcernerentur. Quemadmodum ex Iuuenale, Martiali, aliiſq; auctoribus alias docui. Quæ res non leuem notam in publico vel ſanribus inurebat. Erat & hoc pergraue, quòd in ipſis rebus venereis deprehenſos, cædere quibuſdam perſonis lex permittebat, Accedebat, quòd adulterij conuicta mulier dotis parte multabatur. Quemadmodum Horatius[a] his ſignificat:

Nec vereor, ne dum coco, vir vrbe recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, vndique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet, vel pallida lecto

O

[r] Lib. 3. de Ciuitat. dei ca. 5.
[s] l. quamuis.
[t] C. de adulter. l caſtitati C. eod.
[u] Nou. vt nulli iudic.
[x] Corn. Tacit lib. 2.
[y] Satyr. 2.
[z] l. 4. & l. 7. § hac eſt D. de interd. & releg.
[a] Lib. 1 Sermon.

D:ſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet,
Conubio hæc metuat, doti, deprenſa: egomet mî.

Quod & ante l. Iuliam ſeruatum Valer. Maxim. quoddam
b Lib. 8. ca. 2. Marij iudicium referens indicat [b]. Enimuero adulterij dam-
natæ dos non publicabatur. Hoc enim quinque tantum legi-
c l. 3. D. de bon. damnat. bus ſancitum Vlpianus ſcribit [c], maieſtatis, Iuliæ vis publicæ,
parricidij, veneficij, & de ſicariis. Sed ex ea cauſa tanquam
diſſidii cauſam mulier præſtitiſſet, ex dote marito retẽtio cõ-
d l. miles §. ſecer. & §. vlt. D. de adult. cedebatur [d], quemadmodum ſi alio quolibet modo matri-
monium vxoris culpa ſolutum eſſet. Hic illud non incõmo-
de quæretur, quæ fuerit ante legem Iuliam adulteriis conſti-
tuta pœna. Nullam verò certam ſtatutam fuiſſe inuenio, ſed
maiorum more impudicarum mulierum coercitionem pro-
pinquis ac neceſſariis mandatam, qui in eas pro arbitrio ſta-
e Cap. 35. tuerent. Hoc Suetonius in Tiberio oſtendit [e] Matronas in-
quit, proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet,
vt propinqui more maiorum de cõmuni ſentẽtia coërcerẽt,
auctor fuit. Idem & Tacitus libro ſecundo: Adulterij grauio-
rem pœnam deprecatus, vt exemplo maiorum à propinquis
ſuis vltra ducenteſimum lapidem remouerentur, ſuaſit. Hoc
f Lib. 2. Antiquit. autem ex Romuli legibus fluxiſſe ſuſpicor, quibus vt Diony-
ſius Halicarnaſſ. ſcribit [f], ἁμαρτάνουσαί τι γυνὴ δικαστὴν τὸν ἀδι-
κούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. Ταῦτα δὲ
οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος.
Atque eodem modo patriç poteſtatis ius moribus receptum
eſſe à noſtris dicitur [g], quod tamen ex Romuli legibus de-
g l. patre furioſo D. de his qui ſunt ſui vel al. iur. ſcendit [h]. Extat ſanè à Liuio ſcriptum [i] Fabium Gurgitem ali-
quot matronas ſtupri damnatas pecunia multaſſe. Poſtea
h Halicarn. lib. 2. etiam Romanorum corruptis moribus in adulterio depre-
henſæ ſturpi ignominiæ labe adficiebãnt, quæ peccauerant
i lib. 10. ab vrbe cond. eodem plectebantur modo, quæ pœna à Theodoſio merito
abrogata eſt, vt Socrat. lib. v. hiſt. Eccleſ. cap. XVIII. & ex eo
Caſſiodorus lib. IX. hiſt. tripart. fol. XXIIII. Seuerius in Veſta-
libus virginibus crimen hoc vindicabatur, quæ virginitatem
quam illibatam in conſtitutos annos ſeruare eas oportue-
rat, ſtupro violaſſent, more iam inde à Numæ, aut, quod alij
exiſtimant, à Tarquinij temporibus tradito, vt viuæ intra
vrbem in Campo ſcelerato defoderentur, quemadmodum

Halicarnaſſ.[x] & Plutarch.[l] ſcribunt. Suetonius in Domitia.[m] Inceſta Veſtalium virginum à patre ſuo quoque & fratre neglecta, variè ac ſeuere coercuit, priora capitali ſupplicio, poſteriora more veteri. Nam cùm Ocellatis ſororibus, item Varonillæ liberum mortis permiſiſſet arbitrium, corruptoreſque earum relegaſſet, mox Corneliam virginem maximam abſolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam, defodi imperauit, ſtupratoreſq; virgis in Comitio ad necem cædi. In Chronicis quoq; Euſebij Maximam virginum Veſtalium ſtupri conuictam viuam defoſſam eſſe traditur. Sic & Liuius Oppiam Minutiam Opimiamq; veſtales viuas ſub terram ad portam Collinam ſcelerato campo defoſſas narrat[n]. Et hoc antiqui moris ſupplicium pleniſſimè à Plutarcho[o] Zonaráque[p] deſcribitur: quibus additus Seruius cur intra vrbem dofoderentur, exponet[q]. Herodian. lib. IIII. de Anto. ὡς τὴ τῆς ἑςίας ἱερείας ζώσας κατόρυξεν ὡς μὴ φυλάξασας τὴν παρθενίαν.

k Lib. 2. & 3.
l In Numa.
m Cap. 8.
n Lib. 2. & lib. 8. & lib. 22.
o In Numa.
p Tomo. 2.
q In 11. Aen. Vergil.

PATRI QVI IN POTESTATE HABET, &c.

Patri dat lex ius occidendi adulterum cum filia deprehenſum. De patre autem ſolo loquitur, & ideo nemo alius ex parentibus idem iure faciet[r]. Nec enim dura ac ſeuera lex interpretatione adiuuanda, vel vltra propriam verborum ſignificationem producenda eſt[s]. Alioquin patris appellatio iuſta interpretatione ad auum porrigetur[t]. Hoc etiam lex exigit, vt pater in poteſtate habeat. Itaq; ſi pater filiusfam. ſit, ius occidendi non habebit. In ſua enim poteſtate filiam habere non videtur, qui ipſe ſuæ poteſtatis non ſit[u]. Sic continget: vt neque auus, quia verbis legis deficitur: neque pater, quia in poteſtate viuo auo non habet, occidere poſſint[x]. Sufficit autem patri in poteſtate habere eo tempore, quo occidit, non quo in matrimonium collocat[y]. Finge enim in poteſtatem poſtea redactam, mortuo ſcilicet auo, cuius in poteſtate nuptiarum tempore erat. Ceterùm naturalis ſit an adoptiuus pater, non diſtinguitur, cùm vtrique ius hoc competere lex voluerit[z]. Item nihil refert, cuius conditionis ſtatúſue ſit is,

r l. patri. D. de adulter.
s Arg. l. cum quidam D de lib. & poſthum.
t l. iuſta. D de verb. ſign.
u l. patri. D. de adulter.
x l. ſic eueniet. D. eod.
y l. quod ait. §. 1. D. eod.
z l. nec in ea lege. D. eod.

qui in adultetio à patre deprehenditur. Ita enim lex loquitur [a], *Adulterum quemlibet*. Quamobrem quod apud Vl-
a d. l. nec in ea lege. l. marito D. eo tit. pianum [b] legitur, *Non omnem adulterum licet occidere*, in marito ſolo procedit. Pater enim adulterum omnem iure occidet. An ergo & magiſtratum? Sed de hoc deliberabimus. Ver-
b l. 7. § vlti D. quod met. cauſ. ba quidem permittunt [c]. Hic & illa quæſtio exiſtit, an in adul-
c l. marito. in fin D. de adulter. terio deprehenſam prægnantem filiam pater iure occidat, quæ apud Quintilianum in Declamatio.[d] belle agitatur. Cur
d Declama tio. 277. autem plus iuris habet in hac parte pater, quàm maritus, quem iniuria hæc propius contingit? Illa ratio redditur [e],
e l. nec in ea lege in fin. D. de adulter. quòd plerumque paterna pietas pro liberis conſilium capit: mariti verò & calor & impetus facilè ſæuientis fuit refrenandus. Animaduertit enim lex tardius, maturiorique cõſilio ad cædem acceſſurum patrem, qui liberis ex animo bene velit, illoſq; ſibi ſaluos ac ſuperſtites votis omnibus exoptet. Nũquam paterni affectus in tantum vincuntur odio, vt non aliqua reſideat in his de filiorum ſalute ſollicitudo. Itaque nihil pericli eſt, necis ius patri dare, quem præſumptum eſt non temere occiſurum, qui vix in animum inducere poſſit, vt naturam ipſam vincat, patremq; ſeſe eſſe obliuiſcatur. Contrà maritum ira percitum, multò inconſultius ac facilius occiſurum lex cogitauit: quòd, præſtringente mentis aciem iuſto dolore, adhibere in conſilium rationem non poſſit. Itaque hunc pronum ad cædes mariti feruorem veluti iniecto fræno cohibendum cenſuit. Planè non quilibet patres ius occidendi habent, ſed hi demum, qui iure patris accuſare poſſunt.
f l. marito. in fi. D. de adult. Ignominioſi itaque ac famoſi idem ius non habent [f]. Quod ait lex, *Cum in filia adulterum deprehenderit*, planum facit ita demum hanc poteſtatem patri competere, ſi in ipſis rebus venereis, in ipſaq; turpitudine deprehendat: & vt in Dra-
g l. quod ait lex. D. eod. conis & Solonis legibus ſcriptum erat [g], ἐν ἔργῳ, id eſt, vt Lu-
h In Eunucho. cia. interpretatur [h], ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντας, Plurimũ verò refert, quo loco pater adulterum deprehendat. Dat enim lex occidendi poteſtatem eum, quem domi ſuæ, generiue ſui deprehenderit. Quare non vbicumque pater deprehenderit, ibi occidere poterit, ſed domi ſuæ dumtaxat, vel generi ſui. Maiorem enim iniuriam putauit legiſlator, quòd in do-
i d l. quod ait lex § 1. mum patris, aut mariti auſa fuerit filia adulterum inducere [i].

Domum hîc pro domicilio, & habitatione accipimus[k], vt & in lege Cornelia de iniuriis[l], & aliquoties in edictis prætorum[m], & in hac ipſa lege capite decimo ſexto. Quare ſiue in propria pater habitet, ſiue in conducta, vel gratis, ſiue hoſpitio receptus, & ibi adulterum deprehendat, ex lege occidet[n], Idem erit probandum, & ſi in villa vel hortis habitet. Sed ſi pater alibi habitet, habeat autem & aliam domum, in qua non habitet, deprehenſam illic filiam, vbi non habitat, occidere non poterit[o]. Ius autem occidendi patri conceditur domi ſuæ, licet ibi filia non habitet[p]. Nam factam iniuriam patri lex ſpectat, cuius domo ad libidinem filia abutitur. Non tantùm autem occidere adulterum, verùm multò magis contumelia afficere pater poteſt[q]. Nã cui quod plus eſt licet vtiq; licet & quod minus eſt[r]. Quod tamen in controuerſiam aliquãdo vocatum eſſe, quaſi telo tantum necare lex permittat, Quintilianus ſignificat in Elementis[s], numerans τρόπον, cùm id quod alio modo fieri licet, alio dicitur eſſe factum. Hinc eſt, inquit, adulter loris cæſus, vel fame necatus. Poſtremo ita iure adulterum pater occidet, ſi & incõtinenti filiam occidat: quod ſic accipiendum erit, vt ne occiſo hodie adultero, reſeruet, & poſtridie filiam occidat, vel contrà[t]. Quintilian. in Declamatio.[u] Lex cum occidere mihi adulterum cum adultera permittit, manifeſtè illud oſtendit non poſſe eos diuerſis temporibus occidi: & ſi adultero ſuppliciũ remittatur, etiã impunitatem alteri dandam. Debet itaque propè vno ictu & impetu pater vtrumque occidere, & æquali ira aduerſus vtrumque ſumpta[x], propterea quòd lex parem in eos, qui deprehenſi ſunt, indignationem exigit, & ſeueritatem requirit. Quòd ſi dum in adultero occupatus eſt, filia profugerit, & interpoſitis horis eam pater perſecutus apprehenderit, incontinenti videbitur occidiſſe. Quò pertinet & ille Quintiliani in Inſtit. Orat. locus[y]: Sed vna cauſa plures habere quæſtiones, & iudicationes, vt ego arbitror poteſt: vt in eo, qui cùm adulteram deprehenſam occidiſſet, adulterum qui tum effugerat, poſtea in foro occidit cauſa eſt vna: adulter fuit. Quæſtiones, & iudicationes: an illo tẽpore, an illo loco licuerit occidere. Idẽ aliàs[z]: Non vnum nocentem ſeruabas, quia ante adultero dimiſſo, adul-

k l. nec in ea lege. §. ſed domus. D. eo. ti.
l l. 5. §. domũ D. de iniur.
m l. 1. §. 1. domum D. de alea luſ. l. 1. in princ. D. de liber. agnoſc.
n Arg. d. l. 5. §. domum.
o d. l. quod ait. §. penult.
p l. nec in ea lege. §. ius occidendi eo.
q d. l. nec in ea lege §. vlt.
r l. non debet. D. de regul. iur.
s Lib. 3. ca. 6.
t l. quod ait lex. §. vlt. D. de adulter.
u Declamatio. 277.
x l. 23. in fin. D. de adulter.
y Lib. 3. ca. 11.
z Lib. 5. ca. 9.

BIBLIOTECA ROMA

teram occidere non licebat. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram ſine adultero occidere. Eiuſdem generis alias dubitationes Sulpitius Victor in Inſtitutionib⁹ Orator. ad M. Sylonem perſtringit. Et huic legi ſimilis lex à Seneca in Declamationibus fingitur: Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum vtrumque corpus interficiat, ſine fraude ſit. Nihil autem intereſt, prius adulterum, an adulteram pater occidat, dum vtrumque occidat. Nā ſi alterū dumtaxat occiderit, lege Cornelia de ſicariis reus erit[a] Quòd ſi adultero occiſo filiam vulneret, verbis quidem legis non liberatur, ſed reſcripto Marci & Commodi ei impunitas cōceditur, quaſi fato magis, quàm voluntate eius ſeruata filia videatur, quæ grauibus ſibi vulneribus poſt adulteri mortem infixis ſuperuixerit. Summa eorum, quæ diximus, hæc eſt, patrem ita demum adulteros qualeſcūq; iure occidere, ſi & filiā in poteſtate habeat, adulteroſq; in ipſa turpitudine domi ſuę, generiue ſui deprehendat, & vtrumq; incontinenti occidat.

VIRO DEPREHENSVM DOMI SVÆ &c.

Marito non quemlibet adulterum occidere lex Iulia permittit, vt patri, ne perturbatus dolore inconſultò ad cædem feratur. Viles igitur tantùm famoſaſq; perſonas, veluti lenones, hiſtriones, mimos, pantomimos, & omnes propter præmium in ſcænam artis ludicræ, pronuntiandiue cauſa prodeuntes, ei occidere permittit.[b] Item publico iudicio damnatos, quo videlicet cuilibet ex populo experiri licet, niſi ſi cui lege aliqua accuſandi non ſit poteſtas[c] Nā hi inter Infames habentur[d], Planè calumniæ præuaricationiſue nomine in cauſa publici iudicii damnati, publico iudicio damnati eſſe non videntur[e]. Quāquam infamia hos prętor notet[f]. Nec enim de his criminibus aliqua publicorum iudiciorum lege cautum eſt[g]. Excipit lex integrum reſtitutos: quod de ea reſtitutione accipi oportet, quam princeps vel ſenatus indulſerit. Hæc enim reſtitutio infamia eximit[h]. Quæritur autem, ſi patronum ex eorum numero, quos deprehenſos interficere maritus poteſt, libertus in adulterio ſuæ vxoris deprehenderit, an impunè occidat. Et durum eſt eam liberto poteſtatem dari, vt ei manus afferat, cui ne ſi vitam quidem pro eo

a l. nihil. D. de adulter.
b l. marito D. ad l. Iul. de adulter.
c l. palam §. ſenatus. D. de ritu nupt.
d l. infamem. D. de publ. iudic. l. 4. D. de accuſatio.
e d. § ſenatus, & l. 1. & l. 4. §. calumniator. D. de not. infam.
g Arg. l. 3. in fi. D. de præuaricato.
h l. 1 § deinde. D. de poſtul.

profundat, cumulatè gratiam rettuliſſe videatur. Nam cuius honori atque famæ, multo magis vitæ parcere debet. Marito etiam libertos occidere lex permittit, qui vel in patroni vxorē vel in patrona ſua, aut in eius, cuius libertus patris, aut matris filii, filiæve fuerit, adulterio deprehenſi ſint[i]. Sed an illos quoque qui ius aureorum anulorum impetrauerint, maritus ex lege occidet? Dubitationem facit, quòd hi pro ingenuis habentur[k]. Quo in vndenam profectum ſit, quando hic ſe locus offert, paulò altius repetēdum eſt. Veteres, quemadmodum Macrob. ex Ateio Capito. refert[l], non ornatus, ſed ſignandi cauſa ſecum anulum circumferebant. Vnde nec plus habere quàm vnum licebat, nec cuiquam niſi libero. Ius enim anulorum famuli non habebant. Et erant primo in vſu anuli ferrei[m] poſt augeſcente luxu, cùm ex auro facti eſſent, illi libertis relicti, hi ingenuis[n] nec omnibus quidem, ſed qui ex Senatorio vel Equeſtri ordine eſſēt, attributi ſunt. Plini[o] in Epiſt. de Pallante Claudii liberto, cui prætoria ornamenta à Senatu delata erant, Mitto, ait, quod cenſent non exhortandum modò, verum etiam compellendum ad vſum aureorum anulorum. Erat enim contra maieſtatem Senatus ſi ferreis prætorius vteretur. Atque impetrare ius hoc aureos anulos geſtandi à principe non modici beneficii loco liberti ſolebant[p] quod apertius a Dione quàm à quoquam alio explicatum eſt[q] vbi ait, τῶν πάλαι ῥωμαίων οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθερίᾳ γεγεννημένων δακτυλίοις χρυσοῖς πλὴν τῶν βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων χρῆσθαι ἐξῆν καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἐξελευθέροις οἷς ἂν ὁ τὸ κράτος ἔχων ἐθελήσῃ καὶ τοι καὶ ἄλλως χρυσοφοροῦσιν, ὅμως ἐν τιμῆς μέρει ὡς καὶ βελτίοσιν ἢ κατ' ἀπελευθέρους εἶναι ἱππεύειν τε δυναμένοις δίδονται. Sic Antonino Muſæ liberto, à quo conſeruatus erat, ius aureorum anulorum ab Auguſto datum idem ipſe auctor refert[r]. Idem & a Galba vni ex libertis chariſſimo collatum Plutarchus[s] ſcribit. Hoc autem iure impetrato liberti omnia ingenuitatis munia conſequebantur, quo alioquin non donati, ſi ingenuórum iura vſurpaſſent, legis Viſcelliæ pœnis tenebantur[t]. Ceterùm ex Iuſtiniani Nouella omnibus, qui ad libertatem perducuntur aureorum anulorum ius abſque principali conceſſione competit[u]. Verum enimuero, vt ex diuerticulo tandem in viam

i l. ſi adulterium pen. D. de adulter.
k l. ſi. d. fil. de lege §. 1 D. de in ius voc.
l Lib. 7. ca. 13.
m Plin. lib. 3. cap. 1.
n Iſidor lib. 10 Etymologiar.
o Lib. 7. epiſt ad Montā.
p l. 1. D. de iure aur. anul. fabia.
§ 1. de cond. & demonſtrat.
q Lib. 48. hiſtor.
r Lib. 53.
s in Galba.
t L. 1. C. ad L. viſcell. l. vlt. C. de iur. aur anul.
u Nou. vt liberti de cet.

redeam: qui ius aureorum anulorum impetrauerunt, imaginem, quoad viuunt, ingenuitatis, non etiam ſtatum habent. Viuunt[x] quaſi ingenui, moriuntur vt liberti[y]. Nam in eorũ ſucceſſione ſua patronis iura ſeruantur. Itaque & lege Iulia de adulteriis, tuenda matrimonia pro libertis eos haberi placuit, pœnæque libertinorum ſubiici[z]. Quinetiam ſi domin⁹ a familia occiſus eſſe dicatur, de iis perinde atque ceteris, quos viuus manumiſerit, quæſtio habebitur[a]. Sed nec à tutela liberorum patroni excuſantur[b], quamquam quoad extraneorum tutelas attinet, pro ingenuis habeantur[c]. Et omnino ſaluo patronorum iure eadem horum quæ ceterorum ingenuorum cauſa eſt. Denique nec à Senatoriis nuptiis lege Iulia de maritandis ordinibus repelluntur[d]. Aliud porro de his dicẽdũ eſſe, qui natalibus reſtituti ſint, extra omnẽ dubitationem eſt. Nam hi perinde ingenui fiunt, atq; ſi nullam medio tempore maculam ſeruitutis ſuſtinuiſſent[e]. Lex etiam ſeruos occidendi marito ius tribuit. Neque diſtinguemus proprii ſint, an alieni. Ideoq; alienum ſeruum in adulterio deprehenſum occidens, legis Aquiliæ actionem maritus non timebit. Cui conſequens eſt heredem, vel promiſſorem, qui in hoc facinore deprehenſum ſeruum occiderint, nec ex ſtipulatu[f], nec ex teſtamento teneri[g]. Extra has perſonas lege comprehenſas ſi quenquam alium maritus occiderit, cædis reus erit. Nec vxorem igitur ſine cædis crimine occidet. Quãquam humanitatis intuitu ab Antonino Pio primum[h], deinde à Marco, & Commodo[i], poſtremo ab Alexandro reſcriptum[k] ſit, marito, qui vxorem in adulterio deprehenſ[r]m occiderit, non vtique legis Corneliæ de ſicariis pœnam, quæ hodie vltimum ſupplicium[l] eſt, irrogandam eſſe: ſed honeſtiori loco poſitum ad tempus relegandum, humiliorem in exilium perpetuum dandum. Datum eſt hoc mariti dolori, quem difficile eſſe in repentino motu temperare prudentiſſimi Imperatores cogitarunt. Secundum hoc interpretandum erit, quod apud Vlpian.[m] legitur: *Si maritus in adulterio deprehenſam vxorem occidat, quia ignoſcitur ei, non tantum mariti, ſed etiam vxoris ſeruos pœna liberari, ſi iuſtum dolorem exequenti domino non reſtiterunt.* Non enim ei in totum ignoſcitur, ſed eo quo diximus temperamento, pœna mollitur. Ceterùm, quos

x d. rub. d. l. 1.
y l. 3. D. de bon. libert.
z l. ſi quis ios. C. ad leg. Iul. de adult.
a l. ſi exheredatus. §. vlt. cum l. ſeq. D. ad Silania.
b l. libertum. § ſi ius. D. de excuſ. tut.
c l. cum ex oratione D. de excuſ. tut.
d l. vlt. D. de iur. aur. anul.
e l. 1. & 2. D de natalib. reſtit.
f l. qui ſeruũ D de verb. oblig.
g l. quid ergo. §. ſi heres. D. de legat. 1.
h l. 1 in ſi. D. ad l. Cor. de ſicar.
i l. ſi adulterium 4. l in per. uer. s. D. de adult.
k l. 4. de adulter.
l. 3. §. pen. & l. pen. D. ad l Corn. de ſicar.
m l. 3. §. ſi maritus D. ad Silania.

quos marito occidere licet, vtique & verberibus cædere, vel qualibet corporis parte mutilare, aliiſque quas dolor ſuggeſſerit, pœnis, malè multare licebit: Quibus, quo iure, quaque iniuria deprehenſos omnes adulteros ſubiacere Iuue- n Satyr. 10. nalis indicat [n]: *Fiet*, ait, *adulter*

Publicus, & pœnas metuet, quaſcumque mariti
Exigere irati, nec erit felicior aſtro
Martis, vt in laqueos numquam incidat. exigit autem
Interdum ille dolor plus, quàm lex vlla dolori
Conceſſit, necat hic ferro, ſecat ille cruentis
Verberibus quoſdam mœchos, & mugilis intret.

Quod etiã pleriſque adulteriis accidiſſe Horatius teſtatur [o]: o Lib. 1. Sermo. ſat. 2.

Hic ſe præcipitem, inquit, *tecto dedit, ille flagellis*
Ad mortem cæſus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos,
Hunc perminxerunt calones: quinetiam illud
Accidit, vt quidam teſtes, caudamq; ſalacem
Demeteret ferro. Iure omnes, Galba negabat.

Eſt de eodem argumẽto feſtiuus Martialis iocus, in eum qui adultero nares abſciderat, quod vt ineptè factum ridet [p]: p Lib. 3. Epigram. 85.

Quis tibi, ait, perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Nil hac peccatum eſt parte marite tibi.
Stulte quid egiſti? nil hic tua perdidit vxor,
Cùm ſit ſalua tibi mentula Deiphobi.

Quod autem Horatius de teſtibus & cauda ſalaci ait, id confirmat etiam Plautus apud quem paraſitus quidam, Facio, inquit, id quod mœchi non ſolent, ſalua vaſa domum reporto. atque illud eſt quod inquit Terentius in Eunucho de quodam adultero deprehenſo, Minatur, inquir, id quod mœchus ſolet. Quod quidem de amputatione virilium, ex Plauto & Horatio accipere malo quàm de eo quod vulgo notarũt quidam non inelegantes alioqui interpretes ex Scholiaſte Ariſtophanis qui huiuſmodi deprehenſorum mœchorum fuiſſe pœnam, notat, vt inſperſo cinere calido nates eis depilarent, immitterentque in ſedem raphanos. οὕτω δὲ, inquit, in Nubibus, τοὺς ἁλόντας μοίχους ἠκίζοντο, ῥαφανῖδας λαμβάνοντες καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων. καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς τέφραν θέρμην ἐπίπασσον, βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. Quamuis

ſecūdum hanc pœnam accipi quoque poſſit quod de natibus inquit Horatius, ſiue de pygis in eadem Satyra in fine, Ne numi pereant, aut pyga. quod tamen etiam aliter accipi poteſt de ſtupri illatione in hanc partem, ad quam pœnam cogebantur etiam ipſi mœchi deprehenſi. Planè Athenienſium legibus impunè adulter à marito patre, fratréue in ipſa turpi-

q Demoſth. κατὰ Neæræ.

tudine deprehenſis occidi potuit: q Extatque elegans Lyſiæ oratio, qua in adulterio à ſe deprehenſum Eratoſthenem iure cæſum contendit. Idem & Gotthorum legibus licuiſſe ex Caſſiodoro r coniicio. Pro amore pudicitiæ, inquit, porrige-

r Lib. 1. Variar.

re ferrum maritis non eſt leges calcare, ſed condere. Licuit certè ex Neapolitanorum regis Rogerii conſtitutione, quæ inter ceteras eiuſdem conſtitutiones in hæc verba ſcripta eſt s *Si maritus vxorem in ipſo actu adulterii deprehenderit, tam adulte-*

s Lib. 3 conſtit. Neapolit. tit 80.

rum, quàm vxorem occidere licebit, nulla tamen mora protracta. Idem quoque Longobardis Regis Rothari lex permiſit t. Sed & Romæ ante legem Iuliam maritos quoſdam de adulteris deprehenſis impunè vindictam ſumpſiſſe legimus. Sem-

t l. 2. de adulter. lib. 1. leg. Langob.

u Lib. 6. ca. 1

pronium Naſicam, Valerius ſcribit u C. Gallum in adulterio deprehenſum flagellis enecaſſe: Caium quoque Menam, Lucium Octauium ſimiliter deprehenſum loris contudiſſe. Ad hæc Carbonem Actienum à Bilieno, item Pōtium à Publio Cernio deprehenſos caſtratos eſſe. Caium etiam Furium Bocchum, eum, quem deprehenderat, familiæ ſtuprandum obieciſſe, quibus omnibus iræ ſuæ indulſiſſe fraudi non

x Lib. 10. cap. 23.

fuit. Ac vel ipſam vxorem in adulterio deprehenſam necare olim licuiſſe Gellius ex Catone tradit x, cùm illi maritum adulterantem ne digito quidem contingere permitteretur. Et certè ſemper maior licentia maribus quàm feminis data eſt quas natura ad pudorem formauit. Leuius quoque ſemper viſum eſt virorum quàm mulierum peccatum. Qua de cauſa nec punitum olim domini cum ancilla concubitum, mulieris cum ſeruo punitum fuiſſe Quintilian. lib. v. ait. Ce-

y l. marito. in fin. D. de adulter.

z Argu l fi. vxor. 6. ſed ſi ea. D. de eod. tit.

terùm in ea demum vxore deprehenſum adulterum iure occidet, in qua adulteriū vindicare iure mariti poteſt y. Proinde in ea, quæ contra leges, Senatuſconſulta, mandatáue principum nupta ſit, deprehenſum, occidendi ius non habet z. Ait lex *domu ſua*. Itaque alibi deprehenſum maritus non iu-

re occidet. Vnde Quintilian.[a] Occidiſti, ait, adulterum quod lex permittit: ſed quia in lupanari, cædes eſt: Augetur enim delictum loco, fitque grauius in ipſa mariti domo commiſſũ quæ matrimonii ſedes & domicilium[b] eſt. Hoc idem & Paulus lib. 11. Sentent. deſiderari oſtendit[c]. Quamquam de toto eo loco valde in dubium venio. In eo enim ita eſt. Inuentam in adulterio vxorem maritus ita demum occidere poteſt, ſi adulterum domi ſuæ deprehendat. Quod perſpicuè falſum eſt. Nam maritus, vt paulò antè docui, vxoris occidendæ poteſtatem non habet ſed eam dimittere protinus iubetur. Itaque ſic emendandum puto, Inuentum in adulterio vxoris maritus ita demum, &c. niſi fortè hoc ex iure Gotthico ſumptum dicamus, ex quo nonnulli in illis libris ab Aniano deformata eſſe non dubito. Itaque inter patrem & filium hac in re diuerſum eſt ius conſtitutum, ita nempe vt patri ius ſit adulterium domi ſuæ vel generi deprehẽſum cum filiafam. qualiſcumque ſit adulter occidendi cum ipſa ſimul filia & in ipſo articulo. at marito domi ſuæ tãtum deprehenſum adulterum, eumque humilioris etiam conditionis, non etiam vxorem occidere licet. quam tamẽ per legem Corneliam impune etiam occidere poteſt, ſed punitur aliquo modo. Verũtamen nouiſſimo iure marito poteſtas data videtur vbicumq; & qualemcunque adulterum occidendi, vt patet ex Conſt. Harmen. lib. 6. enchiridii tit. 2. atque adeo vxorem, vt ſuperius dictum eſt: quod ex Nouella quadam Maioriani primũ introductum fuiſſe videri poſſit ex Papiano lib. ſingulari reſponſorum tit. 27. Ita enim ille maritus, inquit, ſi adulterũ cum vxore inuenerit ita vt vnum ſint, & ſeſe commiſceant, liberum arbitrium habebit vtrumque vno ictu ferire, ſecũdum legem Nouellam Maioriani qui exinde ad ius vetus omnia reuocauit. Cæterum refert idem Conſtant. ex nouella quadam Leonis quæ ſtatuit de adultero vel adultera in ipſa turpitudine deprehenſis vtriſque naſum reſecari, marito dotem lucrante, ipſa verò vxore in monaſterium detruſa.

[a] lib. 5. ca. 9.
[b] l 5. D. de ritu nupt.
[c] Tit. 16.

VIRO ADVLTERVM IN VXORE, &c.

Hoc capite quinto legis Iuliæ comprehenſum fuiſſe Vlp. ſcribit[d]. Porrò cum non omnes in adulterio vxorum depre

[d] l. capite D. ad leg. Iul. de adulter.

henſos maritis occidere liceat, ſed nec ſi liceat, maritorum omnium animi (vt Quintil. in Declamation. ait) ad ſanguinem durent, lege ratio præſcripta eſt, qua ius ſuum ſine cæde tueri poſſint. Retinere ergo adulteros per aliquod tempus, dum teſtes aduocet, lex permittit. Hoc autem quod in marito expreſſum eſt, etiam in patre ſeruatur. Non adiicitur hic, vt in ſuperiore capite, vbi deprehenſus adulter ſit: nam quocumque loco deprehenſus retineri poteſt: ſemel verò remiſſus reduci non poteſt, contra quàm ſi non ſponte mariti euaſerit, etenim reductus cuſtodiri viginti horis adhuc poterit. Exiguo autem temporis ſpatio retentionem lex circumſcripſit, quòd priuato homini non ſit nocentis permittenda cuſtodia, cùm publicè carceres ed eam rem habeantur. Quod adiicitur TESTANDÆ EIVS REI GRATIA, ad hoc pertinet, vt teſtes inducat teſtimonio futuros accuſaturo deprehenſum reum in adulterio.

VIRO PATRIQVE QVI IN POTESTATE HABET.

Ait lex *Viro*. Feminæ non idem licet. Nam cum de femina nihil exprimatur, creditur id ei denegatum eſſe[e]. Et quãquam in ceteris cauſis mulieribus publico iudicio reos facere concedatur, ſi ſuam ſuorumque, id eſt parentum, liberorum, patroni, patronæ, eorũ filii, filiæue, nepotis, neptiſue, & omnium in quos ex lege publicorum iudiciorum, inuitæ teſtimonium non dicũt, iniuriam perſequantur[f]: tamẽ adulterii agere eis, nec ſi matrimonium ſuum violatum dicant, permittitur. Hoc enim lex facit, quæ de maſculis tantùm locuta feminas ab accuſatione repuliſſe intelligitur[g]. Et ita Impp. Seuerus, & Anton. reſcripſere. Publico iudicio, aiũt[h], non habere mulieres accuſationem, quamuis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Iulia declarat, quæ cùm maſculis iure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem feminis priuilegium detulit. Planè violata iam viripotens virgo corruptorem accuſare poterit, & curatoribus aſſiſtentibus reum peragere[i]. Nec exceptione vlla repelletur, quæ vindictam proprii doloris exequatur. Quinetiam accuſata à marito adulterii mulier, in eum & lenocinii & adulterii crimẽ re-

e Arg. l. ſi conſtante. §. de viro. D ſol. mat.

f l. 1. & 2. D. de accuſatio l. v. or. C. qui accuſ. poſ. l. 1. §. ſed & ſi mulier. D. de lib hom. exhib.

g Arg. l. cum prætor. D de iudic.

h l. 1. C. de adulter.

i l. propter. C. de adulter.

torquere poterit: relationis vtique, non accuſationis ſpecie atq; via [x]. Cuius autem ætatis ac condicionis ſit maritus, nihil intereſt. Nec enim filiusfa. maritus ab eo, qui ſui iuris eſt, in hac lege ſeparatur [l]. Proinde ſine voluntate patris, atque adeò inuito, & repugnante eo, filius hac lege reum facere poterit. Ipſius enim iniuria eſt. Et hoc conſtitutum eſſe Papinian. ſcribit [m]. Conſtitutum verò eſt ab Hadriano [n]. Sed nec quòd minor viginti quinque annis maritus ſit. eo minus ad accuſationem admittetur, cum non debeat obtentu ætatis repelli qui ſuum matrimonium vindicat [o]. Quinetiam libertus patronum iure mariti adulterij accuſare poterit, quomodo ſi atrocem iniuriam ab eo paſſus eſſet [p]. Nam vel ex famoſa cauſa patronum in ius vocare liberto permittitur, ſi eum iniuria grauiſſima affecerit, veluti ſi flagellis cæciderit, vel in [q] eius vxorem, filiámue ſtuprum commiſerit. Denique cuilibet marito, qui non ignominia notatus [r] ſit, iure mariti adulterij accuſationem inſtituere conceditur. Nec refert, ait Vlpianus [s], iuſta an iniuſta ſit vxor: quæ verba obſcurum ſenſum habẽt. Nam ſit vt in aliis multis locis [t], iuſtam vxorẽ hic interpretemur, quæ ciuiliter nupta ſit, quo modo & iuſtas nuptias dicimus [u] ſecundum legum præcepta contractas, neceſſe erit iniuſtam quę ei opponitur, accipere, quæ contra leges coierit. Tum verò non conſiſtet Vlpiani ſententia. Et enim in ea muliere, in qua inceſtum committatur, vel quæ quamuis vxoris animo habeatur, vxor tamen eſſe non poſſit, puta quia contra leges, Senatuſconſulta, mandatáue principum ducta ſit, vindicare maritus adulterium iure mariti non poteſt [x], quia nec matrimonium eſt [y]. Vt ecce ſi libertinam Senator, pupillam tutor ante redditas rationes, præſes prouincialem feminam, vel quilibet filiamfam. ſine patris aſſenſu duxerit, violatæ huius coniunctionis nomine, in quã matrimonij nomen non cadit, iure mariti accuſatio non defertur. Secundum quæ ſi minor duodecim annis domum deducta ſit, eius adulterij, quod antequam iuſtam ætatem attigiſſet, commiſerit, accuſari iure viri non poteſt [z], quoniam nondum vxor erat. Minor enim duodecim annis domum ducta, non antè legitima vxor fit, quàm eam ætatem apud virum impleuerit [a]. Planè ſi ſponſalia deductionem in domam prę-

x l. 2. §. ſi publico. l. ſi vxor. §. iudex. D. eo.
l l. 6. § pen. D. de adulter.
m l. filiumfã. D. de adulter.
n d. l. 6. § penult.
o l. 15. §. lex Iulia. D. de adulter.
p l. 38. §. pen. D. eod. tit.
q l. ſed ſi hac lege. §. prætor ait D. de in ius voc. l. prætor edixit. §. præterea. D. de in iur.
r l. marito. in ſi. D. de adult.
s l. ſi vxor. D. eod.
t l. 28. § ſi quis eo tempore. D. de liber. & poſthu. 31. D. de ritu nupt.
u Inſtitut. de nupt.
x d. l. ſi vxor. §. ſed ſi ea.
y l. 3. §. 1. D. de don. inter vir. & tit. de ritu nupt.
z l. ſi vxor §. ſi minor. D. de adulter.
a l. 3. D. de ritu nupt.

ceſſerint, quia durant ea, quamuis in domo loco nuptæ eſſe mulier cœperit [b]: ideo quaſi ſponſa poterit ex reſcripto Diui Seueri accuſari. Quòd ſi ſponſalia non præceſſerint, cum neque ſponſalia intellegantur, quia non fuerunt, neque nuptię quòd nuptiæ eſſe non poſſint, quaſi extranea accuſari ſponſi maritíue iure mulier non poterit [c]. Atque hæc eo pertinent, vt vbicumque iuſtæ legitimæq; nuptiæ non ſunt, nec mariti iure adulterii accuſatio competat. Magis eſt itaque, vt iuſtam eo loci vxorem accipiamus, quæ in manum conuenerit: iniuſtam, quæ non in manum conuenit, ſed vſu habetur. Vxorum enim, vt Cic. in Topicis tradit, aliæ erant matresfa. quæ ſicuti etiam Gellius [d] interpretatur, in manum conuenerant, certa confarreationis [e], vel coëmptionis, quam Boethius [f], & Vergilij interpres Seruius [g] aliquot locis exponunt, ſollemnitate. Et hæ in manu ac mancupio viri erant, ſuorumq; heredum iura in familia naniſcebantur [h]. Ideoq; vt mariti patresfamiliàs, ita hæ matresfam. appellabantur [i]. Aliæ verò tantummodo vxores habebantur, quę ſcilicet in matrimonium citra coemptionis ſollemnitatem conuenerant. In quibus etiam adulterium vindicari a marito poteſt. Ad omnia enim matrimonia lex iſta pertinet, vt & Sex. Cæcilius, quem ad hanc legem commentarios ſcripſiſſe conſtat [k], ait. Homericum illud ex Iliados IX. adferens:

Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι.

Quo ſignificatur violati tori iniuriam ad omnes ex æquo maritos pertinere. Cuius verſus ſententiam Virgil. ſic expreſſit [l]:

Coniuge prærepta nec ſolos tangit Atridas.
Iſte dolor.

Itaque vel in ea vxore adulterium poſſe maritum vindicare Vlpian. ait [m], quæ vulgaris fuerit (id eſt, quæ vulgo ſui copiam fecerit, quo modo & vulgarem mulierem Sueto. in Vitellio dixit [n]) quamuis ſi vidua eſſet, impune in eam ſtuprum committeretur. Cuius rei exemplum eſt apud Tacitum [o] de Viſtilia Titidij Labeonis vxore, quæ quamquam licentiam ſtupri meretricum more apud Ædiles profeſſa eſſet, adulterij tamen accuſata, & relegata eſt. Ex quibus efficitur iure

b l. 9. D. de ſponſalib.
c l. 13. §. ſi quis ſponſam. D. de don. inter vir.
d Lib. 18. ca. 6.
e Vlp. in Inſtit. tit. 9.
f In Topica.
g In 1. Geor. & in 4. Aen.
h Vlp. in Inſtit. tit. 22. & ibi. vbi Seru. in 7. Aene.
i l. Nam ciuium D. de ſtat. homin.
k l. ſi poſtulauerit §. 1. D. de adulter. l. proſpexit. D. qui & à quib.
l Lib. 8. Aen.
m d. l. ſi vxor.
n Cap. 12.
o Lib. 2.

mariti eos demum accuſare poſſe, qui ſecundum leges nuptias contraxerint: in concubinis vel ijs mulieribus, quæ non iure ductæ ſint, adulterium non vindicari, ne ſi quidem poſteà iuſtæ vxores eſſe cœperint. Quæſtionis eſt, an & in ſponſæ accuſatione præcipuum ius ex lege ſponſus habeat. Et de viro lex loquitur. Verba itaq; legis ſponſum non admittunt. Sed tamen D. Seuerus p (nam vulgò malè, Verus, vt ex alio eiuſdem legis loco q apparet, legitur) & Antoninus reſcripſerunt etiam in ſponſa hoc idem vindicandum, quià neque matrimonium qualecumque, neque ſpem matrimonij violare permittitur. Et hoc Imp. Alexander Herculiano ita reſcripſit r. Propter violatam virginem adultam, qui poſteà maritus eſſe cœpit, accuſator iuſtus eſſe non poteſt. Et ideo iure mariti crimen exercere non poteſt, niſi puella violata ſponſa eius fuerat. Eſt ergo reſcripti interpretatione ad ſponſum lex Iulia porrecta. Ait lex VIRO PATRIQVE. Pater ergo in accuſatione filiæ æquale ius cum marito habet s. Si tamen ſimul ad accuſationē ambo veniant, maritus pręfereтur. Nam & propenſiore iure, & maiore dolore executurum eum accuſationem credendum eſt, in tantum, vt etiam ſi pater præuenerit, & libellos inſcriptionum depoſuerit, marito nō neglegente, nec retardante, ſed accuſationem parante, & probationibus inſtante, atque imminente, vt facilius iudicantibus de adulterio probetur, idem ſit dicendum t. Niſi igitur, ait Vlpianus u, pater maritum infamem aut arguat, aut doceat colludere magis cum vxore, quàm ex animo accuſare, poſtponetur marito. Vbi nemo non quæſiturus eſt, an infamia maritum ab adulterij accuſatione repellat. Quod vix eſt, vt dici poſſit: quandoquidem ſuam, ſuorúmq; iniuriam exſequentes infames audiantur x: & generaliter, qui aliàs idonei accuſatores non ſint, in ijs cauſis ad accuſandum admittantur y. Sed nec hoc ſentit Vlpianus maritum omnino ab accuſatione adulterij ob infamiam repelli, verùm patri poſtponi. Famoſus igitur maritus, verbi gratia, leno vel hiſtrio, aut alia ignominia notatus, iure mariti accuſare volens, à patre ſubmouebitur z. Iure ſanè extranei, id eſt, vt quilibet de populo ad accuſationem proſiliens, ea ratione non repelletur, quòd ſuum matrimonium vindicet, cuius niſi vindictam exeque-

p l. ſi vxor §. d. uus. D. de adulter.
q d. §. ſi minor.
r l. propter. C. de adulter.
s l. is cuius. & l. ſi maritus. D. de adulter.
t l. 2. §. vlti. D. de adulter.
u l. 3. D. eod.
x l. qui accuſare. l. his tamen. D. de accuſatio.
y l. 1. & 2. & l. 11. D. de accuſatio.
z Arg. l. marito in fin. D. de adulter.

retur, omnino iuſtus accuſator non eſſet. Cùm verò integræ famæ maritus, patre præuento accuſare inſtituerit, patri tempora non cedent. Sic tamen, vt quod antequam maritus præueniſſet, temporis effluxerit, & ipſi marito, & patri, quia nihil eum patrem impedierit, cedat: at poſtquam maritus occupauerit reſidua tempora, quæ ſexaginta diebus deſinit, patri non cedent, qui accuſationem perferre non poſſit [a]: vulgata enim regula eſt aduerſus eos, qui agere nec ſi velint, poſſint, ex mora præſcriptiones temporum, quæ agentibus obijciuntur, non induci. Quæ cum ex neglegentia non agentis locum habeant, in eorum perſona ceſſant, quibus neglegentia imputari nulla poteſt [b]. Itaque ſi maritus ſit in magiſtratu, & ideo accuſare non poſſit, patris quidem accuſatio impedietur, ne marito ſurripiatur ius ſuum, ſed quoad magiſtratu filius abierit, patri tempora non cedent [c]. Quod ſic accipiendum eſt, ſi eum magiſtratum maritus gerat, in quo agentes ſine fraude in ius euocari non poſſunt, id eſt, qui imperium habent, & qui coercere aliquem poſſunt, & iubere in carcerem duci [d]. Huiuſmodi enim magiſtratus qui gerunt, interim accuſare prohibentur [e]. Ceterùm pater innuptæ tantum filiæ accuſatione præcipuum ius habet: in viduæ accuſatione extraneo non præfertur [f]. Sed & eum demum patrem priuilegiario iure accuſare poſſe puto [g], qui in poteſtate habeat. Maritus verò etiam poſt accuſationem ab extraneo peractam, mulierem repetens, accuſationemq; inſtaurans audietur, ſi idoneas cauſas alleget, quibus impeditus non inſtituit accuſationem [h]. Ait lex, SEXAGINTA DIES VTILES. Iure mariti, patriſue adulterij accuſare volentibus ſexaginta dies vtiles computantur [i]: quorum Cornelius Tac. meminit [k] illo loco. Exacta & à Titidio Labeone Viſtiliæ marito, cur in vxore delicti manifeſta vltionem legis omiſiſſet, atque illo prætendente ſexaginta dies ad conſultandum datos nondum prçteriiſſe, ſatis viſum de Viſtilia ſtatuere, eaq; in inſulam Seriphon abdita eſt. Vtiles autem dies Imp. Alex. [l] interpretatur, quibus in publico eius facultas fuerit, apud quē reus, vel rea poſtulari poteſt. Papinianus verò [m] ſic, dies quibus potuit maritus accuſationis ſollemnia implere Idem adducit [n], Sexaginta hi dies feriatis quoq; diebus ſi modo facultatem

a l. 4. D. ad adulter.
b l. contra C. de inoff. teſt. l. ſ. vlt. C. de ann. except. l. intra. D. de minorib.
c l. ſi maritus. D. de adulter.
d l. 2. D. de in ius voc. l. nec magiſtratibus. D. de iniur.
e l. qui accuſare D. de accuſatio ſi nec in ea l. §. 1. D. de adulter.
g l. iſ cuius. §. penul. D. de adulter.
h l. 4. §. vlt. D. de adulter.
i l. 6. & l. 11. C. de adulter. l. 4 ſi marito l. 14. D. eo. l 37. §. vlt. D. de minorib. l. 12. §. ſextus D. qui & à quibus.
k Lib. 2. Annal.
l In l. 6. C. de adulter.
m In l. miles. §. quidā. D. eo.
n In d. l. miles. §. ſexaginta.

cultatem

cultatem pręſidis adeundi accuſator habuerit numerari,quoniam de plano libellus dari poteſt. Accuſaturi enim libellos à ſe ſubſcriptos offerre ei,cuius de ea re notio erat, ſolebant [o] quibus nomen rei deferebant, & crimen, vt erat admiſſum, indicabant: quod etiam in tranſitu & procedente prætore fieri potuit. Cum igitur accuſationi inſtituendæ hi dies dentur, non illud exigimus, vt præſes ſederit, ſed vt ſui copiam fecerit, & accuſator experiundi habuerit poteſtatem. Fieri enim poteſt vt ijs quibus prætor ſedit diebus, accuſatori iuſtiſſimis occupationibus impedito accuſandi non fuerit poteſtas: quod in vtilium dierum tractatu inprimis ſpectamus, in quorum computatione ineunda ij demum veniunt, quibus nulla idonea cauſa agere, accuſaréue impediatur [p]. Proinde ſiue magiſtratum gerat maritus, ſiue Reipub. cauſa abſit, ſiue in vinculis, ſiue apud hoſtes ſit, muneribúſue militaribus vel alio publico miniſterio occupatus agere non queat, in ea cauſa eſt, vt ei dies non cedant [q]: cedant verò ij, quibus accuſare ei licuit, quamquam prætor pro tribunali ius non redderet. Sic fit, vt vtiles dies interdum ſeſſionum ſint, interdum non ſeſſionum, aliterq; in his, quæ cauſæ cognitionem deſiderant, & decretum expoſcunt, aliter in his quæ de plano expediri poſſunt, computetur. In illis enim, quoniam pro tribunali expediri debent, eos demum dies computamus, quibus more maiorum prætor ſedens poſtulationibus reſpõſum dederit [r]: in his verò omnes eos dies, quibus prætor ſui poteſtatem qualitercumque fecerit, etiam ſi non in iure [s]. Sexaginta porrò hi dies ex die diuortij marito cedere incipiũt [t]. Intra quos mariti, patréſue agentes, hęc præcipua habent. Primùm, quòd aliis omnibus præferuntur: deinde, quòd ſine calumniæ metu accuſant. Quod in marito quidem expreſſum eſt [u]: in patre verò etiam obtinere crediderim, cuius eadem cauſa eſſe, quæ & mariti dicitur. Adde, quòd qua ratione publico iudicio mortem liberorum patrem vindicare Senatuſconſulto conſtitutum eſt [x], eadem etiam ratione adulterium filiæ vindicans, quod morte non minus graue eſt, periculum calumnię timere non debet. Tum verò Senatuſconſulti beneficium non in cædis dumtaxat quæſtione locum habere, ſed & ad alias publicas accuſationes produci

o l. libellorũ. D. de accuſatio. l. denunciaſſe. D. ad l. Iul. de adult.

p l. 1. D. de diuerſ. temp.

q l. ſi maritus. D de adult. l. 15. & l. 21. C. eo. tit. l. ſi qua D. ex quibus cauſ. maior.

r l. 2 §. dies. D. quis ord. in bon. poſſ.

s l. miles. §. quidam. & §. ſexaginta. de adulter.

t l. 29. §. ſex menſium. & §. præterea. D. de adult. l. 13. §. pen. eod.

u l. iure mariti. in ſi C. de adulter. l. aurelium. §. 1. D. de mino-rib.

x l vlt. D. de public. iudic.

Imperator Alexander reſcripſit y. Verùm huic ſententiæ valde obſtat quod à Paulo ſcriptum eſt, patrem ſine periculo calumniæ accuſare non poſſe z. quod idem de marito quoque Scæuola a tradit: quos locos Accurſius, vt ſuperioribus concilies, eo caſu procedere poſſe ait, quo tam euidens mariti vel patris calumnia eſt, vt excuſationem non habeat. Cum enim inſtigante dolore ſibi factam iniuriam exequuntur; tum eos calumniæ periculo ſubiici æquum viſum nõ eſt, ne ab accuſando imminentis, ſi non probauerint, pœnæ metu deterreantur. Cùm verò quæſito violati thori colore, ad accuſandum vexandi rei cauſa, malóq; animo proſiliunt, ſi quod propoſuerint, non probauerint, & in euidẽti calumnia deprehendantur, impunè ferre non debent. Et hoc quando aliud probabilius non occurit, ſequendum cenſeo. Planè ſi iure extranei poſt ſexaginta dies accuſationem inſtituant, calumniatorum pœnæ ſubiacent: quæ tamen nec hoc quidem caſu facile marito irrogabitur, ſi iuuenili facilitate ductus, vel etiam feruore ætatis accenſus, ad accuſandum deſcenderit b. Præterea marito ſingulari iure hoc conceditur, vt ex ſola ſuſpicione ream vxorem facere poſſit, vtq; inſcriptionis vinculo accuſans non contineatur c, quod ceteros omnes accuſatores ſimilitudine ſupplicij obſtringit. Datur verò marito, etſi duos reos ex alio crimine habeat iure viri tertium accuſandi poteſtas, quoniam ea cauſa non cedit in numerum ceterarum accuſationum d: is enim qui duos reos delatos habet, tertia accuſatione ita demum repellitur, ſi non ſuam ſuorumq; iniuriam exequatur e. Ex quibus definire facile eſt, quid ſit iure patris f, maritiue g accuſare: cui opponitur iure extranei h, vel iure publico i accuſare, id eſt, iure communi, & vt quilibet de populo. Maritus porro etiamſi iure mariti accuſationem inſtituerit, ab ea tamen impune non deſiſtit. Quinimmo ſine abolitione deſiſtens in Turpillianum incidit, Nec mutat quod ſcriptum eſt k eos, de quorum calumnia agere non permittitur, ſi deſtiterint, non incidere in pœnam Senatuſconſulti. Hoc enim eò pertinet, vt parentes & patroni, de quorum calumnia queri liberis libertiſq; non licet l, ſi ab accuſatione contra eos inſtituta deſtiterint, Turpilliano non teneantur. Quod beneficium ipſis tantùm, non etiam

y l. mater. C. de calumniatorib.
z l. pat r. D. de adulter.
a l. is cuius. in fi. D. eo. tit.
b l. 15. §. lex Iulia. D de adulter.
c l. quãuis. ij. C. de adulter.
d l. 6. §. vlti D. de adulte.
e l. cú rationibus. C. qui accu. nõ poſſ. l. qui accuſare eum. l. hi tamẽ. D. de accuſatio.
f l. 24. in fi. D de adulter.
g l. 2. §. 1. l. 13. cum ſuis §§ l. 14. in fi. l. 6. §. vlti. D. de adul l. 6. C. eo.
h l. 13. §. ſed ſi ea ſit. l. 15. §. lex Iulia. D de adulter.
i l. quæſitum D. de adulter.
k l. in Senatuſc. §. eos D. ad Turpill.
l l. honori. & l. licet. D. de obſeq. à liber.

liberis eorum præſtatur[m]. Maritus igitur, vt ab accuſatione impune deſiſtat, abolitionem impetrare adito pro tribunali præſide[n] neceſſe habet, niſi ſi publicè abolitio interueniat[o]. Qua interueniente etſi intra dies præſtitutos reum non repetierit, Senatuſconſulti pœnam non timet. Neque enim videtur deſiſtere, qui exemptum reum non defert. Eximitur autem publica abolitione interueniente[p] Sed nec poſt abolitionem retractabitur in iudicio repetendo de mariti iure[q]. Nam cùm crimen repetit maritus, eodem iure repetit quo & accuſabat. Neque poſſunt ei præſcriptiones obiici, quæ ante abolitionem non ſunt obiectæ[r]. Atq; hac occaſione abolitionum quæſtionem Iurecōſulti in libris de adulterijs, obiter explicauerunt. Ex quo tractatu duos ad huius libri inſtitutum pertinentes locos explicare operæpretium fuerit. Videntur enim inter ſe pugnantia Papinianus & Marcianus dicere: quorum vnus etiam eos, qui ab accuſatione, quę pręſcriptione temporis ſummoueri potuiſſet, deſtiterint, ex Senatuſconſulto plecti ait[t]: alter de calumnia puniri eos negat[u], qui præſcriptione temporis excluſi cauſam adulterij perferre non potuerint. Male Accurſius hoc diſſidium componit: dicam quod ſētio, nihil eſt expeditu facilius. Alia eorum cauſa eſt, qui cum accuſationem intuliſſent, exceptione temporis ſummoti ſunt: longè alia eorum, qui ab accuſatione, quam præſcriptio temporis ſummouiſſet, diſceſſerunt. Hi enim ſponte accuſationem omittunt, illi inuiti ab accuſatione repelluntur. Denique Senatuſconſultum, quod in deſiſtentes ſcriptum eſt, ad eos non pertinet, quorum accuſatio exceptione eliſa, repulſaq; eſt: illos verò Senatuſconſultum tenet, qui ab accuſatione qualis qualis fuerit, deſtiterunt[x]. Ceterum publica abolitio eas demum accuſationes abolet, quæ iam perlatæ ſunt, & ex quibus reus quis factus eſt[y]. Ad eas enim, quæ nondum inſtitutæ ſunt accuſationes, abolitio non pertinet[z]. Reſtat videamus, quæ marito iure mariti accuſanti præſcriptiones obiiciantur. Imprimis, ſi repudiatam vxorem etiam poſt inſtitutam accuſationem reduxerit, non quaſi eodem matrimonio durante, ſed quaſi alio interpoſito, ex eo delicto quod in priori matrimonio admiſit, accuſandi ius non habet[a]. Aboleuiſſe enim prioris matrimonij delicta vi

m l. quicum natus §. 1. D. de bon. libe.
n l. 1. §. abolitio D. ad Turpillia.
o l. 8. D. eo. tit.
p l. 12. D. ad Turpill.
q l. aut priuatim. D. eo. tit.
r l. ſi quis repetere. eo. tit.
s l. 8. l. 10. l. 11. l. 12. l. 13. l. 16. D. ad Turpillia.
t l. 1. §. accuſationem D. ad Turpillia.
u l. quærebatur. D. ad Sen. Turpillia.
x l. in Senatuſconſultum. eo tit.
y l. penul. D. eo tit.
z l. 2. C. de gener. abolit.
a l. quæſitum. §. vlti. D. de adulter.

detur reducendo eam[b]. Sed & ſi acturum ſe intra ſexageſimum diem negauerit, poſteà accuſare volens non audietur[c]. Idem multò magis ſi ab accuſatione inſtituta deſtiterit[d]. Vtilis ergo erit illa aduerſus agentem exceptio, ſi non legem prodidiſſe dicatur, ob hoc quod aggreſſus accuſationẽ adulterij, accuſare deſtitit[e]. Quæ præſcriptio ex lege Petronia, vt opinor, deſcendit, quæ hoc continebat, vt qui iure viri delatum adulterum non peregiſſet, poſtea ad accuſationem non admitteretur[f]. Quę lex an ea ſit, quæ aliàs Iunia Petronia appellatur[g], conſtanter affirmare non poſſum. Certè ab ipſomet Senatuſconſulti Turpilliani auctore Petronio Turpilliano latam non dubito, qui cum Cæſonio Pæto vnà conſulatum Neronis temporibus geſſit[h]: de quo & illud præterea legere me memini, curationem ei aquarum mandatam[i], eumque cum exercitu à Nerone reprimendæ ſeditionis cauſa miſſum ad Galbam defeciſſe. Sequitur in lege, *Poſt eos dies.* Poſt ſexaginta dies patri maritoq; lapſos extraneis quibuſlibet accuſandi facultas conceditur. Adulterij enim crimen inter iudicia publica refertur[k], quibus cuilibet è populo experiri, licet niſi cui ſpecialiter accuſandi poteſtas denegata eſt[l]. Nec tamen quòd cuiuis de populo hæc accuſatio patet, idcirco publica eſt: ſed quia lege de hac re cautum eſt, quæ publicè accuſationem inducit[m]. Inter extraneos autem maritus quoque accuſare poterit[n] ſed ita vt eis non præferatur, ſi præuenerint. Habent verò extranei quattuor vtiles menſes ad accuſandum, qui eis poſt ſexaginta dies cedere incipiunt[o], vltra quos patris maritiue voluntatem expectare neceſſe non habent[p]. Qua non expectata, ſtatim agere, etiamſi nondum ſexaginta dies effluxerint, poterunt: ſi ſe maritus, paterque adulterij acturos intra ſexageſimum diem negauerint[q]. Cum enim poſt hanc negationem amplius agere illi non poſſint, extraneis ſtatim locus fit. Verumenimuero conſtante eo matrimonio, in quo adulterium commiſſum eſſe dicitur, ab extraneo rea fieri mulier non poteſt. Probatam enim à marito vxorem, beneq; concordatum ac quieſcens matrimonium alius turbare atque inquietare non debet[r]. Ac ne adulterum quidem interim accuſari poſſe Papinian. ait[s], qui tamen ſibi ipſe repugnare alio loco[t] videtur his verbis: *Nupta quoque*

b l. ſi vxor §. vlt. D. de adulter.
c l. ſi maritus. §. ſi negauerint. D. eo tit.
d l. 2 D. ad Turpillia.
e l. 2 §. 1. D. de adult.
f l. abolitionam n ſi. C. de adult.
g l. lege Iunia. D de manumi. l. circumcid. 1e. D. ad l. Corn. de ſicar.
h Corn. Tacit lib 14.
i Sext. Iul. Fronti. lib. 2. de Aquaductib.
k l. 1. D de public. iudic. l. quamuis. ij. D. de adult. §. item lex Iulia. Inſt. de pud. iud.
l l. palam. §. ſenatus. D. de ritu nupt.
m Arg. l. 3. §. vlt D. de præuaricato.
n l 15. §. lex Iulia. D. de adulter.
o l. 4 § pen. D. eod.
p l 13. §. pen. eod.
q l. 15. §. ſi negauerint. D. eo. tit.
r l. conſtante. D. eo. tit.
ſ l. miles. §. volenti. D eo.
t In l. vim paſsú §. 1. D. de adulter.

muliere, tametſi lenocinii vir prior non poſtuletur, adulterii crimen contra adulterum ab extrario poterit inferri. Quòd ſi ſic intellegamus, vt durante eo matrimonio quod mulier à viro dimiſſa contraxit, adulter, etiamſi prior maritus lenocinii non accuſetur, accuſari poſſit, nullam res recipit dubitationem: ſin hoc ſenſiſſe eum dicamus, vt manente eodem matrimonio, in quo adulterium commiſſum eſſe dicitur, poſſit adulter, tametſi vir priùs lenocinii non ſit poſtulatus, accuſari: pugnabit hoc ſuperiori loco, nec pugnam Accurſii leues atque inanes ſolutiones dirument. Sed enim huic capiti Conſtantini conſtitutio [u] derogauit, quæ ad accuſationem adulterii quoſlibet è populo admitti prohibet, ſed neceſſarias demùm perſonas veluti fratrē, patruum, auunculum, quos verus dolor ad accuſationem impellit.

[u] *In l. quamuis. 11. C. de adulter.*

NE QVIS INTER REOS.

Legis Iuliæ capite ſeptimo, quemadmodum Vlpianus ſcribit [x], cauebatur, ne quis inter reos eum referret, qui tunc ſine detractione Reipub. cauſa abeſſet. Regula autem iuris eſt, abſentium Reipub. cauſa in nullo condicionem deteriorem fieri oportere [y]. Ideoq; inter reos referri eos, dum Reipubl. operantur, iniquum viſum eſt. Idq; generaliter lege Memmia olim vetitum fuiſſe Valerius [z] prodidit, cuius, vt probabile eſt beneficio à Senatu impetraſſe Iulium Cæſarem legimus [a], vt ne dum Reipub. cauſa abeſſet, reus perageretur. Atque hoc nomine Verrem acerbiſſimè Cicero [b] inſectatur, quòd abſentis Sthenii nomen deferri paſſus eſſet. Quamobrem & ab Vlpiano in vniuerſum definitum [c] eſt, eum qui Reipubl. cauſa abſit, accuſari non licere. Abſentes autem Reipub. cauſa anguſtius hic, quàm in Prætoris edicto [d], quo abſentibus ſuccurrit, accipimus. Eos enim demū excuſari lex Iulia vult, qui propter abſentiam ſiſtere ſe iudicio non poſſint, quiq; in alia prouincia, quàm in ea, in qua deferūtur, publici negotii cauſa abſint. Proinde ſi quis præſens ſit vice tamen abſentis habeatur, vt puta, inquit Vlpianus [e], qui in vigilibus, vel in vrbanis caſtris militat, dicendum eſt, hunc deferri poſſe: neque enim laborare habet, vt ſe repræſentet. Vigilum in vrbe ſeptem cohortes Auguſtus ex libertinorum ordine incendio-

[x] *l. ſi maritus. §. 1. D. de adulter.*
[y] *l. abſentia D. de reg. iur. l. ſepulchri. D. de ſepul.*
[z] *Lib. 3. ca 7*
[a] *Sueton in Iulio. ca 23.*
[b] *4. in Verr.*
[c] *l. hos accuſare D. de accuſat.*
[d] *l. 1. vel ex quibus cauſ. maior.*
[e] *l. ſi maritus. §. 1 D. ne adulter.*

tum cauſa conſcripſit [f], in quibus, qui nomen dediſſent, militum numero locoq; erant [g]: vnde inter vigiles militare, vt hic, ita & in Inſtitut. Vlpianus [h] dicit, idq; Strabo [i] στρατιωτικὸν τῶν ἀπελευθέρων appellat. Vrbana verò caſtra Prætorianarum cohortium, & aliarum, quæ ad vrbis cuſtodiam in ſtationib9 diſpoſitæ erant, accipi oportet. Prætoriani enim tametſi ab vrbanis militibus in hiſtoriis ſeparantur, cùm tamen Romæ caſtris à Tiberio conſtitutis continerentur, in vrbanis caſtris militantium appellatione meritò comprehenduntur. Habebantur autem hi ab Imperatoribus ad corporis ſui cuſtodiam, vt Herodianus lib. II. oſtendit, eaq; de cauſa ceteris militibus ampliora ſtipendia accipiebant, aliisq; prærogatiuis fruebantur. nam & binos in diem denarios merebant, & poſt ſextumdecimum annum miſſionẽ, finitæq; militiæ præmia accipiebant, cùm alii ne diurnum quidem denarium mererent, longioriq; tempore militiæ obſtringerẽtur, quemadmodum Cornelius Tacitus [k] & Dion [l] declarant. Et hi sũt qui Romæ militare aliàs dicuntur [m], qui licet pro abſentibus Reipubl. cauſa habeantur [n], quod ad reſtitutionem in integrum attinet, in hac tamen lege abſentium appellatione nõ continentur, quæ eorum dumtaxat abſentiam excuſatam eſſe voluit, qui corpore ab eo loco abeſſent, in quo defe runtur, adeò vt qui in ea prouincia, in qua reipublic. cauſa operam dans abſens agit, adulterium commiſerit, ibidem accuſari ſalua legis ſententia poſſit, niſi, addit Vlpianus [o], ea ſit perſona, quæ ad Præſidis cognitionem non pertinet. quæ verba ad milites contrà quàm quidam cenſent, malè referuntur: hos enim extra militaria & caſtrenſia delicta [p] ab eius prouinciæ, in qua facinus admiſerint, præſide pœna plecti debere Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt [q]: non malè verò ad Decuriones Principaleſq; ciuitatum referentur, quos punire Præſidi prouinciæ, niſi aliter ſedari tumult9 non poſſet [r], vel res dilationem non reciperet [s], non permittebatur. Recipere tantum in carcerem, vinctoſq; cuſtodire, & principi de eorum pœna ſcribere licebat [t]: eratq; hoc adeò diſertè mãdatis Principalibus, quæ Præſidibus dabãtur, cautum [u], vt ſi id amiſiſſe Decuriones viderentur, propter quod relegandi extra prouinciam in inſulam eſſent, Imperatori

f l. 3. D. de off. præf. vig.
Suet. in Aug. cap. 25.
g l. vnica. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.
h Tit. 3.
i Lib. . Geograph.
k Lib. I. Annal.
l Lib. 57.
m l. milites. D. ex quibus cauſ. maior.
n d. l. milites & l. qui mittuntur. §. præfectus. D. ex quibus cauſ. maior.
o l. ſi maritus. ſ. 1. in fi. D. de adulter.
p l. pen. C. de iuriſd. omn. iudic. l. 3. D. de re milit.
q l. vlt. D. de accuſ. & l. 3. D. de re milit.
r l. penul. D. ad l. Corn. de falſ.
s l. ſi quis §. penulti. D. de iniuſt. rup.
t l. 1. in fin. prin. D. quãd appell. ſit. l. 2. § 1. D. de bõ. cor.
u l. diui. §. pẽ. & l. vlt. D. de pœnis.

ſcriberetur. Prȩſidali cognitioni & alii nouiſſimorum principum conſtitutionibus eximuntur[x]. Verū enimuerò nō aliàs abſentia excuſatur, quàm ſi ante cœpta in cognitione abeſſe quis cœperit. Itaque adulteram ſi poſtea quàm crimen contra eam inchoatum eſt, prouinciam exceſſerit, etiam abſentem inter reos recipi poſſe Imper. Alexander reſcripſit[y]. An verò & condemnari? Et eſt iure ciuili conſtitutum[z] abſentē capitali pœna damnari non poſſe, pecuniarias vero pœnas, vel eas, quȩ exiſtimationem contingunt, ſi ſæpius moniti per contumaciam deſint, ſtatui poſſe, & vſque ad relegationem procedi. Excuſantur etiam ii ſoli, qui bona fide abſunt, & vt ait lex, *Sine detrectatione*. Nam ſi quis euitandi criminis cauſa id egerit, vt Reipublicæ cauſa abeſſet, nihil illi commentum hoc proficiet[a]. Admonent autem me hæc legis verba, vt Vlpiani locum[b] emendem, in quo eos, quos accuſare non licet, enumerans, *Item* ait *magiſtratum populi Romani, eúmue qui Reipubl. cauſa abfuerit, dum non retractandi leges cauſa abeſt.* Quod nullum bonum ſenſum habet. Legendum itaque ſuſpicer: *Dum non detractandi leges cauſa abſit.* Vt & alio[c] loco, *Qui non detractandi teſtimonii cauſa aberit.* & alias[d]: *Qui detractādæ libertatis gratia abſit,* Porrò qui inter reos adulterii receptus eſt, abſens defendi non poteſt[e]. Ad crimen enim publici iudicii perſequendum fruſtra procuratorem interuenire, multoq; magis ad defendendum ciuilis conſtitutio eſt[f]. Cui tamen refragari Alexandri reſcriptum creditur, quod ita eſt[g], *Reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi, leges iudiciorum publicorum permittunt.* Sed non omnia capitalia crimina iudicii publici ſunt. Igitur in priuatorum criminum cauſis defenſor rectè interuenit, in publicorum iudiciorum criminibus non rectè interuenit[h]. In crimine autem adulterii nulla dabatur dilatio, niſi vt perſonæ exhiberentur, aut iudex ex qualitate negotii hoc cauſa cognita permiſiſſet[i]. Vnde Paulus lib. II. Sententiar.[x] In cauſa, ait, adulterii dilatio poſtulata impartiri non poteſt. In capitalibus certè cauſis, cauſa cognita reo tres dilationes, accuſatori duas dari potuiſſe conſtat.[l]

x l. 3. C. de off. mag. mil.
y l. 13. C. de adulter.
z l. abſentem. D. de pœn. l. 6. C. de accuſatio.
a d. l. ſi maritus. §. 1.
b l. hos accuſare. D. de accuſatio.
c l. inuiti D. de teſtib.
d l. ſi legatario in fin. de fideicom. lib.
e l. miles. §. ea quæ. D. de adulter.
f l. penult. § vlt. D. de public. iudic.
g l. 3. C. de accuſatio.
h l. ſeruum. §. publice D. de procurat.
i l. in crimine. D. de adul.
x Tit. 2. §.
l l. vlt. D. de ferius.

Lex Iulia ſpecialiter quoſdam adulterii accuſare prohibebat, vt minores xxv. annis [m]. Nec enim iuſtus accuſator viſ' eſt, qui nondum robuſtæ ætatis eſſet. Hoc verò in hac lege ſingulare eſt. Nam à ceteris vel capitalibus accuſationibus minores non repelluntur [n]. Vnde Macer [o] in iis, qui propter ætatem accuſare non poſſunt, pupillum tantum numerat, id eſt impuberem, qui nondum exacti conſilii capax eſt. Cui tamen ex conſilio tutorum patris mortem exequi, necnon de patris teſtamento agere permiſſum eſt [p]. Eum verò, qui puberem ætatem egreſſus iudicium iam poſſit ad accuſationem inſtituendam adhibere, in publicis quoque iudiciis, niſi quæ lex nominatim refragetur, admitti conſtat. Sed enim alienā dumtaxat iniuriam exequentes iure publico minores xxv. annis ex hac lege ſubmouentur. Violatum verò ſuum matrimonium minor, non tantùm iure viri, ſed & extranei iure vindicare poteſt [q]. Nec enim vlla vmquam præſcriptio obiicitur, ſuam iniuriam exequenti. Ideoq; & ex hac cauſa ad accuſandum admittuntur, qui alias idonei accuſatores nō eſſent [r]. Eadem ratione violata virgo, iniuriam ſuam aſſiſtentibus curatoribus ſine metu præſcriptionis perſequetur [s]. Minorem xxv. annis hic accipimus etiam eum, qui annum viceſimūquintū ætatis agit, aliter atque in lege Ælia Sentia, in qua non tam minor xx. annis eſt, qui ſupremum diem anni vigeſimi agit. [t] Porrò ceteri quoque, qui publico iudicio accuſare nō poſſunt, & ab hac accuſatione ſubmouentur: quales ſunt mulieres, ſerui, milites, famoſiq; homines, qui cum beſtiis depugnandi cauſa in arenam intromiſſi ſunt, quique artem ludicram vel lenociniam fecerint, calumniæue cauſa publico iudicio ſint damnati. Quos Vlpianus hac occaſione libro ſecundo de adulteriis erat perſecutus [u].

m l. ſi maritus. §. lex Iulia. D. de adulter.
n l. qui cum nato. §. 1 D. de bon. libert.
o l. qui accuſare. D de accuſatio.
p l. 2. D. de accuſatio.
q l. ſi maritus § lex Iulia D. de adult.
r l. 1. l. hi tamen. D. de accuſatio.
s §. lex Iulia d l. ſi maritus.
t l. 1. D. de manumiſſio.
u l. 4. D. de accuſatio.

SI SERVVS ADVLTERII.

Hoc capite nono legis Iuliæ continebatur [x]. Poſſunt autem non liberi tantum homines, ſed & ſerui, lege Iulia accuſari [y]. Nam & hi omnibus publicorum iudiciorum legibus rei fiūt, quarum modò pœna in eos cadit [z]. Cuiuſmodi relegatio ne ſit, ab interpretibus dubitatur, ſeruorum certè pœnis eam conuenire argumento eſt, quòd hac lege poſtulantur, cuius

x l. ſi poſtulauerit. §. vlt. D. de adult.
y l. ſeruos. D. de accuſatio.
z l. hos, de accuſare §. omnibus D de accuſatio.

cuius pœnam relegationem eſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Et relegatione ſeruos, qui domini auctoritate ſepulchra violauerint, Conſtantinus plectit[a]. Vnus creditur Venuleius[b] diſſentire; qui tamen ceteris cōnſentiet, ſi eius verba hæc, *Vel capitis pœna, quæ ſeruorum pœnis non conuenit, ſicut relegatio*, ſic cum Ioanne antiquo interprete accipias, ſicut relegatio ſcilicet conuenit. Et ita ſæpe vox Sicut oppoſitam præcedentibus ſententiam ſignificat[c]. Exemplum verò capitis pœnæ, quæ ſeruis non conuenit, deportationem afferri poſſe exiſtimo. Nam & vltimo ſupplicio plecti, & in metallum, vel in opus metalli, vel in ludum venatorium, vel ad beſtias dari ſolitos ſeruos exploratum eſt[d], non tamen in opus publicum perpetuum vel temporarium dari[e]. Sed nec deportari idcirco credo, quod ea pœna libertate retenta ciuitatem adimat, quòd in perſona ſerui non conſiſtit. Itaque vbi liberis hominibus deportatio legibus infligitur, ibi in ſeruos vltimum ſupplicium conſtitui animaduertas[f], vt in legibus Corneliis, de falſis, ſicariis, & veneficis. Eadem autem ſollemnia in ſeruorum, quæ in liberorum hominum accuſatione implenda ſunt[g]. Itaque & inſcriptio præcedere debet, & ordine iudicium peragi, perinde ac ſi liber homo in iudicium, crimẽq; vocaretur: & qui liberorum hominum idonei accuſatores non ſunt, nec ſeruorum erunt. Hoc tantùm intereſt, quod & de ſeruo adulterii accuſato quęſtio, ſi hoc accuſator deſideret, habetur: quo caſu ſeruum æſtimari lex vult, & duplum ei dari, ad quem ea res pertinet. Quibus verbis non domini tantùm, ſed & hi qui à non domino bona fide emerint, creditoresq; qui pignori acceperint, continentur[h]. Nam horum quoque intereſt, quæſtionem non haberi. Quòd ſi vſusfructus in ſeruo alienus ſit, inter dominum & fructuārium eſtimatio diuidetur, & ſi communis pluriū erit, inter eos quoque æſtimatio erit diuidenda. Verùm ſi liber homo, qui bona fide ſeruiat, tortus ſit, cui iſta pœna præſtāda ſit, videamus. Et magis eſt, quemadmodū Sex. Cæcilius probat, vt vtilis actio ipſi aduerſus eum, qui per calumniam appetit, detur, ne impunita ſit calumnia eius ob hoc quod liberum hominem quaſi ſeruum deduxit in quæſtionem. Et ad hoc caput referenda eſt illa Papinia. lex[i], quæ ex eius lib.

a l. 2. C. de ſepul. viol.
b d. l. hos accuſare §. omnibus.
c l. 1. in fin. D. pro ſoluto. l. & non tātum. in fin. D. de pet. hered.
d l. aut damnum § vlt. D. de pœn. Paul. lib. 5. Sentent. tit. 4. ad fin.
e l. ſeruus. D. de pœn.
f l. 1. § vlt. D. ad l. Cor. de falſ. § itē lex Cornela. Inſtit. de public. iudic.
g l. ſi quis ſeruos. C. de adulter. l. hos accuſare. § ſi ſeruus. D. de accuſatio.
h l. ſi poſtulauerit. D. de adulter.
i l. vlt. D. de calūniatorib.

11. de adulteriis. in tit. de calumniatoribus, eſt tranſlata. *De ſeruo* qui accuſatur, ſi poſtuletur, quæſtio habetur, quo abſoluto in duplum pretium accuſator domino damnatur: ſed & citra pretii æſtimationem quæritur de calumnia eius: ſeparatum eſt etenim calumniæ crimen à damno, quod in ſeruo propter quæſtionẽ domino datum eſt. Huc pertinet & illud Diocletiani ſub eodem titulo collocatum reſcriptum k. *Dominis ſeruorum per accuſatoris calumniam tortorum aduerſus eum pœnam dupli lege Iulia prouidetur.* Duplum autem hoc conditione ex lege Iulia deſcendente petitur l. Eſtque hoc appoſitiſſimum condictionis ex lege exemplum m. Quando autem & hoc & ſuperiori ſeptimo capite de adulterii reis diximus, videamus, ſi magiſtratus, aut is qui in honore publicóue miniſterio ſit, adulterium commiſiſſe dicatur, an accuſari poſſit. Et certum eſt n, quamdiu in magiſtratu, poteſtatéue eſt, accuſari eum non licere: ſed differri eius accuſationem, & cautione iudicio ſiſtendi cauſa promitti o in finem honoris, vt in aliis cauſis fieri aſſolet p. Non erit etiam ab hoc loco alienum, quæ fuerit in adulterii quæſtione libellorum accuſatoriorum q conceptio, exponere. Eam talem fuiſſe accepimus, vt die & conſule præpoſito ſcriberetur. Apud illum prætorem vel proconſulem L. Titius profeſſus eſt ſe Mæuiam lege Iulia ream deferre, quòd dicat eam cum C. Seio in ciuitate illa, domo illa, menſe illo, conſulibus illis, adulteriũ cõmiſiſſe. Vtique enim & locus deſignandus erat, in quo adulterium commiſſum eſſet, & perſona cum qua admiſſum diceretur, & menſis. Idq; lege publicorum iudiciorum cautũ, generaliterq; omnibus qui aliquem deferrẽt, præceptum Vlpianus ſcribit r. Quod ſi libelli legitime ordinati non eſſent, & aliquid circa inſcriptionem erratum eſſet, cauſa criminis abolebatur. Emendare tamen libellum ſi tempora laſgiebãtur, vel ex integro reum repetere licebat s.

k l. dominis. C. de calumn.
l l. quod ex his D. de adulter.
m l. vn. D. de condict. ex l.
n l. hos accuſare. D. de accuſatio.
o l. ſi adulterium in fi. D. de adult.
p l. 2. §. ſed ſi dubitetur. D. de iudic.
q l. denũtiaſſe. D. ad l. Iul. de adult.
r l. libellorũ. D. de accuſat.
s l. accuſaturus D. de adulter. & l. libellorum.
t l. 2. §. vlti. D. de adult.

SI QVI POST MARITVM.

Lege Iulia hoc expreſſum fuiſſe Vlpian. teſtis eſt, t quod & in aliis publicis iudiciis ſeruatur, quibus cũ experiri cuilibet liceat, ſi plures exiſtant qui accuſare velint, eliget iudex eum, qui accuſet cauſa cognita, æſtimatis accuſatorũ perſonis ex

dignitate, vel ex eo quod accuſantium intereſt, vel ætate vel moribus, vel alia iuſta de cauſa [u]. Erat olim de accuſatore conſtituendo proprium proditum iudicium, quemadmodũ Quintilian.[x] & Gellius [y] declarant, quod diuinatio appellabatur. Cuius iudicii & Cælius [z] in Epiſtol. meminit. Eoq; in genere Ciceronis prima in Verrem actio verſatur. Publicorum verò iudiciorum exemplo etiam illud in popularibus actionibus ſequitur [a], vt ex pluribus deſiderãtibus, eæ actiones vel idoneioribus, vel quorum interſit potiſſimum, dẽtur: quod in actione de ſepuſchro violato [b], & in actione de effuſis & deiectis [c], prætoris edicto expreſſum eſt. Ait lex *Conſtituto.* Statuet verò cauſa cognita comparatis eorum, qui ad accuſationem pariter accedunt, moribus, ætatibus, & cuius magis interſit [d]. Præferẽtur verò primùm qui adulteram cõſanguinitate, vel adfinitate contingunt, & inter extraneos, qui idoneiores erunt: quiq; fide, dignitate, induſtria, diligentia, conſilio præſtabunt. Quæ in accuſatorum delectu habẽdo diſpicienda eſſe Cicero in diuinationis peroratione, & Quintilian.[e] oſtendunt.

u l. ſi plures. D. de accuſ.
x Lib 3. ca. 10 & lib. 7. ca. 4
y Lib 2 ca. 4.
z Lib. 8. Epiſtol. Ciceron. Epiſt. 142.
a l 2. D de popularib. actio.
b l. 3. §. 1. D. de ſepul. viol.
c l 5. §. 1. D. de his qui deiec. vel effud.
d Arg. l. 3. §. ſi tamen plures. D. de lib. hom. exhib.
e Lib. 7. ca 4.

REOS. ADVLTERII, &c.

Adulterum & adulteram eodem tempore & ex eadem cauſa reos fieri lex vetat [f], ſed vtroſque ordine peragi præcipit. Itaque nec ab extraneo, nec à marito ſimul eodẽmq; libello poſtulari poſſunt: & qui vtrumque ſimul detulerit, nihil aget propterea quòd eam accuſationem lex valere non patitur [g]. Poterit igitur quaſi neutrum detulerit, rurſus à quo velit, initium facere [h]. Quamquam autem inutilis ſit huiuſmodi delatio, tamen in vtriuſque perſona neceſſaria eſt abolitio, ne in Turpillianum incidat, qui ab ea accuſatione deſiſtet. Qualiſcumque enim accuſatio illata cognoſcentis auctoritate, non accuſantis voluntate aboleri debet [i]. Ceterùm de adulterio tantùm lex loquitur: nam inceſti commune crimen aduerſus duos ſimul intentari poteſt [k]: quod in adulterio ne liceret, ſpecialiter lege prohiberi neceſſe fuit. Vetat autem lex ab eodem ſimul virum & mulierem poſtulari: à diuerſis vero ſinguli ſimul poſtulari poſſunt [l], dum ſi ante denuntiationem nupſerit mulier, prior accuſari non poſſit. Sed

f l 8. C. de adulter.
g l. vim paſſam. §. duos. D. de adult.
h l. ſi maritus. in fin. D. de adulter.
i l. 1. § accuſationem. D. ad Turpil.
k l quæ pupillam in fin. l. vim paſſã. § pen. D. de adulter.
l l. 17 § quæritur. D. eo ti.

nec quicquam prohibet ſimul cum adultero, vel adultera eum quoque accuſare, qui domum ſuam præbuerit, vel conſilio fuerit, vt crimen redimeretur m.

m l. nihil. in fin. D. ad leg. Iul. de adult.

SI MVLIER, &c.

n l. 8. C. de adulter.

o l. 2. D. de adulter.

p l ſi dum. C eo. tit.

Ordo lege Iulia in adulterii accuſatione præſcriptus n hic eſt, vt ſi mulier ante denuntiationem nupſerit, ab adultero neceſſe habeat accuſator incipere, nec aliàs ad mulierem peruenire poſſit, quàm ſi reum peregerit o. Et hoc eſt quod Imp. Gordianus ait p: *Neque enim ab ea quæ iam nupta eſt, & adulterium paſſa, exordium accuſationis ſumi poteſt, ſi denuntiatio criminis nuptias non præceſſit.* Competet ergo mulieri ante denuntiationem nuptæ, ſi prior poſtuletur, ex lege Iulia præſcriptio. Atque ita interpretari poſſumus quod ab Vlpian. quodam loco q ſcriptum eſt: *Ceterum iuſtè mulier nupta preſcriptione vtetur.* Sed ea vti planè, antequam inter reas recipiatur, debet. Nam ex lege Iulia deſcendentes præſcriptiones antè tractari ſolent, quàm inter reos quis recipiatur r. Recepti verò inter reos, Aſconio auctore s tum intelliguntur, cum apud Prætorem legibus interrogati crimen negarunt, accuſatorique à magiſtratu inquirẽdorum criminum dies datus eſt. Porrò nec ſi mulier ei qui in ſuſpicionem adulterii incidit, nupſiſſe dicatur, antè accuſari poterit quã adulter fuerit conuictus, ne bene concordatum matrimonium turbetur t. Qua de cauſa prius in adulterum quæri, quàm in nuptam mulierem, lex voluit, nec niſi illo damnato, hanc inquietari. Cuius legis beneficio vt iuuarentur mulieres ſtatim atque à viris repudiatæ adulterii cauſa fuerant, aliis ſe in matrimonium inhibendæ accuſationis adulterii cauſa dabant. Hinc illud Martialis u:

q l. ſeruos. in fi. D de accuſatio.

r l. ſi maritus. §. præſcriptiones. D. de adulter.

s In Verrin.

t l. miles. §. licet. D. eo.

u Lib. 6. Epigram.

Quod nubis Proculina concubino,
Et mœchum modò, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare poſſit:
Non nubis Proculina, ſed fateris.

x l 27. C. de adulter.

Plerumq; verò mœchis ſuis nubebant: quæ res tamen eas accuſationi non ſubtrahebat. Nam vt eſt reſcriptum x, commiſſum antè adulterium cum eo, cui ſe poſtea nuptiis ſociauit, velamento matrimonii nõ extinguitur. Quinimmò hoc

pro clariſſimo antè commiſſæ turpitudinis iudicio argumentoq; Martialis ſumit y:

Mœchus erat: poteras tamen hoc tu Paula negare. y Lib. 1. Epigram.

Ecce vir eſt: nunquid Paula negare potes?

Ait lex *Peregerit*. Agere reum, eſt accuſare & poſtulare. Ouidius z: z Lib. 1. Amor.

Egit me lachrymis ore ſilente reum.

Peragere, eſt ad exitum accuſationem perducere. Tacitus libro IIII. Ceterorum, quæ multa cumulabantur, receptus eſt reus, neque peractus ob mortem opportunam. Valerius Maximus: Duos ſuſtinuit reos, eorumq; alterum lege peregit, alterum profeſſione qua ſolum poterat. Peregiſſe autem hic alias non videtur, niſi condemnauerit a. Nam ſi a l. 2. D. de adulter. perlata accuſatione adulter abſolutus ſit, mulier ſecura eſſe iubetur. Ita fit, vt adultero abſoluto mulier per eum vincat: damnato eo, non tamen mulier damnata ſit, ſed agat cauſam ſuam, vt obtinere fortaſſis vel gratia, vel iuſtitia, vel legis auxilio poſſit b. Porrò hoc caput Diocletiano & Maximia. diſplicet, qui etiam ab ea, quæ ante denuntiationem nupſerit, accuſationem exordiri permittunt c. b l. denũtiaſſe. §. vlt. D. eo. c l. ita nobis. C. eo. tit.

ADVLTERIO ABSOLVTO, &c.

Si adulter abſolutus ſit, nupta mulier per eum vincet, nec vltra accuſari poterit, non tantum ab eo qui adulterum accuſauerit, ſed nec ab alio quidem. Proinde ſi per colluſionem cum adultero conſtiterit, iſq; abſolutus fuerit, dabit mulieri nuptæ aduerſus omnes ſecuritatem d. Atque hoc ſingulari iure e in hac cauſa ex lege Iulia ſeruatur. Eam verò demum lex adultero abſoluto tuetur, quæ nupta eſt eo tempore, quo adulter eſt accuſatus. Nam ſi cùm mulier vidua eſſet, adulter electus ſit, licet tempore abſolutionis nupta inueniatur, tamen accuſari poterit. Sed etſi nupta eſſe deſierit, iure accuſabitur. Neque enim aliam lex tuetur, quàm nuptam, quamdiu nupta eſt f. Porrò quamuis adulter diem ſuum obierit, conſtitutum eſt tamen nihilominus mulierem, ſine vlla præſcriptione accuſari poſſe. Mariti quoque mors, quominus ab alio mulier adulterij poſtuletur, non impedit g. Idemque ſeruabitur, etſi non mors, ſed pœna alia eas per- d l. 19. §. vlt. D. de adulter. e l. 3. D. de præuaricato. l. ſi cui crimẽ. §. 1. D. de accuſatio. f adulter. in fi. D. de adulter. g l. ſi miles. §. defuncto. D. de adulter.

ſonas ſubtraxerit.

SI VIR QVI VXORI.

Ita demum ne ſecum priùs, quàm cum adultero agatur, nupta mulier iure recuſat, ſi ante denuntiationem nupſerit. Sin autem poſtquam ei maritus, vel extraneus denuntiaſſet, nupſerit, ab ea incipi poteſt [h]. Denuntiaſſe accepimus non tantùm ſi ad iudicem denuntiauerint, ſed & ſi adulterij ſe acturos extra iudicium denuntiauerint [i]. Quòd ſi non quidem denuntiauerint, verùm libellos accuſatorios dederint antequam mulier nuberet, eáq; cùm id cognouiſſet, nupſerit, putat Vlpianus [k] non videri denuntiatum, & idcirco non poſſe accuſatorem ab ea incipere. Adulterij certè commemorationem quoquo modo feciſſe in denũtiatione ſatis eſt, etſi iudex non ſit monſtratus. Ac vel per procuratorem, aut ſeruum actorem facta denuntiatio valet. Rata eſt ad domum facta denuntiatio [l]. Nam ad domum vtiliter denuntiatur [m], cum eius copiam non habemus, quem conuenire volumus. Sed ſi ſpecialiter eum, cum quo adulterium mulier fecerit, denuntiatione complexus, velit eam ex alterius perſona accuſare, non audietur. Neque enim crimen quod denuntiauit, obiicit.

h l. qui vxori D. de adult.
i l. denuntiaſſe, D. eo. tit.
k d. l. denuntiaſſe.
l l. 39. §. nupta. D. eo tit.
m l. 1 §. 1. D. de lib. agnoſc. l. 4. §. totiens D. de damno i ſect.

SI VIDVA.

Apertè hoc lege Iulia cautum fuiſſe Iulianus ſcribit [n]. Itaque quamdiu in viduitate mulier perſeuerat, quę adulterium commiſiſſe dicitur, in accuſatoris arbitrio eſt, vtrum ab adultero, an ab adultera incipiat [o]. Sic erit electioni locus, poteritq; , qui adulterũ elegerit, ad mulierẽ etiam abſoluto adultero redire, quæ lege in hoc caſu iuuari non poteſt, quando eo tempore, quo adulter electus eſt, nupta non fuerit. Planè in viduæ filiæ accuſatione pater extraneo præuenienti non præferetur [p]. Illud ſciendum eſt, quod à Paulo libro primo de adulteriis refertur [q], ſi ventris nomine mulier in poſſeſſionem miſſa ſit, differendam adulterij accuſationem eſſe, ne præiudicium fiat ei, qui in vtero eſt. Propter impuberem certè filium mulier dilationem ab accuſatore non impetrabit [r]. Hæc enim quæſtio ad Carbonianum non pertinet: quando-

n l. nuptam. D. de adulter.
o l. ſi maritus. §. p:n. D. de adulter.
p l. nec in ea lege. §. 2. D. eo.
q l. 8. D. de vent. in poſſ. mitt.
r l. miles §. defuncto. D. de adulter.

quidem ſtatui infantis nihil præiudicat, cùm poſſit & illa adultera eſſe, & impubes defunctum patrem habuiſſe.

QVI DOMVM SVAM PRÆBVERIT.

Præter ſtupra atque adulteria, etiam quædam alia crimina lege Iulia vindicantur s: Veluti ſi domũ ſuam præbuerit quis vt ſtuprum materfamiliàs pateretur, aut pro cõperto ſtupro pretium acceperit, quorum vtrumque pro adulterio eadem lex punit. Sed de poſteriore erit ſequenti capite dicendi locus: priùs illud nunc explicandum. Sciendum eſt autem non omnia in vniuerſum lenocinia lege Iulia coërceri: ſed nec vlla alia lege in lenones animaduertebatur: tantum prætoris edicto eos infamia comitabatur t: Primus, quemadmodum exiſtimo, Iuſtinianus lenones eſſe prohibuit: quod & à Procopio relatum eſt, & Nouellis eiuſdem principis conſtitutionibus continetur u. Planè eos, qui adulterantes domo excipiunt, lex Iulia meritò adulterij pœnis ſubiacere voluit, quãdo ſine talium ſuſceptorum opera nec facilè admitti adulteria, nec admiſſa latere poſſent. Eodem enim modo & receptatores pari cum delinquentibus pœna puniuntur x. Ait autem lex, *Qui domum*, quæ verba ad vtrumque ſexum pertinent. Mulier itaque hoc capite, quod domum ſuam præbuerit, tenebitur y. Domus appellatione habitationem quoque ſignificamus z, vt in capite tertio plenius expoſuimus. Tenetur autem & qui amici domum præbuit, & qui in agro balineóue ſtuprum fieri præbuerit a. Sed & ſi in domum aliquam fuerint ſoliti conuenire ad tractandum de adulterio, & ſi eo loco nihil admiſſum fuerit, verumtamen videturis domum, vt ſtuprum fieret, præbuiſſe, quoniam ſine colloquio illo adulterium non committeretur. Mater autem familiàs ſignificatur non tantùm nupta, ſed etiam vidua b: quamquam propriè materfam. non poſſit appellari, quæ vidua eſt, vt nec ea, quæ ſine filijs eſt, quemadmodum Sextus Pomp. lib. xi. ſcribit.

s l. auxilium. in D. de minorib. l. 3 § ſed eiſi. D de accuſatio.

t l. 1. & l. 4. § at prætor. D. de not. infam.

u Nou. de lenonib. tollend.

x l. 1. D. de receptato.

y l. materfa. § 1 D. de adul. ter.

z l qui domũ. in fin. D. eo.

a l & ſi amica. D. eo. tit.

b l. mater. D. eod.

QVI PRO COMPERTO STVPRO.

Qui ne deprehenſos in adulterio ſtupróue prodat, pecuniam acceperit, lenocinij crimine lege Iulia tenetur. Vnde

Paulus, Iſti quidem, inquit[c], & in legem Iuliam incidunt, qui quid pro comperto ſtupro acceperunt. Et hoc quoque pro adulterio eadem lege puniri Tryphoninus ſcribit[d]. Nec intereſt, vtrum maritus ſit, qui acceperit, an alius quilibet. Quicumque enim ob conſcientiam ſtupri aliquid acceperit, ex hac parte plectitur. Ceterùm ſi gratis quis remiſerit, ad legem non pertinet[e]. Eueniebat porrò plerumque, vt in adulterio deprehenſi ſe ob vinculorum vel mortis metum redimerent, maritis commodum pecuniæ matrimonij vindictæ præferentibus. Quo nomine maritum quendam Auſonius notat:

c l. iſti quidē. D. quod met. cau.
d l. auxiliū. in fi. D. de minorib.
e l. maritꝰ. §. plectitur D. de adult.

Semiuir vxorem duxiſti Zoile mœcham.
O quantus fiet quæſtus vtrimq; tibi!
Cùm dabit vxori molitor tuus, & tibi adulter,
Quantum deprehenſi damna pudoris emunt.

Hoc verò lenocinio proximum eſt. Ideoq; adulterij pœna meritò coercetur. Cui & illi ſubiacent, quorum ope conſilioq; factum eſt, vt vir feminaue in adulterio deprehenſi, pecunia aliáue qua pactione ſe redimerent[f]. Illud ex mente legis quæri poteſt, an eadem pœna damnentur, qui cum adulteris paciſcuntur & de his nihil lege Iulia aperte cautum eſt. Sed nec hoc capite legis apprehendi eos manifeſtè reſcripto Alexandri ad Demetrianum declaratur, in quo ſeparata eorum cauſa conſtituitur, qui de adulterio vxoris paciſcuntur, & qui pro comperto ſtupro pretium accipiunt. Verba reſcripti ita ſe habent[g]: *De crimine adulterij paciſci non licet: & par delictum eſt accuſatoris, præuaricatoris & refugientis veritatis inquiſitionem. Qui autem pretium pro comperto ſtupro acceperit, pœna legis de adulterijs tenetur.* Paciſci hic, quemadmodum & in Edicto de notatis infamia[h], accipimus eum, qui cum pretio quantocumq; paſcitur, ſiue pecuniam, ſiue quid aliud pro pecunia acceperit. Veluti ſi obligatione ſit liberatus[i], aut aliquid apud eum ex ea cauſa remanſerit. Non enim pretio vel modico accepto accuſationem omittere, licet. Iniuriam vero ſuam gratis remittere nemo prohibetur[k]. Nec enim veniæ datione interdicitur, ſed ſordidis pactionibus: proinde nec qui precibus exoratus vindictam doloris ſui omiſit, nec qui precibus impetrauit ne ſecum ageretur, illicitam rem feciſſe iudi-

f l. is cuius. D. de adult.
g l. de crimine. C. de adult.
h l. 1. & l. 6. § pactus. D. de not. infa. l. non damnatos C ex quib. cauſ. infa.
i Arg. l. 2. D. de calumn.
k l. maritꝰ. §. plectitur. D. de adult.

iudicantur, contrà quàm ſi de crimine, aliquo dato turpiter pacti ſint. Hi enim ex Senatuſconſulto pœna l. Corneliæ de falſis tenentur: Quod de ijs quidem, qui ob non inſtituendam accuſationem pecuniam acceperint, expreſſum eſt l. Eandem verò reis qui delatores redemerint, etiam pœnam imminere quaſi conuictis exiſtimo: & hoc ipſum Senatuſconſultum ab Vlpian. ſignificari, cum ait m, In omnibus cauſis præterquam in ſanguine, qui delatorem corrupit, pro conuicto ex Senatuſconſulto habetur: idcirco autem (præterquam in ſanguine) quoniam in his criminibus, quæ pœna mortis coercentur, ſanguinis redimendi cauſa qualicumque pactione ſe ab aduerſario liberare principalibus conſtitutionibus benigne eſt permiſſum n: at in ijs, etiam ſi publicis iudiciis, ex quibus vita in diſcrimen non vocatur, paciſcentes ex Senatuſcõſulto falſi rei ſunt. Et hoc eſt, quod à Diocletia. ſcriptum eſt o. In alijs autẽ publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationem. Inſcite enim faciunt interpretes, qui ea verba ſic accipiunt, quaſi in omnibus publicis iudiciis, quibus pœna mors non eſt, tranſigere non liceat, excepto falſi crimine. Quorum errorem particulæ ipſius, Citra, vis ſatis conuincit. Nec verò quicquam habent, quo probent de falſo tranſigi licere, cum falſi pœna, non mors, ſed deportatio fuerit. Nam Valeriani & Gallieni conſtitutio p, quia illi vtuntur, ſuper inſtrumento cuius fides in dubium veniebat, non ſuper falſi crimine tranſactionem factam approbat. Et hoc ait, vix eſſe, vt falſum accuſare permittatur id inſtrumentum, cui quis tranſactione acquieuerit, licet ſuſpectam fidem eius tunc temporis haberet. Quod tamen etiam poſtea Impp. Leo & Anthemius permiſiſſe videntur q. Diocletiani vero ea proculdubio ſententia eſt, ſine metu accuſationis falſi tranſigi de his criminibus non poſſe: quæ vltimo ſupplicio nõ vindicantur. Et ideo militem, qui cum adultero vxoris ſuę pactus ſit, ſacramento ſolui deportariq; debere Papinianus ſcribit r: quę vtiq; falſi pœna eſt. Illud mihi permirum videtur, quod Diocletiani conſtitutionis s initio ſcriptum eſt: *Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt.* Nam in numerum capitalium criminum adulte-

l l. vlt. D. de concuſſio.
m l. vlt. D. de præuaricato. l. 4. D. de iur. fiſ.
n l. 1. D. de bon. damnat.
o l. tranſigere. C. de tranſactio.
p l. ipſe. C. ad leg. Corn. de falſ.
q l. ſi ex falſis. C. de tranſactio.
r l. miles D. de adulter.
s d. l. träſigere.

rium non venit, cuius pœna ex Conſtantini demum conſtitutione, qui longo interuallo Diocletianum ſecutus eſt, capitalis eſſe cœpit. Itaque nec dubitauit, qui penitus perſpexerit, quin ea verba Triboniani ſint, non Diocletiani. Planè qui ab inſtituta iam accuſationis executione pacto deſiſtunt, ex Turpilliano plecti eos non dubium eſt [t]. Enimuerò in fiſcalibus cauſis, vt pro conuictis habeantur, qui delatorem corruperint [u], nominatim dicitur [x] eſſe conſtitutum. Conſtitutum vero eſt à Seuero, & Anton. Imperatoribus, quorum reſcripto extat [y]. Reliquum eſt, vt quæramus, an ſuperioribus cauſis dati repetitio competat. Repetitioni quidem eius, quod tranſigendi cauſa datum fuerit, regula iuris aduerſatur, quæ in pari cauſa turpitudinis potiorem eum eſſe definit, qui tenet [z]. Quod ſi turpitudo ex eius dumtaxat, qui acceperit, parte verſetur, veluti ſi innocens veritus, ne aduerſarij potentiæ ſuccumberet, quid dederit, repetitionem aditus præſes dabit: quemadmodum a Diocletiano reſcriptum eſt [a]. Sed etſi turpitudo ſubſit, ſi tamen cauta tantum, non etiam numerata pecunia fuerit. aduerſus petentem exceptio competit: aut ſi hoc prætori liqueat, actio denegatur [b]. Secundum hæc ſi quis in adulterio deprehenſus redemerit ſe, condictio quidem quaſi ob turpem cauſam dati ceſſat [c]. Vtriuſq; enim turpitudo verſatur. Ceterum quod datũ eſt, tamquam iuſto metu extortum reſtitui prætor curat [d]. Nam & geſtum eſt malo more, & prætor non reſpicit, an adulter ſit, qui dedit, ſed hoc ſolum quod hic accipit metu mortis illato. Tenetur & hac lege, qui ex adulterio vxoris ſuæ quæſtum fecerit. Nec enim mediocriter delinquit, qui lenocinium in vxore exercet, & ideo adulterorum pœnis ſubiicitur [e]. Quæſtum autem ex adulterio vxoris ſuæ facere intellegitur, qui quid accipit, vt vxor adulteretur meretricio quodam genere: quòd ſi patiatur vxorem delinquere, non ob quæſtum, ſed negligentiã vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem poſitus videtur [f]. Quamquam in lenocinij ſuſpicionem nimia mariti patientia cadat [g]. Hoc autem capite etiam mulier, quæ ex adulterio viri quæſtum fecerit, tenetur [h].

t l. pen. C. ad Turp. l. ſeruus. in fi. C de adulter.

u l 4. D. de iur. fiſc.

x l. eius. D. de iur. fiſ.

y l. Imperatores. D. eo. tit.

z l. in pari. D. de reg. iur.

a l ſeruus. C. de adulter.

b l. 9. C. de contrah. ſtip. l. mercalem. C. de condict. ob turp. cauſ.

c l. 4. D de condictio. ob turp. cauſ.

d l. 7. §. vlti. & l ſeq D. de eo quod met. cauſa.

e auxilium. in fi. D de minorib.

f l. 29. §. quæſtum. D. de adulter.

g Ouidius 2. Amor. eleg. vlt.

h l. ſi quis adulterium in fi. D. de adulter.

Qui adulterii damnatam ſciens vxorem duxerit, lege Iulia pro adultero punituri. Quod an ad ſtuprũ porrigatur, quæri poteſt: & magis eſt, vt ſtupri quoq; damnata duci non poſſit. Quamobrem qui adulterii ſtupriq; damnatas repudiauerint, cum per legem huiuſmodi vxores habere vetarentur, cauſam diſſidii præſtitiſſe non videbuntur: quinimmo ita ius tractabitur, quaſi culpa mulierũ facto diuortio [k]. Nec damnatas modo, ſed nec reas quidem factas ante damnationem viuente marito vxores duci poſſe obtinuit [l]. Quod ſic accipiendum eſt, ſi inter reas recepta mulier fuerit. Nam ſi ſe adulterii acturum dumtaxat maritus minatus eſſet, nihil impediret, quominus ei, quem maritus ſuſpectum habuiſſet, mulier rectè nuberet [m]. Eodem autẽ modo & maritus adulterii damnatam reámue factam vxorem reducere prohibetur [n]: narratq; Sueton. [o] Domitianum iudicum albo equitem Romanum eraſiſſe ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterii crimẽ intẽderat. Planè ream adulterii, quam vir iure mariti, vel extranei poſtulauerit, non prohibetur [p] poſt abolitionem vxorem denuò ducere. Abolitione enim cauſa criminis extinguitur, noménq; rei eximitur [q]. Itaque perinde atque ſi delata de adulterio mulier non eſſet, poſt abolitionem iure cõtractum matrimonium exiſtimatur. Sed & ſine legis Iuliæ metu reuocare vxorem in matrimonium maritus poteſt [r], ſi nihil amplius, quàm libellos accuſationis attulerit. Is enim in legem tantùm committit, qui publicè de adulterio damnatam, vel inter reas iam receptam reducit. Rea autem ſolius libelli oblatione non fit. Enimuerò cùm Mæuius quidam in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxiſſe vxorem proponeretur, Papinian. tale matrimonium non ſtare reſpondit [s]. Ceterùm damnatas duci lex prohibet: in concubinatu verò haberi ſine legis offenſa, & ſine ſtupri crimine poſſunt [t]. Sic & in ea prouincia, in qua quis adminiſtrat, vxorem ducere non poteſt, concubinam habere poteſt [u]. Item de damnatis lex loquitur: ſed & in adulterio deprehenſas ab ingenuis duci lex Iulia de maritãdis ordinibus prohibet [x]. Poſtremò hac lege hi demum tenentur, qui damnatas adulterii ducunt. Ex alia cauſa lege hac condemnatas puta, quia domum ſtupri facien-

i l. 29. §. 1. D. de adult. l. 9. C. eo. l. auxilium. D. de minorib.

k l. miles. §. vlt. D. de adulter.

l l. reas. D. de ritu nupt.

m l. quaſitum D. de adult.

n l. 9. C. eo. ti.

o In Domitia. cap. 8.

p l. 34. §. 1. D. de ritu nupt.

q l. ſi interueniente. D. ad Turpil.

r l. 17. C. de adulter.

s l. Claudius. D. de his quæ vt indign.

t l. 1. §. qui autem D. de concubin.

u l. vlt. D. de concubin.

x l. palam §. vlt. D. de ritu nupt.

di cauſa præbuerint: qui ducunt, lege non plectuntur y.

y l. 29. §. quod ait lex. D. de adulter.

QVI DEPREHENSVM.

Maritum lex Iulia coercet, qui deprehenſam in adulterio vxorem retinuit, adulterumq; dimiſit z. Hoc enim lenocinij loco habet, eadémq; qua & adulterium, pœna perſequitur b. Et hoc Paulus lib. ſecundo ſententiarum in hæc verba ſcribit c: *Eum qui deprehenſam in adulterio vxorem non ſtatim dimiſit, reum lenocinij poſtulari placuit.* Tantam enim mariti lenitatem, qui vxori matrimonium violanti non iraſcature, adulterumq; in ipſa turpitudine deprehenſum non coerceat, non eſſe ferendam lex exiſtimans, in lenocinij crimine iure optimo ponit. quandoquidem aut lenonem eſſe, aut plane ferreum neceſſe eſt, cui ſcienti prudentiq; ſine dolore tanta iniuria infertur. Atque ita Claudium Gorgum clariſſimum virum, cum deprehenſam in adulterio vxorem retinuiſſe detectus eſſet, ſine acuſatore lenocinio damnatum Vlpian. refert d. Nec vero reprehenſione caruiſſe illam tribuni militum patientiam Plinius e ait, qui poſt delatum adulterum vxorem retinuerat, quaſi contentus æmulum remouiſſe. Sed enim lenocinij crimen hi demum contrahunt, qui deprehenſam in adulterio vxorem retinuerunt, etiam qui ſuſpectam, neque tamen deprehenſam, vel conuictam habuerunt f. Etenim ne aliqua incredibilitatis excuſatione maritus defẽdi poſſet, in ipſa turpitudine deprehenſum ab eo eſſe adulterum lex deſiderat, vt ſic excuſare ignorantiam ſuam non poſſit, vel prætextu incredibilitatis patientiam adumbrare g. Et hoc quoq; à rege Rogerio in Neapolitanis legibus ita conſtituitur h. Poteſt autem de Solonis legibus hoc caput tranſlatum videri. Nam illic ita erat i, ἐπειδὰν δὲ ἕλοι τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. Enimuerò hæc lenocinij ex lege Iulia deſcendens accuſatio, æquè atque adulterij publica eſt k. Omnino enim lenocinijs eadem, quæ adulterijs, pœna ſtatuitur l. Sed ex his demum cauſis, quæ nominatim verbis legis comprehenduntur: videlicet, ſi maritus adulterum dimiſerit, vxoremq; deprehenſam in adulterio retinuerit, pretiúmue ob id acceperit, vt eam adulterari pateretur. Quibus veluti cancellis lenocinij cri-

z l. 2. D. de adulter.
a l. 2. C. eod.
b l. anxilium. §. fi. D. de minor. l. 3. § ſed etſi. de accuſ.
c Tit. 27.
d l. 2. §. vnde. D. de adul.
e Lib. 6. Epiſtol. ad Cornelia.
f l. 2. C. de adulter.
g l. 29. D. de adulter.
h Lib. 3. tit. 76.
i Demoſth. κατὰ Νεαίρ.
k l. conſtante. D. de adulter.
l l. 2. § ſed & his. D. de accuſatio.

men lex circumſcripſit. Hoc meo iudicio Vlpianus ſcitè his verbis. *Leno-inij crimen lege Iulia præſcriptum eſt.* Lege enim definitæ ſunt lenociniorum cauſæ, extra quas inſtitui cõtra maritum ex lege accuſatio non poteſt. Itaque ſi quis vxorē ſuam [n] (ponam enim eiuſdem auctoris verba) non ob quæſtum, ſed neglegentiam, vel culpam vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem delinquere patiatur, matrimoniumq; ſuum contemnat, contaminationique non indignetur, ei pœna adulterii non infligitur. Quæſtionis eſt, an ab accuſato adulterii poſſit marito lenocinii crimen referri. Placuit autem extraneum, poſtquam delatus eſt, lenocinium obiicientem non audiri, vxorem audiri [o], ſi eam maritus reā adulterii faciat, non quidem vt lenocinii allegatione ab accuſatione maritum repellat, criménue ſuum releuet. Conſtitutionibus enim obſeruatur, vt non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur [p]. Lenocinium igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat. Vnde poterit & is, qui de adulterio cognoſcit, in maritum ob lenocinium ſtatuere, & vel ſine accuſatore, detectum lenocinium vindicare [q]. Hoc amplius & adulterii crimē ab vxore accuſata viro obiici poterit, quamquam ei viri accuſandi ex lege poteſtas non ſit. Quod præter interpretum opinionem perſpicue tamen Papinianus demonſtrat, cum ait [r]: *Iudex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudicè viuens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat, quæ res poteſt & virum damnare, non rem ob compenſationem mutui criminis inter vtrosque communicare.* Hoc verò ex Imperatoris Antonini reſcripto ſumptum eſt, cuius particulam Beatus Auguſtinus lib. ſecundo de Adulteri. coniug. ad Pollentium, ex Codice Gregoriano refert in hęc verba: *Sanè meæ literæ nulla ex parte cauſæ præiudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit, vt matrimonium ſolueretur, & ſecundum legem Iuliam vxor tua Euplaſia nuberet, propter reſcriptum meum adulterii damnata erit: ſin conſtet eſſe commiſſum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an cum tu Publicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti. Periniquum enim mihi videtur eſſe, vt pudicitiam ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet: quæ res poteſt & virum damnare, non ob cõ-*

[m] l. 2. §. lenocinii. D. de adulter.

[n] d. §. lenocinii. cũ l. mariti. §. iudex quæſtion. D. eod. tit.

[o] l. 2. §. qui hoc dicit. D. d. adulter.

[p] l. 5. D. de publ. iudic.

[q] l. 2. §. vnde. D. de adulter.

[r] l. 13. §. iudex. D. eod.

penſationem mutui criminis, rem inter vtrumque componere, vel cauſam facti tollere. Quæ conſtitutio ſummam æquitatem religionemque habet, maritiſque idem quod Lactantius præſcribit[s], exemplo continentiæ docendas eſſe vxores vt ſe caſtè gerant. Iniquum eſt enim, vt id exigas quod ipſe præſtare non poſſis. Nam vt idem author alias poſt Quintilianum [t]ſcribit, vxor eius, qui circa corrumpendas alienas vxores occupatur, ex eo irritata, aut imitari ſe putat, aut vindicare. Atque hac excuſatione adulterii crimen Clytæmneſtra apud Euripidem deprecatur:

Ὅταν δ' ὑπόντος τοῦδ' ἁμαρτάνῃ πόσις
Τ' ἄνδον παρώσας λέκτρα, μιμεῖσθαι θέλει.
Γύνη τὸν ἄνδρα χ' ἄτερον κτᾶσθαι φίλον.

Hinc & Seneca ad Lucilium [u]. Improbus eſt, qui ab vxore pudicitiam exigit ipſe alienarum corruptor vxorum. Æquum igitur eſt in adulterii quæſtione mariti vitam in diſquiſitionem vocari, cuius vitio luxuriaque accenſa vxor, iniuriam ſe non tam facere, quàm referre exiſtimet. Verumtamen ex eo Antonini reſcripto, non bene meo quidem iudicio B. Auguſtinus elicit, maritum vxorem de adulterii crimine accuſare non ſini, cui moribus ſuis caſtitatis exemplum non præbuerit. Neque enim lenocinii, vel incontinentiæ crimen maritum accuſatione ſubmouet, cùm ex hac cauſa cōpēſatio nō admittatur, vt & ipſa reſcripti verba probant. Quamquam contradicere Scæuola [x] videatur, cuius verba hæc ſunt: *Cùm mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Cur enim improbet maritus mores quos ipſe aut ātè corrupit, aut poſteà probauit? Si tamē ex mente legis ſumit quis vt nec accuſare poſſit qui lenocinium vxori præbuerit, videndus eſt.* In cuius nodi diſſolutione valde Accurſius cū ſuis impeditus eſt, & excogitat inanes quaſdam differentias, quaſi in ſpecie à Scæuola propoſita lenocinium ab eo, qui iam inter reos receptus eſſet, allegetur. Qua de re mirum in tota lege ſilentium. Tum verò de muliere loquitur, quæ etiam inter reas recepta, adulterii crimen referre poteſt [y]. Quamobrem ſemper probaui opinionem exiſtimantium de accuſatione morum, quæ inter coniuges ſoluto matrimonio inſtituebatur [z] Scæuolæ reſponſum accipiendum eſſe: cu-

[s] Lib. 6.
[t] In Declamatio.
[u] Epiſt. 94.
[x] l. cum mulier. D. ſoluto matrim.
[y] l. 2. §. 1. D. de adulter.
[z] l. 5. D. de pact. dotalib.

ius iudicii hic exitus erat, vt alterutrius culpa diuortium factum pronuntiaretur[a]. Plurimum enim ad dotis repetitionem intererat, bonâne gratia, an alterius culpa matrimonium diſſolutum eſſet, idque & in rei vxoriæ actione in quæſtionem vocari ſolitum Quintilian. ipſe prodidit[b], propterea quòd illo caſu ſuum vtrique coniugum ſaluum, atque imminutum ius manebat[c]. Hoc vero maritus quidem, qui propter grauiores ſuos mores diſſidii cauſam præſtitiſſet, præſentem, atque integram dotem reddere cogebatur[d], quæ alioquin in diem tantum reddi debuiſſet. Mulier autem, cuius culpa diuortium fieret, dotis parte multabatur. Morum enim eius nomine, vt à Paulo[e] & Vlpia.[f] in Inſtitutionibus ſcriptum eſt, grauiorum ſextã in ſingulos liberos dotis partem maritus retinebat: leuiorum autẽ, octauam. Grauiores mores adulteria tãtum erãt, leuiores omnes reliqui. Eæq; ſunt retentiones, quas ex dote olim ob mores factas Iuſtinianus indicat[g]. Ex quo ſequitur iure antiquo mulierem, cuius culpa matrimonium ſolutum eſſet, integrę dotis damnum non ſubiiſſe. Ceterùm Theodoſii cõſtitutione[h] quæ iuri antiquo in hac parte, quantum exiſtimo, derogat[i], mulier quæ culpas eadem lege definitas, quibus & alias tres prætereaIuſtinia. adiunxit[i], contraxerit, totius dotis, donationisq; propter nuptias amiſſione punitur: aut (quod eſt a Iuſtinian. additum[k]) ſi ſine dote ducta ſit, quartæ partis bonorum damnum ſuſtinet. Vnde fit, vt eos prudentum Imperatorumq; qui Theodoſium præceſſerunt, locos, quibus culpa mulieris ſoluto matrimonio dotem apud virum remanere definitum eſt,[l] auſim dicere à Triboniano violatos eſſe, vt cum nouiſſimis conſtitutionibus congruerent. Nam illo caſu certiſſimum eſt iure antiquo dotis tantum partem mulieri periiſſe. Quod etiam, ſi mulier adulterata fuiſſet, ſeruabatur: ex ea enim cauſa eas, quas mox dixinus partes, maritus ex dote retinebat, vel iudicio de moribus inſtituto auferebat, niſi ſi ipſe quoque maritus impudice viuens exemplo ſuo ad peccandum mulierem induxiſſet, vel eam ob quæſtum adulterari paſſus eſſet. Tunc enim mores accuſare volens non audiebatur, quos vel iam antè corrupiſſet, vel poſtea probaſſet. Idq; ex mẽte legis ſumi Scæuola ait, quod & Papinianus

a l. viro. D. ſolut. matr.
b Lib. 7. ca. 4.
c l. vxores. in fin. D. de diuort.
d Cic. in Topic. Vlpia. in Inſtitut. tit. de dotib.
e Boëthius in Top. Cic.
f In Inſtit. ti. de dotib.
g l. vn. § tacea. C. de rei vx. actio
h l. conſenſu C. de repud.
i l. vlt. C. de repud. Nou. de nupt.
k In d. l. vlt.
l l. 19. D. ſol. mat. l. mulier. § ſocer. D. de adulter. l. 24. C. de iur. dot.

his verbis ſignificat [m]: *Viro atque uxore mores inuicem accuſantibus cauſam diuortii vtrumque dediſſe pronuntiatum eſt. Id ita accipi debet, vt eâ lege, quã ambo contempſerunt, neuter vindicetur. Paria enim delicta mutua pẽſatione diſſoluuntur.* Multum ergo, vt hunc locum concludam, ab adulterii accuſatione morum accuſatio diſtat. Alterum enim publicum, alterum priuatum iudicium eſt: alterum, ſi à marito inſtituatur, lenocinii allegatione quaſi compẽſatione mutui criminis excluditur, alterum non itẽ. De moribus autẽ actio, accuſatio appellatur [n]: & ideo nemini mirum videri debet, quòd Scæuola accuſandi verbo vtitur. Quinetiam heredi olim ea actio non dabatur [o]: deniq; & à Valentiniano in criminalibus actionibus numeratur [p]. Abolita verò, & ſublata eſt à Iuſtiniano [q].

m In l. viro. D. ſol. matr.

n In d. l. viro ol. res iudicata §. vlt. D. ſol. mat. Cod. Theod. lib. 3. tit 12.

o l. 1. vict. ciceram age poſ. Cod. Theod.

p l. vlti. C. de repud.

q l. vn. §. taceat D. de rei vx. act.

MVLIERI ACCVSANDÆ.

Sex menſium tempus ad accuſandam mulierem lex conſtituit [r], ex quibus duo marito patriq; iure priuilegiario dantur, intra quos nulli alii accuſandi facultas eſt [s], dum illorũ voluntas expectatur. Extraneis verò quattuor menſes poſt patrem & maritum dantur & ipſis vtiles [t], atque ita ſex menſes complentur. Nam ſexaginta dies, quos marito atque patri lex præſtituit, duos menſes efficiunt. quamquam vbi lex duorum menſium facit mentionem, etiam qui ſexageſimo & primo die venerit, audiatur [u]. Horum verò ſex menſium ea fit ſeparatio [x], vt in nupta quidem ex die diuortii ſex mẽſes computentur, in vidua ex die commiſſi criminis. Poſt hoc verò tempus qui accuſationem inferunt, præſcriptione ſummouentur [y].

r l. 2 §. præterea. D. de adulter.

s l. 14. §. pen. D. de adulter.

t l. 4. §. extraneis. D. de adulter.

u l. vbi lex. D. de reg. iur.

x l. 29. §. ſex menſium. D. de adult.

y l. 1. § accuſationem D. ad Turpillia.

ADVLTERVM ADVLTERAMVE.

Adulteri intra quinquennium quod continuum numeratur, accuſari etiam defuncta muliere poſſunt [z], poſt quinquennium nõ poſſunt, eaq; præſcriptio illis lege competit [a]. Hoc verò quinquennium ex die commiſſi criminis computatur, & ipſi quãdoque mulieri vtile eſt. Nam ſi ex die diuortii ſexaginta tantum dies interceſſerint, ex commiſſi verò criminis die quinquennium præterierit, mulier accuſari non poterit: quoniam continui quinquennii lapſu crimen ſopitum eſt

z l miles §. adulterii. D. de adulter.

a l. 1 §. accuſationem D. ad Turpil. l. 5. C de adulter.

tum eſt [b]. Non tãtùm autem adulterio, ſed & ceteris criminibus, quæ pro adulterio lex vindicat, quinquennium præſtitutum eſt, vt ſiue ſtuprum obiiciatur, ſiue lenocinium, ſiue domus præbita arguatur, quinquennium obſeruetur [c]. Ceterùm qui per vim ſtuprum intulerint, ſine præfinitione temporis accuſari poſſunt, cum raptus crimen legis Iuliæ de adulteriis poteſtatem excedat, & ad legem Iuliam de vi pertineat [d]. Præſcriptione quoque quinque annorum crimen inceſti adulterio coniunctum non excluditur [e]. Inceſtus enim hac lege non coërcetur [f]. Sed nec ſuppoſiti partus accuſatio quinquennii præſcriptione repellitur [g]. Relinquitur igitur ſolis adulteriis, & ſtupris ſine vi admiſſis, lenociniisque, quæ lege coercentur, quinquennii ſpatium computari. Cetera ferè omnia crimina, quæ lege Iulia non apprehenduntur, viginti annorum exceptione excluduntur [h]. Quinquennium autem ex eo die accipiendum eſt, quo quid admiſſum eſſe dicitur, & ad eum diem quo quis poſtulatur, non ad eum diem, quo iudicium de adulteriis exercetur [i]. Et quamquam continuò quinquennium numeretur, ſi tamen propter mulierem, quæ prior rea facta fuerit, adulter eodem tempore reus fieri non potuerit, & diu tracta lite quinquennium tranſierit, vel is qui intra quinquennium accuſationem intulerat, reum non peregerit, vel præuaricatus ſit, & alius eundem repetere velit, computationi quinquennii eximetur id tempus quod per poſtulationem præcedentem conſumptum eſt [k]. Ex his definire poſſumus preſcriptiones ex lege Iulia deſcendentes. Quarum vna quinquennii eſt, altera ſex menſium [l], qua feminæ adulteræ accuſatio excluditur [m]. Altera eſt, qua vtitur mulier nupta, vt ab adultero prius, quàm à ſe incipiatur. Eſt & illa quæ accuſant ideo repellit, quòd minor viginti quinque annis ſit. Quarum omnium præſcriptionum illud commune eſt, quòd ante tractari debent, quàm inter reos quis recipiatur. Poſteaquàm verò ſemel receptus eſt, amplius obiici non poſſunt [n].

[b] l. 29. §. præterea. D. de adulter.
[c] d l. 29. §. hoc quinquennium.
[d] l. 5. in fi. D. ad leg. Iul. de vi pub. d. l. 29. §. vlti.
[e] l. 39. §. præſcriptione D. de adulter.
[f] l. de inceſtu. D. de quæſtio.
[g] l. 19. in fi. D. de falſ.
[h] l. querellã. C. de falſ.
[i] l. 29. §. quinquennium D. de adult.
[k] l. quinquennium. D. de adulter.
[l] l. 4. C. de adulter.
[m] l. 1. §. accuſationem. D. ad Turpillia.
[n] l. 15. §. præſcriptiones. D. de adult.

DE SERVIS ANCILLISVE.

Vetus iuris conſtitutio eſt, in caput domini ſeruos tor-

queri, vel de domino ſine quæſtione interrogari nõ poſſe. Id quod propter eam, quam dominis præſtare ſerui debent, reuerentiam, aut etiam propter innatum mancipiorum in dominos odium, quorum dicto periculoſum videbatur domini ſalutem committi, more maiorum comparatum fuit, quemadmodum Cicero pro rege Deiotaro auctor eſt: vel, vt à Cicerone Tacitus [o] diſſentiens ſcribit, Senatuſconſulto vetere conſtitutum. In cauſa tamen fraudati cenſus, læſæque maieſtatis [p], & adulterii [q], propter criminum atrocitatem ab ac regula receſſum fuit. Quibus & inceſtus crimen antiquitus annumerabatur. Sic enim Cicero pro Milone: De ſeruis in dominum nulla quæſtio eſt, niſi de inceſtu, vt fuit in Clodium. Idem in Partitionib. De noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis, qui cum de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen & coniuratione, quæ facta me Conſule eſt, quærendum putauerunt. Itaque cùm M. Antonius clariſſimus ſui temporis orator inceſti reus ageretur, in eo iudicio ſeruum eius in quæſtionem poſtulatum eſſe legimus [r]. Hinc etiam inceſtus accuſatam Minutiam Veſtalem à pontificibus iuſſam in poteſtate familiam habere Liuius refert: quòd in hac cauſa aduerſus eam quæſtio de familia haberi poterat. Verumenimuerò poſt legem Iuliam, quæ in adulterii cauſa ſeruorũ aduerſus dominos quæſtionem introduxit, factum eſt neſcio quo modo, vt inceſtus crimen, quod ea lege comprehenſum non erat, ex ea quoque legis ſeueritate euolaret. Vnde Vlpianus [s]: In inceſto, vt Papinianus reſpõdit, & eſt reſcriptum, ſeruorum tormenta ceſſant, quia & lex Iulia ceſſat. Non aliter igitur hodie in dominorum perſonã in inceſtu ſerui torquentur, quàm ſi adulterium inceſtui adiunctum ſit [t]. Sed nec in quæſtione raptus ſtupriue de ſeruis aduerſus dominum quæritur [u]. Quinetiam Aurelianum cõſtituiſſe Trebellius Pollio ſcribit, vt ne in maieſtatis quidem cauſa ſerui in dominorum caput torquerentur. Igitur tum demum ſeruorum tormẽta locum habent, cùm in nuptam adulterium commiſſum eſſe dicitur. Et ita cùm Octauiæ Neronis vxori fictum adulterii cum ſeruo commiſſi crimẽ obiiceretur, actas ob id de ancillis eius quæſtiones, & vi tormen-

[o] lib. 2.
[p] l. 1. C. de quæſt.
[q] l. 17. C. de adult. 17. D. de quæſtion.
[r] Valerius libro 6. cap. 8.
[s] l. in inceſto. D. de quæſtio.
[t] l. ſi quis viduam. D. de quæſt.
[u] l. extrario. D. de quæſt.

torum victas quaſdam, vt falſa annuerent, Tacitus lib. xiiii. memorat. Torquentur verò primùm ſerui eius, qui quæ ue adulterii poſtulatur, ſiue proprietatem, ſiue nudum fructum habeant [x]. Nam & fructuarii ſerui in ſeruitute fuiſſe videntur, nec tam proprietatis cauſa ad quæſtionem, quàm miniſterii pertinet. Ergo & ſi bona fide reo ſeruus alienus ſeruiat, interrogari eum poſſe per quæſtionem admittimus. Torquetur & is, cui fidei commiſſaria libertas debetur [y], quod aliàs non temerè fieri ſolet: & ita demum, ſi aliorum quæſtionibus oneretur [z]. Itaque etſi dominus à familia occiſus eſſe dicatur, ad eius, cui fidei commiſſaria libertas relicta eſt, tormenta non eſſe feſtinandum D. Pius reſcripſit [a]. Planè ſtatuliberos quæſtioni poſtulari poſſe Paulus lib. II. de Adulteriis ſcribit [b]. Hi enim, quo ad ſtatutæ libertatis caſus eueniat, tantiſper heredis ſunt [c], ac vel venundari ex ſententia legis duodecim Tabularum [d], ſed tamen retenta, poſſunt. Diuus etiam Hadrianus Cornelio Latiniano reſcripſit [e] & de exteris ſeruis quæſtionem haberi. Serui quoque parentum eius, de quo vel de qua quæritur, qui eis in vſum conceſſi fuerint, quæſtioni ex lege poſtulari poſſunt [f], ſed iuſtorum demum parentum [g], non naturalium. Nec tantùm marito, vel patre, ſed & extraneo accuſante, in caput dominorum ſerui torquentur [h]. Dat verò lex [i] patronis ſeruos, qui quæſtioni ſubduntur, interrogandi poteſtatem. Quod ex more antiquo profectum Budæus annotat, quo à patronis cauſarum teſtes palam interrogari ſolebant, vt Quintilianus indicat [k]. Quæſtionis verò modum iudices arbitrari oportere Vlpian. lib. iii. de adulteriis ſcribit [l], atque ita quæſtionem habere, vt ſeruus ſaluus ſit vel innocentiæ, vel ſupplicio.

x l. ſi poſtulauerit §. de eo. D. de adulter.
y l. ſi poſtulauerit §. de eo D. de adult.
z l. 19. D. de quæſt.
a l. 1 §. ſed in eo D. ad Silania.
b l. 8. in fi. D e quæſt.
c l. 9. D. de ſtatu lib.
d l. 25. D. de ſtatu lib.
e l. 27. §. haberi D. de adulter.
f d. l. 27. §. haberi. & l. 12. §. pat. r. D qui & à qui.
g l. 3. C. de adulter.
h l. 17. D. de quæſt.
i l. 27. §. quæſtioni D. de adulter.
k Lib. 5. ca. 7.
l l. 7. D. de quæſtio.

SERVVS DE QVO QVÆSTIO.

Iubet lex eos ſeruos, qui quæſtioni ſuppoſiti fuerint, publicari [m], ne in poteſtatem dominorum reuertantur. Ratio autem publicandorum ſeruorum ea eſt, vt ſine vllo metu verum dicant, & ne dum timent ſe in reorum poteſtatem re-

m l. 27. §. inbet. D. de adulter.

greſſuros, obdurent in quæſtione. Non tamen antè quàm quæſtio habita fuerit, publicantur. ſed ſiue accuſauerint, ſiue negauerint, nihilominus publicantur, ne ſpe meriti collocãdi in eum, cuius in poteſtatem reuerſuri ſunt, in mendacio perſeuerent. Ex quo intellegimus eos dumtaxat ſeruos publicari, quorum dominium vel ad reum vel ad accuſatorem pertineat. Nam alienos ſeruos cur publicemus, cauſa nulla eſt [n]. Hanc autem ſeruorum publicationem, vt ne maiorum inſtituta offenderentur, quibus torquere in caput dominorum ſerui vetantur remedii loco ab Auguſto inuentam Dion ita ſcribit [o]: ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν δοῦλον κατὰ τοῦ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν ὁσάκις ἂν χρεία τούτου τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν, ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται. Idemque poſtea quotiens aduerſus dominos ſerui torquendi erant, vſurpatum Corn. Tacit. indicat. Et quia, inquit [p], vetere Senatuſconſulto quæſtio in caput domini prohibebatur, callidus, & noui iuris repertor Tiberius, mancipari ſingulos actori publico iubet, ſcilicet vt in alienum ex ſeruis ſaluo Senatuſconſulto quæreretur. Idem aliàs [q]: Seruos quoque Syllani, vt tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. Quamquam nec hoc poſterioribus tẽporibus placuiſſe videatur, cum Iureconſulti definiant [r] ſeruum in caput eius domini, à quo alienatus eſt, cuiq; aliquãdo ſeruiuit, in memoriam prioris domini interrogari non poſſe. Illud etiam lege comprehenſum erat [s], vt abſoluto reo, ſeruorum æſtimatione inita, ſiue mortui eſſent, quãtæ pecuniæ fuerant ante quæſtionem: ſiue ſalui eſſent, quantæ pecuniæ in his damnum datum fuiſſet, condemnatio fieret. Idcirco caueri de ſeruorum damno ei, ad quem ea res pertinebat, vſitatum erat: idemq; generaliter obſeruatum, quotiẽs alieni ſerui in quæſtionem poſtulabantur, Paul. in lib. Sẽtẽtiar. [t] & Modeſtinus [u] tradunt. Hinc & aliàs ſeruum quæſtionis habendæ cauſa æſtimatum datum legimus [x]. Atque huc transferendum eſt illud Papiniani [y], Patre, vel marito de adulterio agente, & poſtulãtibus de ſeruis rei, vt quæſtio habeatur, ſi verè cauſa perorata teſtibus probatis, abſolutio ſecuta fuerit, mancipiorum, quæ mortua ſunt, æſtimatio habetur. Secuta verò damnatione quæ ſuperſunt, publican-

[n] In d. §. iubet.
[o] Lib. 55.
[p] Lib. 2. Annal.
[q] Lib. 3. Annal.
[r] l. 18 §. ſeruus. D. de quæſtio.
[s] l. 27 §. pen. de adulter.
[t] Lib. 5. ſent.
[u] l. certo D. de quæſtio.
[x] l. 8. D. de preſc. verb.
[y] l. patre. D. de quæſtio.

tur. Simplum autem, quod ex hoc capite deſcendit, condictione ex lege petetur[z].

SERVI QVI QVÆSTIONI.

Proſpexit legiſlator, ne mancipia quæſtioni ſubducantur, dum intra ſexageſimum diem ex die diuortij numerandum eos manummitti prohibet[a]. Manumiſſione enim libertatem adepti iam in aliorum caput torqueri non potuiſſent[b]. Ideo & in ceteris cauſis antiquitus cœpta aduerſus aliquem cognitione, ſi qua per ſeruorum quæſtionem veritatis eruendę ſpes erat, ab eo qui quæſtioni præerat, reo imperari ſolitum ex Liuio[c] & Pædiano[d] colligimus, vti ſeruos in poteſtate haberet, ne quis ex his manumiſſione quæſtioni ſubtraheretur. Prohibet verò in vniuerſum lex Iulia in totum manumitti ſeruos, qui quæſtioni poſtulari poſſint. Itaque mulier, quæ diuertit, omnes omnino ſeruos ſuos, etiamſi extra miniſterium eius ſint, nec eos tantùm, quos adulterij tempore in miniſterio habuerit, ſed & quos poſtea comparauerit, alienare manumittereue prohibetur, quia hi quoque quæſtioni ſubiici poſſunt[e]. Sed hoc poſterius, vt durum, à Gratia. & Valent. emendatur[f]. Pater verò, cuius in poteſtate filia fuerit, itemq; mater, ea tantùm mancipia manumittere alienareue prohibentur, quæ in miniſterium vſumq; filiæ ab eis fuerint attributa[g]. Atque hinc exemplum accommodatiſſimum petetur ad illum Scæuolæ locum[h], in quo ita eſt: *Si non lex Aelia Sentia, ſed alia lex vel Senatuſconſultum, aut etiam conſtitutio ſerui libertatem impediat, is neceſſarius fieri non poteſt, etiamſi non ſit ſoluendo teſtator.* Quod præterea etiam ad legem Fauiam referri poteſt, qua ſeruus, qui plagium admiſerat, pro quo pœnam dominus intuliſſet, intra decem annos manumitti prohibebatur[i]. Poteſt & huc referri quod à Marcello ſcriptum eſt[k]: Militem teſtamento ſuo manumittendo nihil efficere in eo, cuius libertas lege Ælia Sentia vel aliqua impeditur. Illud prætermittendum non eſt, ſeruum purè manumiſſum, cuius ſtatus propter adulterij quæſtionem ex hac lege ſuſpenditur, cùm ei libertas propter impedimentum iuris poſt aditam hereditatem non competat, ex eodem teſtamēto neque legata, neque fideicommiſſa purè data ſperare poſ-

z l. 28 D. de adulter.

a l. proſpexit. D. qui & à quib. l. 3. C. de adulter

b l 1. §. ſeruus. l. ſi quis ne. D. de quæſtio.

c Lib. 8.

d Pædia. in Miloniã.

e d. l. proſpexit. §. 1.

f l. in adulterij. C. de adulter.

g d. l. proſpexit. §. pater. & l. ſi poſtulauerit. §. haberi. D. de adulter.

h l. ſi non lex. D de hered. inſtit.

i l. 12. D de manum. l. 12. §. ſi deportatū. D. de ca, to

k l. ſi à milite. §. 1. D. de milit. teſt.

tus habeat, ſeruari in duos menſes familiam præcipit.

ADVLTERII DAMNATO.

Damnatam adulterij mulierem lex Iulia de adulteriis teſtem produci, vel dicere teſtimonium vetabat x. Vnde Paulus lib. II. de adulteriis y, *Ex eo*, ait, *quod prohibet lex Iulia de adulterijs teſtimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres in iudicio teſtimonij dicendi ius habere.* Non tantùm autem mulierem, ſed & adulterij damnatum quemlibet à teſtimonio dicendo lex Iulia repellebat. Itaque ad teſtamentum faciendum adhiberi adulterij damnatus non poterat, nec ſi adhibitus fuiſſet, valebat teſtamentum: adeò vt neque hereditas adiri ex eo, neq; bonorum poſſeſſio peti poſſet. Quemadmodum à Papiniano libro ſingulari de adulteriis ſcriptum erat z. In adulterij porrò cauſa prætorem quoque teſtimonium dare debere Senatus cenſuit a. Apud Papinia. lib. I. de adulteriis agitabatur b, an in hac cauſa teſtimonii dictio eſſet calumniæ cauſa publico iudicio damnatis. Neque enim Remnia lege, quæ de calumniatoribus lata eſt c, nec vlla alia lege teſtimonium perhibere vetantur, ſed quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium: ad quorum officium pertinet, eius quoque teſtimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere. Ceterorum quoque, qui in alijs publicis iudicijs teſtes idonei non ſunt, teſtimonium hic non recipietur.

x l. qui teſtamentū. §. mulier. D. de teſtament
y l. ex eo. D. de teſtib.
z l. 14. D. de teſtib.
a l. 21. D. de teſtib.
b l. 13. D. de teſtib.
c l. 1. §. 1. D. ad Turpil.

DIVORTIA SEPTEM CIVIBVS.

Caput hoc duobus locis probatur: Vnus eſt, ex Vlpian. lib. quadrageſimoſeptimo ad Edictum, in quo ita eſt d: *Item Iulia de adulterijs, niſi certo modo diuortium factum ſit, pro infecto habet.* Alter eſt Pauli ex libro ſecundo de adulteriis, in hæc verba e: *Nullum diuortium ratum eſt, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis præter libertum eius, qui diuortium faciet.* Et hoc quoque Suetonius in Auguſto ſignificat. Cumq; etiam, ait f, immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coartauit, diuortiis modum impoſuit. Ceterùm diuortia ex duodecim tabulis certis pactiſq; verbis fiebant,

d l. vn. in fin. D. vnde vir & vxo.
e l. nullum. D. de diuort.
f Cap. 34.

& certa ſollemnitate. Verba legitima vſitataq; hæc fuiſſe Caius tradit [g], RES TVAS TIBI HABETO, RES TVAS TIBI AGITO. Cic. II. Philipp. Mimam exegit: res ſuas ſibi habere iuſſit ex duodecim tabulis. Martialis lib. IIII. Epigr.

g l. 2. D. de diuort.

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſeris, atque iubes res ſibi habere ſuas.

Fuit autem priſcis temporibus tanta matrimoniorum concordia, vt per annos ferme ſexcentos ab Vrbe condita nulla repudium ſenſiſſe domus dicatur. Quamquam in annorum numero leuiter aliquantulum auctores diſſentiant [h]. Poſteà ita fuêre frequentia diuortia, vt à quibuſdam mulieribus non iam conſulum, ſed maritorum numero annos computari Seneca conqueratur [i]. Hinc & illud Martialis [k]:

h Gell. lib. 4. cap. 30. & lib. 17. cap. 21. & Valer. lib 2. ca. 1. Tertullian. in Apologet.
i Lib. 3. de Benefic cap. 16.
k Lib. 8. Epigram.

Iulia lex populis ex quo Fauſtine relata eſt,
Atque intrare domos iuſſa pudicitia,
Aut minus, aut certè plùs quàm vigeſima lux eſt,
Et nubit decimo iam Theleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt.
Offendor mœcha ſimpliciore minus.

Tertullianus in Apologetico [l]. Repudium verò iam votum eſt, & quaſi matrimonij fructus. Cui malo vt ſubueniret Auguſtus, certam faciendorum diuortiorum formam præſcripſit, extra quam diuortia facta irrita eſſent. Itaq; quod Gaius ſcribit [m]: *Si ex lege repudium miſſum non ſit*, ſic accipiendum eſt ex lege olim xij. Tabul. hodie Iulia. Eodemq; modo interpretandum, quod aliàs [n] legitur, ſi non ſecundum legitimam obſeruationem diuortium factum ſit, donationes poſt tale diuortium factas nullius momenti eſſe, cùm non videatur ſolutum matrimonium. Exigit autem lex ſeptem teſtium numerum, vt aliquo pudore leuitatis tot inſpectantibus teſtibus diuertentes afficiantur. Nec quoſlibet teſtes admittit, ſed ciues Romanos demum, eoſq, puberes. Impuberes ergo repellit, qui & in teſtamentis omnibuſq; quæ per æs & libram fiebant mancipationibus, à teſtimonio arcebantur [o]. Quod autem ait lex, *præter libertum*, id Accurſius malè interpretatur, quaſi vltra ſeptem teſtium numerum liberti præſentia deſideretur:

l Cap. 6.
m l. pen. D. de adult.
n l. ſi non ſecundum. D. de donat. in. vir.
o Inſt. de teſtament. in prin.

ſideretur: cùm ea legis ſententia ſit, vt à ſeptem teſtium numero libertos eius qui diuertet, repelli velit, quaſi non idoneos in hac cauſa futuros teſtes.

DOTALE PRAEDIVM.

Legem Iuliam, quæ De fundo dotali vulgo appellatur [p], partem fuiſſe legis Iulię de adulterijs, Paulus lib. ſecundo sẽtentiarum [q] apertiſſimè indicat. Lege, ait, Iulia de adulterijs cauetur, ne dotale prædium maritus inuita vxore alienet. Idemq; & ex inſcriptionibus legum ſub titulo de fundo dotali poſitarum intelligimus: quæ ferè omnes [r] ex Iureconſultorum de adulteriis libris tranſcriptę ſunt. Dotale autem prędium, vt Vlpianus interpretatur [s], accipere debemus tam vrbanum, quàm ruſticum. Ad omne enim ædificium lex Iulia pertinet. Sed enim dotale id demum eſt, cuius dominium marito quæſitum ſit, vt tunc alienatio eius prohibeatur. Nec intereſt, ipſa mulier dederit, an alius eius nomine. Cùm enim propter vxorem ad maritum fundus perueniat, dotalis eſt [t]. Sed etſi marito debitori fundi id, quod debebat doti mulier promiſerit, dotalis fundus efficietur [u]: ſi modò in mariti dominio is fuerit. Nam ſi alienus ſit, in pendenti erit: & tunc fiet dotalis, cùm ad eum peruenerit [x]. Planè ſi fundum aut decem debenti, id quod debet, doti promiſſum ſit, in arbitrio eius eſt, quod in dote ſit. Hinc conſequens eſt, ſi ei promittatur, qui Cornelianum, aut Sempronianũ fundum debeat, vtrum eorum mallet, eum dotalẽ futurum: & vtrum volet, alienaturum, maritum alterum alienare non poſſe [y]. Si tamen alienatum rurſus redimat, adhuc in eius poteſtate eſt, an eum quẽ retinuiſſet alienari velit, ita ambulatoria erit legis Iuliæ poteſtas: quia & ea dotalis obligationis natura fuit. Quod ſi Stichum aut fundum debet, Sticho mortuo fundus in dotem erit. Sed ſi doti fundus æſtimatus datus ſit, videamus, an is ad legem Iuliam pertineat quaſi dotalis. Et probandum eſt ita demum in eo fundo legem Iuliam locum habere, ſi conuenerit vt electio mulieri ſeruetur: quo caſu Seueri & Antonini reſcriptum procedit [z]. At ſi marito electio data ſit, aut etiam nihil de electione adiectum, contrà erit [a]. Nam cùm vtroque caſu liceat marito, ſi hoc malit, fundi pretium quaſi venditio-

[p] l. 1. D. de fun. dot.
[q] Tit. 22.
[r] l. 2. l. 3. l. 6. l. 12. l. 13. l. 14. D. de fun. dot.
[s] l. 13. D. de fun. dot.
[t] l. 14. §. 1. de fun. dot.
[u] l. 9. D. de fun. dot.
[x] l. 14. §. penult. eo.
[y] l. 9. D. de fun. dot.
[z] l. 1. C. de fun. dot.
[a] l. quod ſi fundus.

ne facta offerre, ſine mulieris iniuria fundus recte alienatur. Fundum planè ſibi legatum, ſi mulier dotis cauſa repudiauerit, vel etiam ſubſtituto viro hereditatem aut legatum omiſerit, dotalis fundus fiet. Dotali quoque ſeruo legatus fūdus, quoniam mulieri adquiritur quaſi dotalis, lege Iulia continetur. Ait lex, *Prædium*. Vnde apparet in rebus tantùm ſoli legem Iuliam locū habere [b]: Mobiles verò res vel ſe mouētes alienari poſſe. Quamobrem & ſerui dotales manumitti à viro conſtante matrimonio poſſunt, ſi is ſoluendo ſit [c]. Prædij appellatione etiam pars continetur [d]: Proinde ſiue totū prędium in dotem ſit datum, ſiue pars prædij, alienari non poterit. Nam & pars fundi rectè fundus appellatur [e], eodemq; modo, quod prętor edixit. Eius rei de qua iuſiurandum delatum erit, ſic accipimus [f], ſiue de tota re, ſiue de parte ſit iuratum.

Sequitur in lege, *Italicum*. Lex enim Iulia ad Italica dumtaxat prædia pertinebat [g], id eſt, quæ in Italico ſolo eſſent. Porrecta verò eſt à Iuſtiniano ad prouincialia prædia. Ex cuius conſtitutionibus eadem prouincialium quæ Italicorum prædiorum cauſa eſt [h]. Itaque quæ in prædiis Italicis dumtaxat antea locum habebat vſucapio, etiam in prouincialibus ex Iuſtiniani cōſtitutione procedit vſucapio, ſublata iam antiqua prędiorum mancipi & nec mancipi differentia [i]. Quod autem de marito hoc capite conſtituitur, etiam ad ſponſum produci [k], & quod de vxore dicitur, ad ſponſam quoque pertinere [l] placuit. Ait lex, *ne alienato*. Alienatio dicitur omnis actus, per quem dominium transfertur [m]. Itaque non tantum diſtrahi dotalis fundus, ſed & donari, & legari, & permutari, & in ſolutum dari prohibetur. His enim omnibus modis dominium tranſit. Ac ne, ſi quidem miles dotalem fundum legauerit, legatum propter legem Iuliam ratum erit [n]. Nam & quæ in militari teſtamento aduerſus leges ſcribuntur, nullam vim habent [o]. Alienatum autem propriè non videtur, quod adhuc in dominio noſtro manet: quamquam venditum rectè dicatur [p]: ſed tamen alienatione prohibita eos quoq; caſus comprehendi intelligimus, quibus vel à dominio ſeparatum ius re aliquod transfertur [q]. Quare nec ſeruitutes dotali prędio imponere [r], nec vſumfructū, vel vſum in alium trāsferre maritus poterit, ſiue ſolus, ſiue proprietati iunctus in do-

b In Inſtitut. quib. alien lic.
c l. ſeruum dotalem. D. de manumiſ.
d l. 3. §. 1. D. de fun. dot.
e l. 34. in fin. de leg. i.
f l. 7. D. de iureiur.
g l. vn. §. & cum lex. C. de rei vx. act.
h §. per traditionē. Inſtit. de rer. diuiſio.
i l. vn. C. de vſucap. transfor. Inſtit. de vſucapion. in prin.
k l. 4. D. de fun. dot.
l l. 5. C. de bo. quæ lib.
m l. 1. C. de fun. dot.
n l. 16. D. de milit. teſt.
o l. 29. §. 1. de milit. teſt.
p l. alienatum D. de verbor. ſignific.
q l. vlti. C. de reb. alien.
r l. 5. D. de fun. dot.

tem vſusfructus datus ſit[s]. Simili modo dicetur nec ius ἐμφυτευτικὸν vel ἐμβατευτικὸν aliena ri poſſe, ſi hoc in dotem datum ſit: quãuis ius prædii potius ſit[t]. Hoc amplius, nec ſeruitutes prædio dotali debitas maritus remittere, vel nõ vtendo amittere poteſt[u]. Alienare enim & is videtur[x], qui non vtendo amiſit ſeruitutem. Cui conſequens eſt: libertatem ſeruitutis vrbano prædio dotali debitæ ex mariti ceſſione patientiáue non competituram, nec per hoc deterior condicio prædij fiat[y]. Quamobrem ſi maritus fundum Titij dotali prędio ſeruientem adquiſierit, eundemq; Titio ſine reſtauratione ſeruitutis reddiderit, quia liber in eum trãſiit confuſa propter mariti adquiſitionem ſeruitute, litis æſtimationem maritus præſtare debebit, cuius facto ſeruitus extincta ſit. Quo caſu ſi is ſoluendo nõ erit, vtilis actio mulieri aduerſus Titiũ ad reſtaurandam ſeruitutem dabitur[z]. Hic quæritur, an diuidere ſibi fundum dotalem cum alio communẽ maritus poſſit: nam diuiſio alienationem habet[a]. Et quidem prouocatum à ſocio marito diuidere poſſe placet, prouocare verò ipſe ad diuiſionem non poteſt[b]. Illo enim caſu neceſſaria alienatio eſt, hoc voluntaria. Atque eodem modo minores xxv. annis, quorum res ſine decreto alienari prohibentur, ad communis prædii diuiſionẽ ſine iudice prouocare non poſſunt, quod alienationis ſpeciem ea prouocatio habet[c]. Quòd ſi ſocius prouocet, ſine decreto diuiſio rectè fiet[d]. Non enim ſponte eorum fit, ſi qua inde contingit alienatio. Secundum hæc ſi fundus communis in dotem datus ſit, & ſocius egerit cum marito communi diuidundo, adiudicatuſq; fundus ſocio fuerit, alienatio tenebit, & in dotem erit pretii quantitas[e]. Sola autem lege Iulia alienatio prohibetur, quæ voluntaria eſt, non quæ cauſam iuris habet neceſſariam. Itaque ſi ob id quod maritus damni infecti non cauebat, miſſus ſit vicinus in prædij dotalis poſſeſſionem: deinde cùm perſeueraret non cauere, iuſſus ſit poſſidere, per longum tempus dominus fiet[f]: quia hæc alienatio non ex voluntate mariti ſit, ſed ex prætoris auctoritate, cuius officium eſt iubere, vt is qui in poſſeſſionem miſſus eſt, longo tempore rem capiat[g]. Quo exemplo & pignori capi iuſſu magiſtratus, & diſtrahi res minorum poſſunt, & in earum poſſeſſionem damni infecti le-

s Arg. l. 3. §. ſed nec vſuſfructus. D. de reb. eo.
t Arg. d. l. 3. §. ſi ius. D. de reb. eo.
u l. 5. D. de fun. dot.
x l. alienationis D. de verbor. ſign.
y l. 6. D. de fun. dot.
z l. 7. D. de fun. dot.
a l. 1. C. com. vtr. iud.
b l. vlt. C. de fun. dot. l. ex caſtrẽſi. D. de caſtr. pecul.
c l. & eleganter. in l. fi. l. & ideo D. de cõdict. furt.
d l. 1. D. de reb. eor. l. inter. C. de prædij. minor.
e l. cũ in fun. do. §. ſi fundus. D. de iur. dot.
f l. 1. de fun. dot.
g l. prætoris. D. de dam. inf.

numiſſione iure ciuili non poteſt. At illo caſu non æquè ab initio vitioſa venditio eſt, quam lex in ſolam mulieris gratiam irritam facit. Itaque quemadmodum aliena re pignori data pignus confirmari receptum eſt, ſi deinde dominus eius rei eſſe cœperit, qui dedit [t], ita & dotalis fundi venditio cōfirmatur, ſi morte mulieris dotem maritus, qui vendidit, lucratus ſit. Quod quando accidat, videndum eſt. Accidere autem interpretes tum putant, cùm pactum de dote morte mulieris lucranda interceſſit. Mihi veriſimile non fit, de hoc caſu Iureconſultos ſenſiſſe, cùm hoc vtique, ſi ita eſſet, prætermitti ab eis ſine ſcelere non potuerit. Exiſtimo ergo in aduenticia dote hoc procedere, quam etiam ſine vlla conuentione penes maritum mortua in matrimonio muliere remanſiſſe conſtat [u], præterquàm ſi is, qui dederat, ſibi eā reddi ſtipulatus fuiſſet. Atque ita, vt ſemel dicam, omnes Pādectarum locos [x] accipiendos cenſeo, quibus defuncta in matrimonio muliere totam dotem mariti lucro cedere ſcriptū eſt. In partem verò dotē tum lucrabatur [y], cum à patre profecta dos ad eum reuertebatur, & liberi ex eo matrimonio ſupererant [z]. Ceterùm inuita vxore fundum dotalem alenari lex prohibet. Conſentiente verò ea, vel quod à marito geſtum ſit, ratum habente, alienatio valet [a]. Tranſit & per vniuerſitatem prædium dotale, eo quo poteſt modo, veluti ad heredem mariti, cum ſua tamen cauſa, vt alienari non poſſit. [b] Sed & vxore herede inſtituta vtiliter à marito fundus dotalis legatur, ſi deductis legatis dotis quantitas in hereditate remaneat. Quòd ſi non tota quantitas ex hereditate refici poſſit, id ex fundo mulier retinebit, quod quantitati dotis deerit [c]. Sed etſi poſt dotale prædium venditum vxori maritus legatum dederit, emptoriſq; fidei commiſerit, vt amplius pretium ei reſtituat. Accepto legato mulier prædii venditionem irritam facere volens, doli exceptione repelletur [d]. Toties autem fundi in dotem dati alienatio impeditur, quotiēs mulieri de dote actio cōpetit, aut omnimodo competitura eſt [e]. Quòd ſi alii dos reſtituenda ſit, lex Iulia ceſſat, quæ ſolis mulieribus proſpicit, vt ne indotatæ ſummo Reipublic. malo maneant [f]. Enimuerò ſi ante reuocatam fundi dotalis alienationem mulier deceſſerit, heredi eius legis auxilium.

t l. rem alienam. D. de pignorat. act.
u Vlpian. in Inſtitut. tit. de dotib.
x l. 5. D. de bon. damnat. l. in eum. cum ll ſeq. D. de religioſ. l. ſi ab hoſtibus. in fi. D. ſolu. mat. l. vlt. D. de leg. nom. cau. l. 27. D. de iur. fiſc. & l. pen. in fi. D. quod falſo tut. & l. cum vir. D. de vſucap. l. pen. D. de fun. dot.
y l. pen. in fi. D. quod falſo tut.
z Vlpian. intit. de dotib.
a l. ſi prædiū. C. de iur. dot.
b l. 1. D. de fun. dot.
c l. 13. § vlti. D. de fun. dot.
d l. cùm pater. §. quidotale. D. de leg. ij.
e l. 3. D. de fun. dot.
f l. 1. D. ſolut. matrim.

præſtatur [g]. Ait lex, *Neue conſentiente ea obligato.* Lex Iulia alienationes rerum dotalium inhibet, quæ inuita muliere fiunt: hypothecas verò earum etiam volente ea [h]. Hoc ideò quia legiſlator faciliùs obligaturas mulieres, quàm alienaturas cogitauit, Qua tamen ex re non minus incommodi plerũq; ad eas, quàm ex alienatione peruenit, cùm ex pignore ad alienationem res perducatur. Iuſtinianus verò facilitati mulierum ſuccurrens, quæ vel fragilitate ſexus, vel mariti amore ductæ, facilè rerũ ſuarum alienationibus conſenſum accommodant, rerum dotalium alienationes, ne conſentiente quidem muliere ea valere patitur [i]. Quas tamen pontifices iureiurando interpoſito firmas manere præcipiunt [k].

Hæc habui, quæ de lege Iulia de Adulteriis dicerem, cuius multo plura fuiſſe capita non ignoro: de ea certè, quæcumque libris noſtris continentur, ea à me in hunc librum ferè omnia coniecta eſſe credo.

g l. 13. §. heredis. D. de fun. dot.

h l. vn. §. & cum lex. C. de rei vx. act. Inſtit. quib. alie. lic.

i d. §. & cũ lex. & §. 1. quibus alien. lic.

k c. cum cõtingat. de iureiur. in Decret. Epiſtol. Greg. ca. licet mulieres. eo. tit. in vi.

FINIS.

B. BRISSONII
DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS,
LIBRI TRES.



PARISIIS,

Apud BARTHOLOMÆVM MACÆVM, in monte D. Hilarij, ſub ſcuto Britanniæ.

M. DCV.

Cum Priuilegio Regis.

V. C. PETRO SEGVIERIO PARISIENS. Senatus Præſide, B. Briſſonius s.

INSTITVENTEM me noſtras de iure ciuili cogitationes mãdare litteris, illa potiſsimum ratio deterrebat, quòd ea iam ſcriptorum mole ius noſtrum oneratum eſt, non tam vt acceſsio quærenda, quàm copia reſecãda ſanis quibuſq; videatur. Verumenimuero cùm eã, quæ ſplendidiſsima ſciẽtia laborat, obſcuritatem ab interpretibus ignoratione docendi inuectam eſſe cogitarẽ, quorũ vitio ita ſunt confuſa perturbataq; omnia, vt innumerabiles propè à iure cognoſcendo difficultate ipſa reuocati, voluntatẽ diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abiiciant, temptandum putaui, num ordine aliquo adhibito, puritati ſuæ Iuriſprudentia reſtitui poſſet. Itaq; adſcribendum aggreſſus diffuſa & diſsipata cuiuſq; quæſtionis præcepta in certa genera cogere, & ad aliquam artem redigere eniſus ſum. Quod noſtrum inſtitutum cùm optimis & rectè ſentientibus viris aperuiſſem, vereor ne me ipſum imprudens perdiderim. Nec enim probarunt illi dumtaxat quod ordiebar, ſed & auctores fuere, vt in communem vtilitatem (ſic enim loquebãtur) ſi non integrum aliquod volumen, at librum vnum aut item alterum foras darem, qui veram iuris ciuilis tractandi rationem patefaceret. A quo etſi animus meus abhorrebat, cùm tamen illi quò recuſabã verecundius, eò vrguerent acrius, nec ſe auctoritatem defugituros pollicerentur, placuit abſciſſa à reliquo corpore ſcriptorum meorum veluti tabella aliqua, quale de toto opere iudicium homines facturi eſſent, expiſcari. Excerpſi igitur tres hoſce De ſolutionibus & liberationibus libros, quibus ea, quæ de tollendis obligationibus via & arte tradi poſſunt, breuiter complexus, quæſtionem quæ & in vſum cotidianum incurrit, & paucisſimis interpretum literis continetur, quàm potui maxima facilitate expoſui. Eos tibi libros, Præſes ampliſſime, vt nuncuparem, perpetuum meum de ſummis tuis virtutibus iudicium fecit: quarũ ego excelſo & illuſtri loco ſitas laudes ſic ſuſpicio, vt neque ſanctius co'am quemquam, neq; maior obſeruantia colendum vllum exiſtimem. Vale. Lutetiæ Pariſ. Non. Februar. 1557.

B. BRIS-

B. BRISSONII
DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS.
LIBER PRIMVS.

MVLTI ſunt ac varii vt contrahendarum, ita & diſtrahendarum obligationum modi: quorum alii ipſo iure liberant, alii per exceptionem. Ipſo iure Solutio liberat & quæ ſolutio liberat & quæ ſolutionis inſtar habent, Acceptilatio, Nouatio, Delegatio, Confuſio, Obſignatio, Compenſatio, Reique debitæ ante moram à debitore factam contingens interitus, & cetera generis eiuſdem. Per exceptionem verò liberamur, pacto, ſententia, tempore, & aliis, quos poſtea tradituri ſumus, modis. De quibus ſingulis accuratius diſpiciamus. Placet autem variè diſperſa ac diſsipata huiuſce quæſtionis præcepta artificiosè digerere, ſummíſque generibus conſtitutis, ad quæ ſingula reuocentur, eum in tota explicatione ordinem tenere, quem omnibus, quæ ratione docentur ac via, ſequendum eſſe optimi docendi magiſtri præcipiunt. Quam rationem ad ius ciuile tractandum ſi maiores noſtri abhibuiſſent, artem aliquam iuris, quæ nunc planè nulla eſt, teneremus: mirabilesq; ſui amores Iuriſprudentia excitaret, à qua tot iam ſeculis propè innumerabiles obſcuritas reiecit. Quæ ne macula diutius in tam præclara ſcientia hęreat, bonis omnibus artibus ſuo nitori reſtitutis, ipſa quoque ab his tenebris, quas ſuperiorum temporum caligo obduxit, in antiquum ſplendorem vindicanda eſt. In omni autem diſputatione ſi per-

ſpicuitas ea quæritur, cui ſtupere omnes par eſt, verborum prima cura eſſe debet. Itaque quando de Solutione priore loco dicere inſtituimus, excutienda paucis verbis ſignificatio eſt.

Solvtionis appellatione omnem liberationem quoquomodo factam contineri Paulus ſcripſit [a]. Quod ſic plerique omnes accipiunt, quaſi eandem cum nummorum ſolutione ceteras liberationes habere poteſtatem ſignificet. Nam & qui acceptilatione [b], delegatione [c], compenſatione [d], confuſione [e], & his ſimilibus modis liberati ſunt [f], velut ſoluiſſe intelleguntur. Mihi propius aſpicienti aliud ſenſiſſe Paulus viſus eſt, nec tam effectum rei, quàm verborum vim poteſtatemq; ſpectaſſe: quæ ſi origini ſuæ reddantur, perſpicuum fiet liberationem & ſolutionem ſolo nominis ſono differre [g], vim vtriuſq; verbi eandem planè eſſe, ad eaq; omnia genera pertinere, quibus obligationis vinculum quoquomodo diſſoluitur. Quod ipſum ſi ſolutionis nomen obligationi applices, planum erit. Quid enim aliud liberatio eſt, quàm obligationis ſolutio? Et hoc nimirum eſt quod Paulus ait [h]: *Magisque ad obligationis ſubſtantiam refertur, quàm ad nummorum ſolutionem.* Quod & Seneca libro ſexto de Beneficiis expreſsit. Quid ni, ait, cùm omnis ſolutio non idem reddat, ſed tantumdē. Nam & pecuniam dicimus reddidiſſe, quamuis numerauimus pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio ſit. Denique & ſolutas per nouationem ſummas Scæuola dixit [i], quæ nouatione abſceſſerant ab obligatione. Verumtamen hoc commune ſolutionis nomen ſuum fecit ac proprium ea liberationis ſpecies, quæ ex nummorum numeratione, vel alia naturali eius, quod debetur, præſtatione contingit, ſolaq; propriè latè patens ſolutionis nomen poſſidet. Nec verò ſolutam pecuniam, aliámue rem, quæ in obligationem venerit, vſitato ſermone dicimus, quæ acceptilatione, nouatione, delegatione deberi deſierit [k]: nec ſoluiſſe eum, qui citra naturalem dationem ſit liberatus: cuius fictam tātum & adumbratam iuris intellectu imaginem ſuperiores ſpecies habent, propter quam ſolutionis poteſtate cenſentur atque adeò imaginariæ ſolutiones appellātur [l]. Iam quod ad

a l. ſolutionis. D. de ſolutio.
b l. ſi ex pluribus. D. de acceptilatio.
c l. qui libertū §. nihil. D. de oper. lib.
d l. 4. D. qui potio. in pign. hab.
e l. ſi debitor. l. vranius. D. de fideiuſſor.
f l. 4. § ſoluiſſe. D. de re iudic. l. obſignatione. C. de ſolutione.
g l. liberationis. D. de verbor. ſign.
h In d. l. ſolutionis. D. de ſolutio.
i In l. liberto. §. Lucius. D. de ann. leg.
k l. ſolutam. D. de ſolutio.
l §. item per acceptilationē Inſt. quib. mod. tol. obl.

ſatisfactionem attinet, quam etiam ſolutionis verbo comprehendi Vlpian. ait[m], latiſsimè quidem eius verbi officium manare. Vt etiam ad nummorum ſolutionem pertineat, palàm eſt. Satisfacere enim dicitur, qui creditoris deſiderium quoquomodo implet, eiq; quò contentus ſit, præſtat [n]. Sed eo verbo ſic ferè noſtri auctores vtuntur, vt à ſolutione ſeiũgant[o], eoq; modos reliquos exaudiri velint, quibus pro eo quod debetur creditori, abſq; naturali numeratione fit ſatis, quacumque tandem via eò perueniatur. Satisfactum enim accipimus, acceptilatione & iureiurando, & nuda cõuétione & fideiuſſore vel expromiſſore dato [p]. Quam differentiam euidenter Marc. explicat [q] his verbis: *Solutam pecuniam intelligimus vtique naturaliter:* id eſt, re ipſa [r], & vt craſſius ac popularius dicam, reali numeratione. Plerumque enim ad factum corporale hoc verbum noſtri præceptores referunt[s]. Sequitur paulò poſt: *Quòd ſi acceptum latum ſit quòd ſtipulationis nomine hypotheca erat obligata, vel ſine ſtipulatione acceptæ, ſolutionis quidem verbum non proficiet, ſed ſatisfactionis ſufficit.* Eſt autem ille locus ex Marcia. ad formulam hypothecariam libro excerptus: ex eaq;, vt facilè ſuſpicari poſſumus, parte ſumptus qua interpretationem eius faciebat, quod vulgo dicitur, pignus, ſiue ſoluta pecunia, ſiue eo nomine ſatisfactum ſit, liberari [t]. In quo enunciato ſoluta pecunia accipitur, quæ creditori numerata eſt. Ceteris modis ſi à pignore receſſum ſit, fideiuſſore puta dato, vel acceptolato, aut nouato eo propter quod hypotheca erat obligata ſolutionis quidẽ nomẽ nõ cõueniet, ſed ſatiſfactionis vel ſatiſdationis. Vſque adeò autem ſolutionis & ſatisfactionis diuerſa cauſa eſt, vt qui ſoluere debet, ſatisfactionem offerens nihil agat[u]: quamquam in quibuſdam cauſis à creditore ſponte admiſſa ſatisfactio[x] ſolutionis loco cedat, eandemque quam illa vtilitatem præſtet. Nam & pignus ſatisfactione præſtita, æquè ac pecunia ſoluta liberatur[y]: venditarumque rerum dominium ex tradi-

m l. ſolutionis. D. de verbor. ſign.
n l. 1. D. qui ſatiſd. cog. l. 5. §. ſatis acceptio D. de verbor. oblig.
o l. item liberatur. D. quib mod. pign. l. ſi rẽ §. omnib. de pign. act. l. 4. §. ait prætor. D. de re iud. l. quod vendidi D. de contrah. empt. ſi ita fuerit §. ſed ſi ita. D. de man teſt. l. ſed & ſi quis §. 1. D. de vſufr.
p l. vt res. D de cõtr. emp. l. ſi rem omnis. de pig. act. l. ſoluitur. in fi. l. ſi de ferente l. ſi cũ colono D. quib mod. pig.
q In l. ſoluta. D. de ſolutio.
r l. ſub condicione D. eo.
s l. ea qua D. de acq. rer. do. l. pen. D. de ſolutio. l. 3. §. aperire. D. de Senatuſc. Silan l. non ſtatim. D. de pecul.

t l. ſi rem §. omnib. de pigno act. l. item liberatur. D. quib. mod. pig. ſol.
u l promiſſor. §. vlt. D. de conſt. pec. l. ſtatulíber. in fin. D. de ſtatulíber. l. quod ſi non ſoluere. de pign. act. Tiraq in lib. de Retract.
x l. item liberatur §. 1. D. quibus mod. pig.
y l. ſolutam. de ſolutio. d. l. ſi rem §. omnis. de pig. act.

tione in emptorem vel pretio ſoluto, vel ſi eo nomine ſatiſfactum ſit, tranſire dicitur[z]: & ex Impp. reſcripto ad honores in Rep. cui ex adminiſtratione debitor conſtitutus eſt, gerendos, qui ſatisfecit, non ſecus ac ſi ſoluiſſet admittitur[a]. Ceterùm pro ſolutione ſatisfactionem accipere inuitus creditor non cogitur [b]: quam ſi volens admiſerit, ſolutionis, quod ad aliquos caſus attinet, ea vim habet. Quod ergo dicitur [c] ſatisfactionem pro ſolutione eſſe, ſolutionisque verbo contineri, ex voluntate creditoris ſatisfactione vltrò contenti, procedit. Sed nimis multa de verbo: rem potius videamus. Tota ſolutionum quæſtio hiſce capitibus continetur, Qui ſoluere poſsint, & quibus ſolui: Quid ſolui debeat, & quo modo: Quis ſolutionis & finis ſit & effectus. Quibus omnes omnino ſolutionum cauſæ explicantur. Eoque magis mihi hic noſter ordo probatur, quòd in omni artium genere is demum ſibi rem eam, qua de agitur, planè perſpectam ac cognitam adfirmare poſſit, qui omnes eius cauſas ſcientia cognitioneque comprehenderit [d]. Optimum autem videtur initium tractationis ab eorum qui ſoluere poſſunt perſonis, facere. Hæc enim eſt in hac quæſtione efficiens cauſa, quam primùm omnium tractari oportere noſtri cenſent [e], quòd & ceteras in actione anteit, quamquam animum inſtituentibus ad deliberandum priore loco ſeſe finis offerre ſoleat.

z §. venditæ. Inſt. de rer. diuiſ. l. vt res. D. de contr. emp.
a l. reſcripto. §. debitores. D. de mun. & honor.
b d. l. quod ſi non ſoluere de pig. act.
c l. ſatisfactio. D. de ſolut. l. ſolutionis. D de verbor. ſign.
d Ariſto initio Phyſic.
e l. ſi quæramus. D. de teſtament.

SOLVERE quilibet rerum ſuarum adminiſtrationem habentes, debitores poſſunt. Nam pupilli, prodigi, furioſi, & id genus homines, quibus rerum adminiſtrandarum ius non competit [f], citra eorum, quorum conſilio reguntur, auctoritatem ſoluentes, accipientis nummos non faciunt [g]. Et deſiderat ea res plerumq; Prætoris interuentum: ſine quo, quod ex bonis ſuis ſtipulanti pupillus ſpoponderit, ſoluere non eſt permiſſum [h]. Aliud enim admittentibus expedita ac facilis pateret ſolutionis obtentu rerum pupillarium alienandarũ via. Quæ quamquam ita ſe habeant, vtilitatis tamen ratione receptum eſt [i], vt conſumpta pecunia, quam ſoluerint, quia eius vindicandę poteſtas iam non eſt, pupillis libratio naſcatur [k]. Tãtiſper certè, dum auelli ei, qui accepit, poteſt, in ſolutum pecunia non cedit. Reliqui omnes, quibus bonorum

f l. 17. §. 1. D. de iureiur.
g l. 14 in fin. D. de ſolutio. §. vlt Inſt. quibus alien. lic.
h l magis puto §. ſi pupillus D. de reb. eor.
i l. Caſsius. D. de ſolutio
k l. nõ oĩs §. vlt D ſi cert. pet. l. 14. ſi. D. de ſolutio.

alienatione non interdicitur, ſoluentes ſe liberant, etiamſi in reatu ſint [l], dum ne maieſtatis, perduellioniſue poſtulentur. Hos enim placuit nihil ex bonis ſuis poſt admiſſum crimen minuere poſſe [m], vt fiſco integrum ius ſuum ſeruetur, qui facilè ementiti æris alieni ſpecie fraudaretur. Idem in iis, qui repetundarum poſtulantur, eadem ratione [n] admittemus. Nec exemplum deeſt. Cæcilio enim Claſſico repetundarum damnato, placuiſſe ſenatui Plinius ſcribit [o], bona quæ habuiſſet ante prouinciam, à reliquis ſeparari: illa filiæ, hæc ſpoliatis relinqui. Additum etiam, vt pecuniæ, quas ſoluerat creditoribus, reuocarentur.

Nec ipſi tantùm vtiliter ſoluunt, qui debent, verumetiam ex eorum mandato facta ab alio ſolutio valet [p]. Quinetiam pro ignorante & inuito ſoluere cuique licet [q]: cùm naturalis ſimul & ciuilis ratio alterius vel abſentis & diſſentientis meliorem nos facere condicionem patiatur [r]. *Solutione*, ait lex [s], *vel iudicium accipiendo & inuiti & ignorantes liberari poſſumus.* Nam qui ſe liti offert, & pro alio litem ſine mandato excipit, inuitum eum ignorantemq; liberat [t]: quandoquidem in ipſum iudicati actio transferatur [u], & velut nouatio fiat [x]. Igitur ignoranti & nolenti liberatio ſolutionis ab alio factæ poteſtate contingit [y], in tantum vt ad repetēdum pignus inde actio ei acquiratur [z]. Quod enim pro regula traditum eſt [a], inuito beneficium non præſtari, hunc ſenſum habet, vt quæ legum beneficio alicui præſtantur, inuito non tribuantur [b]. Soluta vtique pecunia, quæ debebatur, etiam inuito debitore ſolutionis vi iure ipſo obligatio tollitur. Verùm cùm de repetitione ſoluti quæritur, alia eius qui pro inuito ſoluit, cauſa eſt, longe alia eius, qui pro ignorante. Illi in totum repetitio denegatur [c]. Huic, ſi vtiliter & è re debitoris ſoluit, parata negotiorum geſtorum actio eſt [d], qua quod ſibi ex ea cauſa abſit, conſequatur. Perſpicuum enim eſt in ſoluendo eum debitoris negotium geſſiſſe, quem à creditore ſuo liberauit, quo ad ſolutionem vrgeri potuiſſet. Enimuerò qui pro aliis ſponte ſua vel etiam coacti ſoluunt, iure deſiderant ſibi aduerſus eos à creditore mandari actiones [e]. Idq; per doli ex-

l l. ſed nec. D. de ſolutio.
m l. ex iudiciorum. D. de accuſ. l. quæſitum. D. qui & à quib. l. donationes. §. vlt. D. de donat. l. vlt. C. ad leg. Iul. maieſt.
n d. l. ex iudiciorum.
o Lib. 3. epiſt. ad Minutia.
p l. quis mandat. D. de ſolutio.
q l. 53. D. eo.
r l. ſoluendo. D. de negot. geſt.
s l. ſolutione. D. de ſolutio.
t l. ſi pro patre. D. de in rem verſ.
u l. is qui ſo. D. de rei vindi. l. 15. §. non ſolū. D. de pet. her. l. Plautius. D. de procur. l. 4. D. de re iudic.
x l. delegare D. de nouatio.
y l. 23. D. de ſolutio.
z l. ſi pro me. D. de pig. act.
a l. inuito. & l. inuitus in fi. D. de reg. iur.
b l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact. l. pactū. D. eo.
c l. vlt. C. de neg. geſt. l. qui fide D. mand.
d l. cū pecuniā & l. vlt. D. de neg. geſt.

l. mulier. D. qui potior. in pign. l. ſi fideiuſſores, in fin. D. de fideiuſſorib.

ceptionem[f], antequam ſoluerint, vel in ipſa ſolutione facienda[g] conſequentur. Quod tamen etſi ſuo tempore non poſtulauerint, æquitati conſentaneum erit, magiſtratus eis iuriſdictione ſubueniri[h]. Actione certè nulla efficere poſſunt, vt ſibi aduerſus iam liberatum actio delegetur[i]. aliter atque ſi in hoc ſoluerint, vt ſibi aduerſus debitorem numerata pecunia præſtarentur actiones. Qua in ſpecie & poſt acceptam pecuniam, ſuæ creditori tàm in perſonam, quam hypothecariæ[l] ſaluæ manent actiones, propterea quòd pro pretio magis mandandarum actionum, quàm obligationis diſſoluendæ gratia pecunia ſoluta videatur: cùm inter contrahentes hoc actũ ſit, vt creditor accepta pecunia præſtaret actiones[m]: ideoq; quaſi nominis vendendi pretium acceperit, in hoc ipſum teneatur vt præſtet[n]. Sed cùm huiuſmodi conuentio non interceſsit, ſolutione ipſa proculdubiò obligatio perimetur. Et ideo fruſtrà qui ſoluit, ſibi à creditore cedi poſtulabit, quas iam nullas habet, actiones. Quod ita ſe habet, ſi alieno nomine quis & in alienam obligationem ſoluiſſe proponatur. Mandatori enim, qui ſuo nomine & ex ſua obligatione[o] ſoluerit, aduerſus debitorem, quandocumque præſtari poterunt[p] actiones, qui ea ſolutione non ipſo iure liberatur, quamquam exceptione petentem creditorem, ne bis idem conſequatur, ſubmoueat. Eodemq; modo tutori ob id condemnato, quod à debitoribus pupillaribus non exegerat, etiamſi iudicatum fecerit, vtiliter mandabuntur actiones[q], cùm ea ſolutio debitoribus non proſit, quam ſuo nomine tutor propriæq; culpæ cauſa fecit. Quas ſpecies, vt ſuperioribus conciliet, mirum eſt, in quos ſe diſtinctionum laqueos Bartol. induat. Planè ſponte quis alieno creditori offerens quod ei debetur, cogere eum non poteſt, vt ſibi, quas aduerſus debitorem habet, præſtet actiones[r], cùm inuitus nomen vendere creditor non cogatur[s]: quòd ſi vendiderit (vendere autem vel inuito ac repugnante debitore poteſt[t]) cedendarum actionum neceſsitate adſtringetur[u]. Atque hæc de mandato actionum, quantum quoq; modo res propoſita poſtulabat, breuiter dicta ſint. Quem locum malè vulgo explicatum, cum in hunc tractatum incurriſſet, tacitum relinquendum non putaui. Sed vt eò reuocetur, vnde huc decli-

f l. alterius. in fi D. tut. & rat.
g l. cũ alter. D. de fideiuſſ.
h l ſi res obligata. in fi. de leg. lib. 1.
i l. 1. C de contr iud. tut.
k l. Modeſtinus. D. de ſolutio.
l l ſoluitur. §. vlt. D. quib. mod pig.
m l. cũ is qui. D. de fideiuſſ. l. cũ pupillus. D. de tut. & rat diſtr.
n l cum poſſeſſor. D de cenſib.
o l. Papinianus D. mand.
p l ſtichum. §. ſi mãdato. D. de ſolutio.
q d. §. ſi mandato. l. ſi minoris D. de adm. tut.
r l. 5. C. de ſolutio.
s l. inuitũ. C. de cõtr. emp. l. nec emere. C. de iur. delib.
t l. 1. C. de nouatio.
u l. venditor actionis D. de hered. vend.

nauit oratio,ſuperioribus& illud adde,filiofamiliàs obligato vtiliter patrem,quod in peculio eſt, ſoluere:ſcilicet *ſi*, quemadmodum lex ait [x], *ſuo non filij nomine ſoluat*. Nam ſi filij nomine, qui ex quibuſcumque cauſis tamquam paterfamiliàs obligatur [y],ſoluat,niſi ſolidum ſoluere paratus ſit, à creditore iure repelletur: cum ſuo nomine inq; ſuam honorariam obligationem quod in peculio eſt, ſoluens liberetur [z]. Qui reſtituere hereditatem rogatus eſt, ante eam reſtitutam creditoribus hereditarijs rectè ſoluit [a]. Immò verò & ab iis ad ſolutionem compelli poteſt, actiones, quibus hereditario nomine directò tenetur,excipere neceſſe habet, hoc minus ex cauſa fideicommiſſi reſtitutum quod in æs alienum erogauerit [b]. Sed & curator ventri datus, ſi graue ſit debitum, quod pœna creſcat, vel pignoribus pretioſis debeatur, eius ſoluendi poteſtatem habet [c]. Seruus ex peculio ſuo, cuius ei permiſſa adminiſtratio eſt, creditoribus ſuis rectè ſoluit [d]. Dominicis quoque creditoribus actor ſeruus mutuis dandis exigendiſque pecuniis præpoſitus vtiliter ſoluit, ſi aduerſus dominum ex ea cauſa petitio erat [e]. Idem iuris procuratoribus,quibus vel hoc ipſum ſpecialiter mandatum, vt ſoluant, vel totorum bonorum conceſſa adminiſtratio eſt, damus. Nam cùm quis ſuarum rerum procuratorem conſtituit, hoc quoque ei mandare videtur, vt creditoribus ſoluat [f]: qui tamen ea tantùm debita actoris exemplo diſſoluere debet,quæ exactionem habent,non quæ ſolam retentionem. Quæ res facit,vt naturalibus creditoribus non rectè ſoluat, quod veriſimile non ſit hoc dominum mandaturum fuiſſe [g].Id quod ad executores teſtamentorum à Bartolo [h] trahitur : cuius opinio aduerſus contrariam Baldi [i] ſententiam præualuit. Nec huic contrarium eſt quod dominus ſeruo legans quæ debet,quæ natura debet,legare intellegitur [k]:quia cùm inter dominum & ſeruum ſola naturalis conſiſtat obligatio [l], inane ſit futurum legatum,ſi ad ius ciuile debiti nomen referas, quo nos abutentes [m], ſeruis, quibus ciuiliter deberi nihil poteſt,& in quos ciuilis non cadit obligatio [n],& omnibus iis, qui natura dumtaxat tenentur,id tribuimus [o]. Mandato verò debitorum ſoluendorum ea dumtaxat contineri præſum-

x l. ſi ita ſtipulatus ſim. D. de ſolutio.
y l. filiusfa. D.de oblig. & act. l. tam ex contractibus. D.de iudic.
z Facit.l.1.§. vlt. cum l.ſeq. D. de conſti. pec.
a l.ante reſtitutam. D. de ſolutio.
b l.ut tamen. §.qui ex Trebelliano.D.ad SC.Trebell.
c l.5.in fi. D. de vẽt.in poſ.
d l. egiſti. D. de ſolutio.
e l. ſi is cui.§. 1.de ſolutio.
f l. quodlibet. D. de ſolutio.
l.ſed & id quoque.D.de procur.
g Arg.l. qui peculij. D.de pecu.& l.obligatione. D. de pigno.
h In l.ſi legaui.D. de liber.leg.
i In l.id quod C.de epiſc.& cler.
k l. quibus.§. dominus. D. de cõd. & demonſtr.
l l.nec ſeruus. de pecul.l. ſed & ſi pupillus.§. vlt. de inſtito.l. ſi id quod.de cond. indeb.
m l.deberi. de verb.ſign.

n l.in perſonam.l quod ad ius. D.de regul.iur.
o d l.nec ſeruus.l.fideiuſſor § fideiuſſor.D.de fideiuſſor.l. Ariſto.§.ſi quis ſeruo. de donat.

ptum eſt, quorum ſoluendorum neceſſitate adſtringitur, qui ſoluit: cùm & ſi ciuiliter ex vna cauſa, & ex alia naturaliter obligatus indiſtinctè ſolueret, in ciuilem cauſam ſoluiſſe videretur [p]. Porrò qui tutelam negotiáue debitorum creditorúmue ſuorum gerunt, ipſi ſibi ſoluere poſſunt. Et verò debent, vt vſuris debitor releuetur, ſi modò pecuniam habeant, vnde ſoluant [q].

NVNC videamus, quibus ſolui poſſit. Imprimis creditori ipſi etiam criminis reo [r] rectè ſoluitur, niſi is ſceleris conſcientia territus profugerit. Nec enim eis, qui requirendi adnotati ſint, rectè ſolui Vlpian. ſcribit [s]: ne per hoc eorum fuga inſtruatur. Imperator etiam Anto. Pius reſcripſit, ex quo perduellionis crimen quis contraxit, ſolui ei à debitoribus non poſſe [t]: quaſi bonis eius fiſco ex ipſo delicto ſtatim vindicatis. His exceptis, creditoribus quibuſcumque ſoluitur. Et ſi quidem duo ſint in ſolidum rei credendi conſtituti, alterutri ſoluens debitor, tota obligatione liberabitur [u], ſi modò vtiliter ambo ſtipulati ſint. Quòd ſi alter inutiliter, ei malè ſoluetur, cum ex ea ſtipulatione obligatum promiſſorem non habeat [x]: A quo vno nomine ei facta ſolutio conſiſtere poteſt. Nec enim ad ſolutionem eius adiectio proficere poſſit, cui principaliter obligatio quærebatur [y]. Sed & ſi alter ex duobus reis ſtipulandi à debitore petierit, alteri poſtea promiſſor ſoluens non liberabitur [z]: quoniam occupaſſe debitorem præueniſſeq; intellegatur, qui petijt [a], iuſq; correi eo pacto conſumpſiſſe. Quinetiam poſtquam alteri ſoluturum ſe promiſſor conſtituerit, exinde alteri ſoluens, à priore ſe non liberat: quia loco eius, qui exegit, haberi debet is cui conſtituitur [b]. Verum enimuerò quod creditoribus rectè ſolui generaliter ſtatuimus, ſic exaudiri oportet ſi ſuæ mentis, iuſtæq; ætatis ſint. Furioſo enim, prodigo, pupillo ſine tutorũ curatorúmue auctoritate fruſtra ſoluitur [c]: qua non interueniente ita demum rata habentur quæ cum his geſta ſint, ſi inde certa atq; indubitata vtilitatis ſpes proponatur [d]. In iis verò quæ vtilitatis quidem ſpeciem habent, ſic tamen, vt damnum ſequi poſſit, tutorũ auctoritas neceſſaria eſt [e], ſine qua ſupradictis perſonis ſoluentes, meritò non liberantur, propterea quòd etſi eorum interſit pecuniam debitam ſolui, facilitate tamen ætatis

tis

p l. cùm ex pluribus. ÿ. D. de ſolutio.
q l. quotiens. § ſicut. D. ex adm. tut. l. peculium §. 1. D de pecul. l. diuortio. D de neg. geſt. l. ſed nõ dantur. D. de tut. & rat. d. ſtr.
r l. reo. D. de ſolut. l. auferetur §. in reatu. D. de iu. fiſc.
s l. vlt. in fin. D. de requir. re.
t l. vlt. C. ad l. Iul. maieſt.
u l 3. in fi. D. de duob re.
x l. ſi duo rei. D. de verbor. oblig.
y l. cum qui. §. qui ſibi. l. ſi ita ſtipulatus. §. Cryſogonus. de verb.
z l. 2. l. ex duobus. D. de duob. re.
a Arg. l. ſi pluribus D. de legat. i.
b l. idem eſt. ſ l. D. de conſt. pec.
c l. pupillo D. de ſolutio.
d l. contra. D. de pactis. l. is cui. D. de verbor. obli. 1. Inſtit. de auctor. tut.
e l. pupillo. D. de pig. act.

tis mentiſq; imbecillitate perdita vel profuſa pecunia lædi poſſunt. Quod etſi Iureconſultorum teſtimoniis deficeremur, ex Cicero. ſatis intellegeremus. Non, quemadmodum ait [f], quod mulieri debes, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſoluas, ita quod aut pupillo, aut pupillæ debeas, rectè poſſis eodem modo ſoluere. Secundùm quæ ſine curatore petenti pecuniam creditam minori debitor metu in integrum reſtitutionis ſoluere non compellitur, ſed apud ædem ſacram, ne vel obtẽtu ætatis ſolutio debiti differatur, vel vſuris vltrà debitor oneretur, pecuniam deponendam eſſe vtrique conſulentes prudentes cenſent [g]. Poterit tamen ita decernente ac ſtatuente iudice vtiliter minori ſolui [h], vt nullo caſu, qui quandocumque pòſt inciderit, attentari, labefactaríue ritè ac legitimè facta ſolutio queat. Non enim fraudi ei eſſe debet, qui magiſtratus imperio obſecutus eſt, cui & parere neceſſe habuit [i]. Sed etſi ſine tutore, iudiceúe ſit ſolutum, ſi tamen nummi ſalui ſint, eoſque penes ſe domi pupillus habeat, petentem eum doli mali exceptione debitor ſubmouebit [k], quod iniquum contra bonam fidem [l] lucrum captet. Eodemque modo conſumptis nummis ſi ex his locupletior factus petat, exceptione repelletur [m], ne alieno incommodo aduerſus naturalem rationem dicetur, Qua de cauſa ex omnibus eum negotiis eatenus teneri receptum eſt, quatenus eius patrimonium auctum ſit [n]. Quod eo tempore diſpiciendum erit, quo iudicium accipitur [o]. Hoc enim tempus, vt plurimum [p] inſpici in huiuſmodi quæſtionibus ſoletq. Locupletiorẽ factũ vtiq; accipiemus, ſi ex pecunia aliam rẽ cõparatã habeat [r], aut ſi modo in rem eius ea verſa eſt. Itaq; & qui iubẽte pupillo ſine tutore, pecuniã creditori eius bona fide numerauit, quãquã ipſo iure obligatus maneat, aduerſus petentem tamẽ exceptione tutus erit [s], qui eo ipſo locupletior intellegitur, quòd debito ſit liberatus [t]. Et ideo cũ pupillare prædium ſine decreto alienaſſe tutor, & ex pretio creditoribus pueri ſatisfeciſſe proponeretur, doli exceptionem pupillo quãdocumque prædium cum fructibus vindicanti obſtaturam Papinia. reſpondit [u], ſi non pretium ac medij temporis vſuras, quæ creditoribus ſolutæ fuiſſent, offerret. Hoc amplius etſi rem, quam neceſſe habuit emere

f In Topic.
g l. ait prætor. D. de minor. l. fideiuſſor. qui D. de fideiuſſo.
h d. l. ait prætor. in fi. prin. i l. qui iuſſu. D. de reg. iur.
k l. pupillo. D. de ſolutio.
l l. bona fides. D. de reg. iur.
m l. apud & ſi quis pupillo D. de doli. except. l. in pupillo. D. de ſolutio. §. penult. Inſtit. quib. alien. lic.
n l. 3. in prin. 16 D. de neg. geſt. l. heredi pupilli. in fi. cũ l. ſeq. D. de dolo l. 1. in fi. D. commod.
o l. in pupillo. D. de ſolut.
p l. ſi à domino. §. quo tempore. D. de petit. hered.
q l. litis. D. de neg. geſt. l. quod ante. D. de donat. inter vir. l. ſi minor. D. de minor.
r l. in pupillo. D. de exceptio.
s l. ſi pupilli. D. de ſolutio
t l. ſi cũ mulier. D. de do nat. inter. vir.
arg. l. 2. D. de calum. l. 3. §. in rem. D. de in rem verſ.
u l. pen. vlt. D. de reb. eo.

pupillus, ex nummis ſibi ſolutis comparauerit, licet ea non extet, quaſi tamen locupletiori facto eadem exceptio nocebit [x]. quoniam initium ſpectandum eſt [y], nec quærendum, quis exitus ſit [z]: ratione minimè patiente poſt pecuniam ſemel in rem eius verſam ſecutos deinde caſus ſoluenti adſcribi. Tanto id magis quod tantumdem de ſuo pupillus, etiamſi nummos ſolutos non accepiſſet, fuerat perditurus. Eadem omnia in furioſo, prodigóue ſeruari naturalis ratio [a] poſtulat. [b] Quibus omnibus & abſque tutorũ curatorumue auctoritate ſolui poterit, ſi ſolutionis gratia ſtipulationi adiecti ſint [c]: contra quàm ſi ipſorum commodo ſolutio ceſſura eſſet. Nã qui pupillo vel furioſo condicionis implendę cauſa dare iuſſi ſunt, ipſis dando liberantur, ne quæ in rem eorum fit datio, ex eorum imbecillitate pereat [d]. Tutori itaque hoc caſu dari neceſſe eſt, vt liberatio procedat [e]. Id quod vtilitatis cauſa contra verborum formam receptum eſt ob defuncti voluntatem, quæ in condicionibus neglecta ſubtili verborum obſeruatione ſpectanda ſequendaq; eſt [f]. Apparet enim eum, qui huiuſmodi condicionem adſcripſit, pupillo proſpicere voluiſſe, cui ſine tutore ſoluta pecunia infirmitate ætatis facilè periret. Quòd ſi eo caſu admittimus, & illud probare conſequens eſt, cùm pupilli nomen ſtipulatione comprehẽſum eſt, tutori eius ſolui poſſe. Quorum vtrumque ſubtiliter Africa [g] vt omnia. Generaliter autem tutoribus tempore adminiſtrandæ tutelæ ſoluentes, ipſo iure à pupillis liberãtur [h]. Nec intereſt, legitimi illi ſint, an teſtamẽto, aut ex inquiſitione dati, honorariíue, vel ad hoc dati, vt gerant, vel notitiæ cauſa dati [i]. Tam enim honorarii [k], quàm qui notitiæ cauſa dantur [l], licet non gerant, tutores tamen ſunt, & adminiſtrationis periculo obligantur. Nec tantũ omnibus ſimul tutoribus, ſi plures dati ſint, ſed vel vni ex his dũtaxat rectè ſoluitur [m]. Quamquam ſi duobus tutoribus datis, verbi gratia, primo & ſecundo, vetuerit teſtator abſque primi conſilio quicquam geri: ſecundo, ſi ſolus exigat, non rectè ſoluetur [n]. Quinetiam, ſi inter eos à prætore diuiſa ſit adminiſtratio, & alius vrbicarum, alius prouincialium rerum tutor datus ſit, rerum vrbicarum adminiſtrationem ſuſtinenti, quod ex nominibus prouincialibus debetur, non iure ſolus, niſi prouin-

x l. in pupillo. D. de ſolu. l. 3. §. vlt. D. de in rẽ verſ.
y l. ſed an vlt. §. ... ergo § ... ſi ... eſſet ras D. de pign. act.
z l. ſi pupilles. D. quod met. cau. l. ... §. ſuffi... D. de cõtr. & vt. act. tut.
a l. iure natura de reg. iur.
b l. apud §. denique D. de doli excep.
c l. ſtipulatus. D. de ſolutio.
d l. ſi ſeruus dicem. D. de ſolutio.
e l. ſi qui ſi... D. de man. teſt. l. ſi fundus. D. de cond. & demonſt.
f l. in condicionibus. l. pater. D. de cõd. & dem.
g l. ſtichũ. §. vſumfructũ. D. de ſolutio.
h l. Lucius § tutela D. de admin. tut.
i l. quod ſi fortè. §. 1. de ſolu.
k l. 3. D. de admin. tut.
l l. 1. C de peric. tut.
m d. l. quòd ſi fortè. §. ſiue autem. de ſolutio.
n l. Titium. D. de admin. tut.

cialis Romæ reddi, quod in prouincia fœnerabatur, eſſet ſtipulatus[o]. Enimuerò tutori etiam capitis poſtulato, ſi in adminiſtratione perſeueret[p], nec non relegato, antequam eius loco curator ſubſtituatur, vel abfuturo cauſa Reip. vel abſēti vtiliter ſoluitur[q]. Iā remoto, vel ei, qui ſuſpectus poſtulabatur, vel cui adminiſtratio interdicta erat, ſcientes qui ſoluunt, non liberantur. Nec tantum integra fide adminiſtrātes tutores, rectè ipſi accipiūt, ſed & aliis quoq; ſolui rectè mandant[r]. Dominorum enim loco circa rerum pupillariū adminiſtrationem bona fide verſantes tutores habentur[s]. Et tamen aduerſus ſolutionem, quam tutore auctore acceperit, auxilium in integrum reſtitutionis pupillus captus implorare poterit[t]: cùm minoribus etiam in his quæ præſentibus tutoribus vel curatoribus geſſerint, ſubueniri ſoleat ſi decepti ſint[u]: propterea quòd tutorum auctoritas, quæ ipſorum gratia cōparata eſt, in odium eorum verti, reſtitutioniſq; auxilium impedire non debeat[x]. Itaque ex Iuſtinia.[y] conſtitutione pleniſſima debitoribus pupillaribus ita quæri poterit liberatio, ſi iudicio præcedente ſententia ſoluant, quæ ſine vllo damno, id eſt, vt Theoph. interpretatur[z], δίχα πάσης δαπάνης tutoribus curatoribúſue ſolui permittat. Quam tamen obſeruationem idem princeps in pēſionibus annuis, obuentionibus vſuriſq; remiſit: quas tutoris auctoritate pupillo ſine iudice rectè ſolui decreuit[a]. Ceterorum verò debitorum exemplo tutores etiam, quæ ex adminiſtratione tutelæ debent, curatoribus ſoluentes liberantur[b]. Atque hęc omnia de furioſorum, prodigorum, mutorum, & ſurdorum, & debilium perſonarum curatoribus dicta exiſtimanda ſunt. His enim ſolui poteſt[c] quidquid iis debetur, quorum negotia adminiſtrant. At ei qui pro tutore negotia gerit, debitores ſoluentes non aliter liberationem conſequuntur, quàm ſi in rem pupilli pecunia peruenerit[d]. Non enim eadem eſt huius quæ tutoris rerum pupilli adminiſtratio[e]. Sed & tutori poſt pubertatem malè ſoluitur: quia iam cum tutela & adminiſtrandi poteſtas finita eſt. Matri quoque filij negotia ſecundùm patris voluntatem gerenti debitores impuberis inutiliter ſoluunt[f]: videlicet ſi ex hereditaria cauſa, non ex eius contractu profecta ſit obligatio. Nam ſi negotium, ex quo debitores obligati ſunt, cum

o l. quero. D. de ſolutio.
p l. quamuis. §. vlt. de ſolutio.
q l. quod ſi forte. § 1. cum ſeq. D. eo.
r l. pupilli. D. eod.
s l. tutor. D. de adm. tut. l. interdum. §. qui tutelam. de furt.
t l. 1. C. ſi aduerſ. ſolutio.
u l. 2. C. ſi tut. vel cur.
x Argu. l. quod fauore. C. de legit.
y l. ſancimus. C. de admin. tut.
z In §. ex cōtrario. Inſtitu. quib. alie. lic.
a l. ſancimus. l. conſtitutione. C. de adm. tut.
b l. 1. C. ſi aduerſ. ſol. et.
c l. 14. §. curatori de ſolutio. l. 1. §. pe. D. de curator.
d l. 19. D. de ſolutio.
e l. apud Celſum. §. ſi quis non tutor. de dol. excep. l. 2. D. de eo qui pro tuto.
f l. qui aliena. §. pen. D. de neg. geſt.

ipſa matre contractum foret, liberarentur vtique qui bona fide ſoluiſſent g. Et hæc eſt inter Papinianum & Scæuolam differentia. Cui ſimile eſt quod alienę hereditatis poſſeſſori non rectè hereditaria debita ſoluuntur, cùm ea rectè ſoluuntur, quæ ab ipſo originem obligationis habent, licet ex rerum hereditariarum adminiſtratione pendeant h. Bene ergo apud Scęuolam Claudius Triphoninus notat i, cognitoris has partes futuras, vt videat vtrum pretia rerum quæ diſtraxerūt pupillæ eſſe ſcierint argentarii an non. Nam ſi hoc ſcierunt, matri, quæ ius adminiſtrationis non habuit, ſoluentes liberari non videntur: ſi ignorarunt, imputari illis nihil poteſt qui ſolius perſonam intuiti, negotium geſſere. Hæc de Tutoribus.

SERVIS etiam filiiſuefam. qui mutuis dandis exigendiſque pecuniis præpoſiti ſint k, vel liberam peculij adminiſtrationem habeant l, vel quod ab eis ex peculio creditum depoſitúmue eſt m, iure ſoluitur. Dominorum enim volūtate, immò & dominis ipſis ſoluere peculiares debitores ſeruis ſoluentes exiſtimantur, cùm eorum quæ in peculio ſunt, poſſeſſio apud dominum eſſe intellegatur, quamdiu in ea cauſa tenentur n. Secundum quæ ſi res peculiaris eis ſurrepta ſit, pœnam furti eis ſoluentem furem liberari dicimus o: quia in peculio eorum furti actio eſſe videatur. Quod vero peculiari nomine ſerui crediderint, id eis etiam poſt domini mortem, ſed & alienatis quoque vel manumiſſis debitores bona fide ſoluentes liberantur p: cùm non debeat illis ſua ignorantia damnoſa eſſe, qui iuſta ac probabili cauſa ad ſoluendum ducti ſint q. Eademq; ratione diſpenſatori, qui ignorāte debitore ab actu remotus eſt, rectè ſoluitur r. Diſpenſatorem autem ſeruum eum noſtri dicunt s, qui rationibus præeſt, cuiq; libera peculij adminiſtratio conceditur. Cui non abſimilis eſt, qui, Actor, ab ea, opinor, negotiorum procuratione adminiſtrationéq; quam ſuſtinet, appellatur t, quem Græci & πραγματευτὴν u & διοικητὴν x vocant. Huius ta ampla poteſtas eſt, vt non tantum pecunias exigere y, ſolutionemq; accipe-

g l. filia. D. de ſolutio.
h l. ſi vrbana. D. de cond. indeb.
i In d. l. filiæ.
k l. ſeruo. D. de ſolutio. l. ſi quis ſenſit §. 1. vbi mod. pig.
l l. ſolutam. D. de ſolutio. l. 22. D. de vſureis.
m l. quod ſeruus. D. de ſolutio. l. ſi vnus in fin. prin. D. de pact.
n l. inter ſtom. §. cum autem. D. de furt.
o l. quis vxoris §. ſi ſeruus. D. de furt.
p l. ſi quis ſeruo. l. ſi ſeruus l. quod ſeruus. D. de ſolutio. l. quod ſeruus. D. depoſ.
q l. eius qui. D. ſi cer pet. l. ſi non ſororē § ſi ſi.ſoſ.s de cond. indeb.
r l. diſpenſatori. D. de ſolutio.
s l. vrbana fi milia. D. de verbor. ſignif. l. penult. D. de ſeru. corrupt. l. 12. D. de inſtitor. l. diſpenſatorem. D. de ſolutio.
t l. legato. de leg. lib. 1. l. ſolutam. D de ſolutio l. idemque §. ſi quis Titio. D. manda. l. 8. D. famil. erciſc.
u l. Thais. ſorore D. de fideicom. liber.
x Theoph. in §. penult. Inſtit. de tutor.
y l. purè §. actoris. D. de dol. except.

re,z ſed & iuſiurandum deferre[a], & nouare[b], & alia omnia, quæ non ad profuſionem peculii reſpiciant, gerere rectè poſſit. Sed hic admonendi ſumus inter peculiares & dominicos debitores hoc intereſſe, quòd hi ſeruo exigendis pecuniis præpoſito poſt datam ei libertatem ſoluentes, non aliter liberantur, quàm ſi manumiſſum ignorēt. Illi etſi inter viuos manumiſſum ſciant, ſi tamen peculium adeptum eſſe ignorent, rectè ſoluunt[c]. Nam cum peculiaria nomina in peculio computentur, quòd data inter viuos libertate, & ipſum dari intellegitur, niſi nominatim adimatur[d], meritò peculiares debitores etiam ei, quem à viuo domino manumiſſum ſciunt, ſoluentes liberantur, ſi peculium ei conceſſum non eſſe ignorent. Teſtamento verò manumiſſis, quibus peculium, niſi vnà cum libertate legetur, non cedit[e], qui mortuum dominum non ignorantes ſoluunt, bona fide ſoluere non videntur. Planè qui manumiſſo inter viuos peculium conceſſum non eſſe ſcientes ſoluerint, donaſſe potius quàm indebitum ſoluiſſe intelleguntur[f]. At cum diſpenſatori, qui teſtamento libertatem accepit, ignorantes dominici debitores ante aditam hereditatem ſoluerunt, quia ipſa ſolutione[g] liberantur de peculio diſpēſatoris, quod ei cum libertate datum eſt, id heres retinere poteſt, tamquam negotium eius in exigendo diſpenſator geſſerit. Quod ſi poſt aditam hereditatem ei ſolutum ſit, quia iam liber factus accepit, de peculio nihil eo nomine retinere neceſſe eſt cùm ſit aduerſus eum actio g, quæ ſuperiore caſu non ęquo parata eſt, quoniam ex eo quod in ſeruitute geſſit, poſt adeptam libertatem non teneatur[h]. Et hoc Paul. accuratè ſubtiliterq; perſequitur[i]. Ita demum autem peculiares debitores ſeruis ſoluentes liberantur, ſi non fraudulenter ſoluerint[x]. Nam & qui ſeruo, quod ex peculio ab eo acceperat, ſoluit, cùm iuſta aliqua ex cauſa ſuſpicari poſſet dominum id fieri nolle, in ea cauſa eſt, vt non liberetur.[l] A domino vtique credita pecunia ſeruo ex eius voluntate rectè numeratur[m]. Idemque erit, ſi domini pecuniā eius permiſſu ſeruus fœneratus ſit[n]. Sanè qui à fugitiuo creditos ſibi nummos, cùm eum liberum exiſtimarent, ei ſoluerint à domino liberabuntur. Alii vero eius iuſſu vel eo ratum habente ſoluentes, non ita[o]: quoniam hoc, non

z l. ſolutam l. ſi is cui §. vlt. de ſolutio. l. ſi conſenſu. §. 1. quibus mod. pig.
a l. ſeruus l. quidam. D. de iureiur.
b l. iuste enim D de iureiur.
c l. ſi quis ſeruo l. ſi ſeruus. D de ſolutio.
d l. vlt. D. de manum. ſeru. ad vniuerſit. l. 3. C de ſolut.
e §. peculium Inſti. de legat.
f l. qui fundus §. ſeruus. D. pro empto. l. ſi non ſortē. §. 1. D. de cōdi. indeb.
g Arg §. 1. l. quinimmo. D. ſi quis teſt. lib.
h l. 1 §. ſi apud. D. depo. l. 29 §. ſtichus. de liber. leg. toto titulo, an ſeruus ex ſuo fac. C.
i l. ſi dispenſatorē. D. de ſolutio.
x l. ſi pro patre. §. verſum. D. de in rem verſ.
l l. 11. D. de poſ.
§. l. 4. C. de ſolutio.
n l. quod ſeruus. D. de ſolutio
o l. fugitiuus D. de ſolutio.

item illo caſu domino pecunia intercipiatur.

De illo nunc videndum eſt, an procuratori facta ſolutio liberationem adferat. Et ſi quidem hoc ei ſpecialiter mandatum ſit, vt ſolutionem accipiat, expeditum eſt [p]. Quinetiam ſi generaliter ei omnium negotiorum adminiſtratio mandata ſit, idem probabimus [q]. Nam qui omnibus ſuis negotiis aliquem prçponit, id quoque debitoribus mãdare intellegitur, vt ei ſoluant, Ideoq; quaſi iuxta mandatum ſoluerint, continuò etiam, antequam dominus ratum habeat, liberantur [r]. Quòd ſi ita eſt (apertè autem in lege poſitum extat) non iniuria mirum cuiquam videri poterit, quod pleriſque in locis nõ obſcurè ſignificatur, abſentis procuratori factam ſolutionem ex domini ratihabitione pendere [s]. Sed profectò illi omnes loci de non vero procuratore, aut abſentis negotia gerente accipiendi ſunt. Nam eum quoque, qui ſine mandato ſe alienis negotiis offert, procuratorioq; nomine licet falſo quid agit, à noſtris procuratorem appellari animaduerti [t]. Cicero voluntarium procuratorem appellat [u]: cuius ego ad hãc quæſtionem pertinẽtem iocum ſubiiciam. Mihi quoque, inquit Brutus, & expectãda ſunt ea, quæ Attico polliceris: etſi fortaſſe ego à te huius voluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, incommodè exacturum negat. At verò, inquam, tibi ego Brute non ſoluam, niſi prius à te cauero. Amplius eo nomine neminem, cuius petitio ſit, petiturũ. Non mehercule, inquit, tibi repromittere iſtud quidem auſus ſim: nam hunc qui negat, video flagitatorem non illum quidem moleſtum, ſed aſsiduum tamẽ & acrem fore. Huiuſmodi verò procuratori factã ſolutionem non ante liberationem afferre certiſsimum eſt, quàm ratum dominus habuerit [x], quia accipiendi non habuit poteſtatem, vt ratihabitione domini confirmari neceſſe ſit, quæ vel ex interuallo ſecuta retro trahi, & mandato comparari ſolet. Proinde & qui ſic non procuratori ſoluit, quaſi ſtatim liberaretur, confeſtim condicere poterit: & ratum demum habente domino condictio extinguitur [y]. Sic eueniet, vt ſi ante ratihabitionem ſe creditor arrogandum dederit, patris ſit voluntas ſpectanda, qui prout ratum habuerit vel non habuerit, ita locum faciet vel non faciet condictioni [z]. Oblata ſanè alieno debitori, Amplius non

p l. verò. D. de ſolutio.
q l. qui hominem §. ſi Titiũ D. de ſolutio.
r l. ſi procurator. D. de cõdi. indeb.
s l. qui hominem. §. ſi gener. l. ſi quis offerenti. in prin. & §. 1. & ſi. l. cum decem. §. vlti. D. de ſolutio. l. ſi ſine in fi. princ. D. rem rat. hab.
t d. l. ſi quis offerenti. circa fin. princ. l. ſi ego D. de nego. geſt. l. ſi. ſine. §. 1. in fi. & §. ſi procurator. D. rem rat. hab.
u In Bruto ſeu de Clar. orato.
x d. l. ſi ego.
y l. ſi quis offerenti. in prin. D. de ſolutio.
z d. l. ſi quis offerenti §. :.

peti cautio, non efficit, vt inuitus ad ſolutionem adigatur [a], qui alii quàm cui obſtrictus eſt exoluere nõ cogitur. Sed nec litis procuratori, & ei, qui ad agendum tantum datus eſt, ſolui poteſt [b], quia hoc mandato non continetur, à quo ne latum quidem vnguem recedere oportet [c]. Diuerſam verò eſſe ſolutionis accipiendæ & actionis exercendæ poteſtatem nemo tam cæcus eſt, qui non videat. Nec quod quibuſdam ſine mandato alieno nomine agere licet, idcirco illis quoque rectè ſoluas [d]. Sic enim filio non iure ſoluas quod patri debes [e], tametſi eum paterno nomine agentem non poſſis repellere. [f]. Tamdiu autem procuratori ſolui poteſt, quamdiu domini voluntas durat, quæ non tantum reuocato expreſsè mandato, id eſt, ſi procuratorem accipere dominus vetuerit, ſed & ſi re integra is deceſſerit [g], vel ſi ſtatum in deterius procurator mutauerit, finiri intellegitur, quemadmodum Bart. [h] argumento eius qui obligationi adiicitur [i], ductus, aſſerit: cui & ceteri aſſentiuntur. Quorum ſi aliquid contigerit, procuratori deinceps iure nõ ſoluetur. Quamquam & eos, qui bona fide, ignoranteſq́, poſt finitum mandatum ſoluerint, liberari æquitatis ratione ſit admiſſum [k]: quòd ſcilicet ex domini voluntate ſoluerint: quam ſi mutatam eſſe non diuinarunt, fraudi eis hoc eſſe non debet. Falſo verò procuratori & ei, qui ſine mandato alienis ſe negotiis offert, quantumuis bona fide ſoluentes, idcirco non liberantur [l], quia tam pronos facileſq; eſſe eos ad ſoluendum non oportuit. Nec enim rectè illos his compares, qui remotis ab actu adminiſtrationeque ignorantes ſoluerint, cùm hi iuſtam habeant cauſam exiſtimandi ſe ei, qui accipit, rectè ſoluere, quoad de mutata domini voluntate certiores fiant: illorum ſtultitia excuſationẽ nõ habet, ei ſoluentium, qui nullum ante mandatum habuit, cuius occaſione ducti, ei tunc quoque ex domini voluntate ſolui crederent. Totum itaque hoc vanæ ſuæ credulitati facilitatiq; expenſum ferre debent, habituri contra eum, qui accepit, vel indebiti [m] ſi ea mente numerauerint, vt ſtatim liberarentur, eiuſq; nummi fierent: vel ob cauſam, furtiuamq; adeò condictionem [n], ſi ita ſoluerint, vt ii ad creditorem perferrentur ſecundum pleniores Iureconſultorum de ea re diſtinctiones [o]. Procuratori verò, cui in rem ſuam man-

a l. 2. D. vt leg. nom. cau.
b l. hoc iure. D. de ſolut. l. ſed ſi tantũ. D. de pact.
c l. diligenter. D. mand.
d Guid. Pap. deciſ. 526.
e l. filiusfam. D. de ſolutio.
f l. ſed & hæ perſonæ. D. de procur.
g §. vlti. Inſt. manda. l. 4. D. loca.
h In l. ſi eum Cornelius. D. de ſolutio.
i Arg. l. cum quis. D. de ſolutio.
k l. verò §. 1. l. Seius l. diſpenſatori. D. de ſolutio. §. rectè. Inſt. mand.
l l. qui hominem §. ſi nullo l. ſi quis offerenti. D. de ſolutio.
m l. creditor. C. de cond. indeb.
n l. ſi procurator D. de cond. ob cau.
o In l. falſus. §. 1. D. de fur.

datæ fuerint actiones, ſolui poſſe certi & indubitati iuris eſt: cùm is domini loco habeatur p. Sed nihilominus & domino nulla delegatione interpoſita ſoluentes liberabūtur q, niſi vel denuntiauerit eis procurator, ne ſoluerent, vel aliquid ex debito acceperit, vel eo nomine litem ſit conteſtatus r. Alioquin cùm directas adhuc actiones dominus habeat, aduerſus debitores vtiliter aget s. Si tamen ſimul cum procuratore petat, procuratorem in pecuniam ſuſcipiendam præferendum inter omnes conuenit t, cùm & ſuo nomine vtiles habeat actiones u, nec mandantis nomine neceſſario agere debeat. Simili modo & is, cuius nomen pignori datum eſt pignoranti, antequam de alterius obligatione certior factus ſit, rectè ſoluit x. Hæc de procuratore.

Ei etiam, cuius nomen ſtipulationi inſertum eſt, iure ſoluitur y. Nec intereſt, pupillaris an iuſtæ ætatis ſit, ſeruus aut liber, filiusfam. vel ſui iuris. Omnino enim dum adiecto ſoluitur, ſtipulatori ſolui videtur, cùm ex eius volūtate ſoluatur. Itaq; quāquam pupillares debitores pupillo ſoluentes non liberentur, ſi tamē ſibi aut pupillo dari quis ſtipulatus ſit ſoli pupillo ſine tutore vtiliter ſoluetur z. Nam cùm pupillo ius nullum obligationis quæratur, qui tāquam alii reſtiturus accipiat, non multùm de eo laboramus, acceptámne ille pecuniam profuſurus ac perditurus ſit: qua deperdita non eo magis de ſuo aliquid deminuiſſe, iacturamq; feciſſe videatur. De ſe enim ſtipulator queri debet, qui huiuſmodi perſonam ſtipulationi adiecerit a: & promiſſor liberatus eſt, qui iure ſtipulationis ſoluit. Igitur & qui decem Titio vel ſeruo alieno dare ſpopondit, ſeruo ipſi bene ſoluet b, ac ne quidem domino eius dando liberabitur c, niſi ex ſerui voluntate dederit P, quoniam ſerui tātum perſona ſtipulatione comprehenſa eſt: cuius perſonæ mera hæc atque ſimplex accipiendæ ſolutionis poteſtas cohærens ad dominum non tranſit e. Obligatio certè, ſi qua inde quæreretur, ipſi domino quæreretur. Ea enim per eos, qui in noſtra poteſtate ſunt, nobis adquiruntur quæ iuris ſunt quæ facti, ipſis cohærent f. Vtique autem ſibi aut filio pater non inutiliter ſtipulatur g, & filius ſibi, aut patri in his cauſis, quibus patri ſtipulatio adquiri h non poteſt. Fruſtra enim ſolutionis ergò pater adiiciatur tū, cū obligatio ipſa

p l. ſed ſi tantū D. de pact.
q Arg. l. vlti. D. de trāſact.
r l. 3. C. de nouatio.
s l. 3. C. mādat.
t l. procuratorem in rē. D. de procur.
u l. 2. C. de oblig. & act.
l. poſtquā cū l. ſeq. C. de hered. vend.
x l. 4 C. quæ res pig. obl.
y § planè. Inſti. de verbo. oblig.
z l. ſtipulatus. l. pupillo. §. vſūfructum. D. de ſolutio.
a Argu. l. denique. §. vlti. D. de minor.
b d. §. vſumfructum.
c l. 9. D. de ſolutio.
d l. Stichum §. vſumfructum. in fi. de ſolutio.
e l. qui heredi. D. de con l. & demonſt.
f §. ſed & cū factū. Inſtit. de ſtip. ſer.
g l. 56. §. qui ſibi. D. de verb. obl.
h l. 95. ſi quæſitam D. de ſolutio.

ipſa ei quæritur. Ceterùm cùm adiecto ſecundum obligationis legem ſoluatur, ei ignorante, immò verò inuito ac repugnante ſtipulatore, ſolui poteſt i: quia hanc condicionem habet obligatio k, nec vllæ prohibitionis vires ſunt in ea re, quæ non ex prohibentis arbitrio pendet l. Stipulationis enim ſtatus in exordio cõſtitutus ex poſt facto ſolius ſtipulatoris voluntate mutari non poteſt m. Nec aliud probaremus, ſi eius, quo cum pacti ſumus, cauſa, alii quid reſtitui conueniſſet n. Diuerſum in ea ſpecie reſponſum eſt, in qua mulier poſt nuptias contractas de dote extraneo reſtituenda, cum viro pacta proponebatur. Nec enim ſoluto matrimonio ei vetante muliere rectè dos ſoluetur o, quoniam nec ea condicio ab initio dotis dandæ dicta ſit: ſed poſtea ex permiſſu mulieris adiecta. Aliud verò eſt iure ſtipulationis alicui ſolui poſſe, lõgè aliud ex permiſſu noſtro id poſtea contingere p. Nam quod inter vtrumque caſum nihil intereſſe Paul. ait q, quod ad eam rem attinet, de qua tractat, verum eſt. Atque ita in libris noſtris perſæpe, effuſæ & latæ huiuſmodi comparationes ad eas ſpecies, de quibus agitur, ſunt coartandæ. Illa ſanè inter ſuperiores caſus differentia intercedit, quòd ei, cui iure ſtipulationis ſoluere licet, vel inuito ac nolẽte ſtipulatore ſolui poteſt: at ei, cui ſolui creditor iuſſerit, ita demum, ſi in voluntate manſerit. Omnibus enim integris huiuſmodi quoque mandatum reuocari non dubium eſt. Cui pactum hoc comparamus, cuius gratia in hunc ſermonem venimus, quo mulier dotis ſuæ alii reſtituendæ, marito tribuit poteſtatem. Ab ea enim voluntate re integra recedere mulier, ſi non donationis cauſa alius ſtipulatus ſit, poteſt r. Nec vetante ea tutò maritus ei, cui reddi cõuenerat, dotem reſtituet. At qui ea ſtipulatione, qua ſibi dari quid ſtipulatus eſt, alterius quoque nomen comprehendit, prohibere, ne ei ſoluatur, ſine promiſſoris iniuria non poteſt, cui ſemel acquiſita ex ſua ſtipulatione alii ſoluendi poteſtas vlterius inuito extorqueri non poteſt. s Quoniam igitur hanc legem obligatio habet, etiam ſi ſtipulatori ſoluturum ſe debitor conſtituerit, adiecto nihilominus iure ſoluet t, niſi ſe ſoli ſtipulatori ſoluturũ cõſtituerit. Tunc enim receſſiſſe à iure ſuo videtur, nec conſtituti fidem frangere volens audiendus eſt u. Hoc amplius

i l. 17. D. de fideiuſſo.
k l. vero § 1. l. pen. D. de ſolutio.
l l. Papinianus. D. de publicia.
m l. inſulam. D. de verbor. oblig.
n Arg. l. cum fundus. D. de pact.
o l. ſi cũ Cornelius. D. de ſolutio.
p l. pen D. de ſolutio.
q l. ſi ita ſtipulatus inſ. D. de ſolutio.
r l. Seia. D. de dote pral. l. cũ quis decedens § nuptura. de lega. 3. l. 2. C. de iu. dot. l. 29. in fine. D. de pact. dot.
s Arg. l. vlti. D. de pact.
t l. ſi ita ſtipulatus. D. de ſolutio.
u l. ſi ſi verò. D. de conſtit. pec.

etſi ſtipulator partem acceperit, reliquũ adiecto ſolui poterit [x]. Quòd ſi per iudicem petierit, exinde adiecto ſoluendi poteſtas adimitur: propterea quòd litem conteſtando occupaſſe debitorem, & in ſe totum obligationis ius transtuliſſe intellegatur [y]. Itaque non de nihilo apud Iulian. [z] hæc verba addita ſunt, *Ante litem conteſtatam*. Atque hoc in toto pene iure animaduertere poſſumus, iudicio accepto duriorem debitorum, creditorum meliorem condicionem effici, multasq; debitoribus competentes facultates amitti [a]. Adiecto autem facta ſolutio, quo minus ſtipulator petat, nõ impedit, ſi quid iuri ſolutæ rei deſit [b]. Sed & adiecto vtiliter ita demũ ſoluitur ſi in eodem ſtatu maneat, quo fuit, cùm ſtipulatio interponeretur. Quòd ſi poſt ſtipulationem in exilium abierit, vel in adoptionem datus ſit, vel in ſeruitutem redactus, ei non rectè ſolutum iri Africa. ſcribit [c]. contrà quàm ſi emancipatus fuerit. Nec enim eiuſmodi mutatio perimere ſoluendi poteſtatem creditur, quia deteriore loco non ſit adiectus conſtitutus [d]. Ideoq; quod ab Africano alibi [e] ſcriptum eſt, cùm quis vſumfructum ſibi aut Titio dari ſtipulatus eſt, Titio capite minuto facultatem ſoluendi non intercidere ad eam ſpeciem reſtringendum, ne à ſe ipſo diſſentire idem auctor, ſecumq; diſcordare videatur, vulgò obtinuit. Sed videamus ne latiùs patentia Africani verba tam anguſtis finibus malè coërceantur. Hoc enim ille ſine ſcelere prætermittere non poterat, ſi emãcipatum fuiſſe adiectum poſuiſſet. Mihi certè acri & attento animo intuenti, hoc ſentire Africanus, eoq; comparata tota eius ratio videtur, vt oſtendat vel capite minuto adiecto ſolui poſſe, ſi hoc inter contrahentes actum ſit. Nec enim dubium eſt ita ſtipulationem concipi potuiſſe, *Mihi, aut Titio cùm capite minutus erit, dari.* Quod autem tacitè actum eſt, pro cauto habendum conuenit [f]. Nec nouum hoc videri debere aliis exemplis confirmat, quando à perſona, quæ ſtipulatione expreſſa eſt, quandoque recedamus, vt quamquam hic alius homo eſſe poſt capitis minutionem videatur [g], ei nihilominus propter tacitam contrahentium voluntatem ſolui poſſit. Nam & qui ſtipulatori aut pupillo dare ſpoponderit, tutori pupilli dare poterit, licet alia perſona ſit, quemadmodum ſeruaretur, etſi implendæ cõdicionis cauſa

x l. cum decem. D de ſolutio.

y Argu. l. 3. C. de nouat. l. ſi pluribus. D. de leg. 1. l. ex duobus D. de duobus re.

z In l. ſi deiuſſor oblegari. D. de fideiuſſ.

a §. 1. l. ſi decem. D. de ſolut. l. ſi quis ſtipulatus ſit Stichum. D. de verb. ob. l. 1. D. de pecu. leg. l. ſi ſeruus communis. D. de noxalib. l. ſi inſulam. D. de verb. obl.

b l. Iulianus. §. 1. de verbo. obl. arg. l. etiã D. de ſolutio.

c l. cũ quis. D. de ſolutio.

d l. cum qui ita §. qui ſibi. de verb. obl.

e l Stichum. §. vſumfructũ. de ſolut.

f l. cũ quid. D. ſi cert. pet.

g Argu l. & ſuũ. verſ. Marcellus. de pac.

pupillo dare teſtator iuſſiſſet. Quod ipſum vtilitatis cauſa receptum eſt, cùm alioquin facultas ſoluendi perſonam non egrediatur, in tantum, vt ſi ſerui perſona ſtipulatione comprehenſa ſit, domino eius non rectè ſoluatur. Equidem illud tentari poſſe non ignoro emancipatione, æquè vt adoptione, facultaté adiecto ſoluendi intercidere, quãdoquidem vtroque modo capite minuamur. Nec iſtud defendentibus Iulianus vllo modo refragaretur,[h] qui diligentius intuẽtibus penituſq; introſpicientibus hoc tantùm dicit, patrem ſibi aut filio vtiliter ſtipulari. Et in hoc proficere filii adiectionem, vt ei ſiue in poteſtate poſito, ſiue emancipato rectè ſoluatur, cui alioquin iure non ſolueretur quod patri promiſſum eſſet. Ei autem, qui in poteſtate tempore ſtipulationis interpoſitæ fuerit, poſtea emancipato iure ſolui arripere ex ea lege non poſſumus. Quæ tamen omnia, & in re dubia propoſita à me, non etiam affirmata velim. Ceterum ipſi tantum adiecto nõ etiam ſucceſſoribus eius ſolui poteſt[i]. Nec enim ei ius vllum obligationis quæritur, quod ad heredem trãsferatur: ſed nuda quædam dumtaxat eaq; perſonalis accipiendæ ſolutionis facultas, quæ cum eo extinguitur. Itaq; nec debiti petẽdi[k], nec fideiuſſoris[l] vel pignoris[m] accipiendi, nec nouandæ, aut accepto ferendæ obligationis ius habet[n], tantumq; ei ſolui poteſt. In hoc vnum enim interpoſitus videtur, cùm iuris ratio obligationem ei per alium quæri non patiatur[o]. Vnde quidquid acceperit, ſtipulatori mandati actione reſtituere compellitur[p]. Adiicere verò ſolutioni aliquem ita poſſumus vt nobis purè dari ſtipulemur, vel alii ſub condicione, vel in diem, vel alio quàm nobis die[q]. Quæ pluribus verbis Caius perſequitur[r]. Et hæc fermè ſunt omnia, quæ de adiectis iure ciuili tradita extant. Ad alios transeamus. Heredibus creditorum rectè ſolui nemo dubitat, cùm in ius obligationis ſuccedant. Et ſi plures ſint, pro parte hereditaria cuique ſolutio fiet. Vnde ſi maior pars heredum interpellat, & depoſitum repetat, conſultius facturum eum dicimus, qui magiſtratus iuſſu interueniente ſoluat[s]. Heredi ſanè, qui hereditatem reſtituere rogatus eſt, ante eam reſtitutam facta ſolutione debitoris liberari conſtat[t]. Quinetiam ſi inſtituto deliberante, ſubſtituto per errorem ſolutum ſit, ad eum poſtea deuoluta

h In l. cũ qui ita. §. qui ſibi. de verb. obl.
i l. ſi ſtipulatus ſim. D. de ſolu. l. cũ quis D. de verbor. oblig.
k l. ſed & ſi filio. in fin. D. de conſt. pec.
l l. ſi mihi. D. de fideiuſſor.
m l. is qui promiſit. D. de pigno.
n l. quod ſtipulatus D. de ſolutio. l. non ideo. D. de nouatio.
o l. ſtipulatio iſta. §. alteri. de verb. oblig.
p l. Iulianus. §. vlt de verb. oblig.
§ plane. Inſt. de inutil. ſtip.
q l. qui res. §. mihi decem. de ſolutio
r l. vlti. §. vlt. D. de verbor. oblig.
s l. ſi ſtipulatus. §. 1. de ſolutio.
t l. ante. D. de ſolutio.

hereditate debitoribus liberatio naſcetur [u]. Præter ſupradiĉtas verò perſonas,& aliis quibuſcumque, quibus ſolui creditor iuſſerit, debitores ſoluentes liberabũtur [x]. Nã cùm iuſſu meo id, quod mihi debes,creditori meo ſoluis,& tu à me, & ego à creditore meo liberor [y], ſoluíq; nobis id intellegitur,quod alii noſtra voluntate ſoluatur [z]. Nec intereſt cui ſolui creditor iuſſerit. Itaque ſi vxori ſuæ donaturus debitorem ſuũ ei ſoluere iuſſerit,quamquam nummi vxoris nõ fiãt, propterea quòd iure ciuili donatio impeditur, exceptione tamen doli mali petentem maritum ſubmouebit debitor, ſi paratus ſit, quas aduerſus mulierem habet aĉtiones,ei prçſtare [a]. Celſus quidem ea ratione tentabat [b] ipſo iure liberatum debitorem, quòd quaſi viro data breuis manus fiĉtione videatur: propter quam,quod iuſſu noſtro alii debitor noſter numerat,& nobis datum,& à nobis ad alium perueniſſe intellegitur [c]. Nam ſi donatio iure ciuili non impediretur, ita res geſta videretur,quaſi à debitore in virum,ab eo porrò in vxorem dominium tranſlatum eſſet. Qua ratione cùm iuſſu debitoris ab alio falſus creditoris procurator accipit,&debitori eum furti teneri, & nummos debitoris eſſe faĉtos Pomponius ſcribit [d],&alii plerique conſentiunt [e],licet eos vtique non attigerit. In illa verò altera ſpecie ſummi iuris regulis nixus Africanus,ipſo iure debitori liberationem contingere negat, quia nummi eius maneãt,nec vxoris propter iuris impedimentum faĉti ſint.Namq; dominiũ ab eo receſſiſſe vix dici poteſt, quòd ei, in quem tranſlatum volebat,acquiri nõ potuit.Paulatim tamen æquitate ſuggerente admitti debitori, qui viri mandatum ſecutus ſoluit, exceptione eſſe ſuccurrendum,ſi marito condiĉtionem quam aduerſus vxorem habet,mandet. Ita eò tandem recidunt omnia, vt ſi minùs ipſo iure, per exceptionem tamen debitor liberetur:quemadmodum euenit, & cùm vir vxori pecuniam donare volens permittit eam à debitore ſtipulari. Nã ea promiſſione, licet nihil aĉtum ſit [f], ſi tamen poſt diuortium promiſſor bona fide ſoluat, doli mali exceptione tuendũ eum placuit, ceſſis quas aduerſus vxorem habet,aĉtionibus [g]. Porrò & debitores pupillares liberantur,ſi iuſſu tutoris alii ſoluerint [h]. Amplius ſi pupillo iubente creditori eius numerauerint, licet ipſo iure

u l.pupilli §. vlt. de ſolut.
x l.ſolutam. D.eod.
y l ' ñ iuſſu. D.eod.
z l mortuo in fi D de ſlatuiib.
a l.cũ quis §. 1 de ſolutio.
b l. 1 §.ſe.l ſi debitorẽ.D. de dona. inter vir.
c l.licet §. 1. D.de iu. dot. l. ſingularia. D.ſi cer pet. l. ſi eum qui D. de don.int. vir.
d l.ſi iuſſu. D. D.de furt.
e d §.ſi debitorem.
f l. 5.§.ſi debitor. D. de donat.inter vir.
g l. vir. cum vxori D.de don.inter.vir.
h l. pupilli.D. de ſolutio.

obligati maneant, doli tamen exceptione defendentur, quòd locupletior factus pupillus videatur, qui ea pecunia a creditore ſuo dimiſſus ſit [i]. Planè, qui à fugitiuo nummos domini creditos acceperunt, alii eius iuſſu ſoluentes non liberantur, contrà quàm ſi ipſi fugitiuo ſoluerint [k]. Nam domino quidē ſolutum intellegitur, quod ipſi fugitiuo ſoluitur, cum earum rerum, quas tenet ſeruus, dominium poſſeſſioq; apud dominum eſſe intellegatur, cui nec aliarum rerum, nec ſui ipſius poſſeſſionem interuertere ſeruus poteſt [l]. Quod idem dici non poteſt, vbi alij iubente vel delegante eo ſoluitur. Ceterùm ſi omnibus integris mandatum ſolutum ſit, vel creditoris, qui ſolui iuſſerat, morte, vel quod eum, cui ſolui iuſſerat, poſtea accipere vetuiſſet, idq; non ignorantes debitores ſoluerint, ſuum profundunt [m]. Nam cum ex voluntate creditoris, quæ vel morte finita [n], vel apertè reuocata eſt, non ſoluerit, liberationem non conſequuntur, nec ſoluti repetitionem habēt [o], qui ſcientes alij quàm cui debebant ſoluerint [p] quòd donationis ſpeciem habet [q]. Similiter ſi contra creditoris denuntiationem [r], vel ei, qui ab adminiſtratione ſibi conceſſa remotus erat, ſcientes debitores ſoluerint, nihilominus obligantur. In omnibus verò his caſibus ſi ignorantes ſoluerint, æquitatis ratione, vtilitatiſq; cauſa liberationem eis contingere receptum eſt [s]. Nec enim imputari eis æquum eſt, ſi non diuinarunt mandatum ſolutum eſſe. Idq; eis notū fieri oportuit, ne eorum ignorantiam obrepens procurator circumueniret [t]. Ei certè, qui mandato meo ſibi ſolui ſtipulatus eſt, me mortuo, vt & inuito iure ſoluitur, quia ex ſtipulatione ſua quæſitum ei ſolutionis ius morte mea intercidere non poteſt [u]. Sed nec dubitandum eſt, quin cui poſt mortem meam ſoluere debitorē iuſſi, rectè me mortuo ſoluatur: quia quod in mortem collatum eſt, mandatum morte non finitur [x]. Itaque illum Pauli locum [y], in quo hæ duæ ſpecies explicantur, malè collocatis & interpoſitis verbis deprauatum eſſe certo certius eſt, atque ita reſtitui oportere, vti & alij quidam monuere [z], *Ei, qui mandato meo ſtipulatus eſt, poſt mortem meam rectè ſoluitur: quia talis eſt lex obligationis: ideoque etiam inuito me rectè ei ſoluitur. Ei autem cui iuſſi debitorem meum ſoluere, poſt mortem meam non rectè ſoluitur: quia mandatum*

i l. ſi pupilli. de ſolutio.

k l. fugitiuus. D. de ſolutio.

l l. rem quæ. D de. acq. poſ. l. filiusfam. D. de reg. iur.

m l vero §. 1. l. ſi ſeruus D. de ſoltu.

n l. 4. D. loca.

o l. ſi nō ſortem §. qui filiofam D. de cond indeb.

p l. indebitū. C. eod. l. in ſūma §. vlti. D. eod.

q l. cuius. D. de reg iur.

r aliud. D. de ſolutio.

s l. diſpenſatori. l. ſeruo. D. de ſolutio.

t l cum D ſi cer pet. §. vlt. Inſt. manda.

t Arg l. ſi fideiuſſor §. ſi cum debitor. D. manda.

u l. vlt 1 D. de ſolutio.

x l. ſi verò nō remunerandi. §. vlt. cū l. ſeq. D. manda.

y l. vlti. D. de ſolutio.

z Cuiacius ca. 38. lib. 1. obſeruatio.

morte diſſoluitur. Et huiuſmodi verbis loco ſuo ordineq; motis, aliquot librorum noſtrorum loci[a] corrupti ſunt. Sed ita remotis ab actu vel reuocatis procuratoribus factã ab ignorantibus ſolutionem liberationem parere African. cenſet[b], ſi non illi ea mente nũmos acceperint, vt eos lucrentur. Tunc enim, quia furtum faciunt, nummi debitorum manent, neque liberantur, quamquam exceptione repellere petentem creditorem poſſint, ſi quas aduerſus eum qui accepit habet, ei præſtet actiones. Nullo verò mandato intercedente, non alijs, quàm quas initio recẽſuimus perſonis, debitores inuito vel ignorante creditore ſoluentes liberabuntur[c]. Ideoq; nec ſi cauere quis paratus ſit Amplius non peti, eo magis debitor alii quàm cui debet, exoluere cogitur[d]. Nec ſi viro, quod vxori debetur, ſine eius conſenſu ſolutum ſit, vel contrà, liberatio contingit, non magis quàm ſi filio, quod patri debetur, ſit ſolitum[f]. Cui conſequens eſt & generum, qui ſolidam dotem ſocero, ignorante filia, ſoluerit, à filia nõ liberari[g]. Cùm enim dos profectitia patris & filiæ communis ſit[h], vtique ſimul ſolui vel alterutri ex alterius voluntate debet[i]. Planè ſi filiafam. nuptura ex peculio, cuius adminiſtrationẽ habebat dotem dederit: matrimonio, cum in eadem cauſa peculiũ eſſet, ſoluto, ipſi ſoli cuiuſlibet peculiaris debiti exemplo rectè dos ſoluetur k. Quòd ſi genero ſuo quis dotis Seiæ filiæ nomine heredem centum dare damnauerit, quamquam legati emolumentum omne Seiam pertineat, conceptio tamen verborum facit, vt vel inuita ea viro ſoluens heres liberetur[l]. Qui poſſeſſori, tametſi bona fide poſſidenti[m], ſoluerunt, non antè liberantur, quàm vero heredi quod exegerit poſſeſſor, reſtituat[n]. Ergo ſolutum repetere à poſſeſſore poterunt[o]: videlicet ſi ex hereditaria cauſa obligatio proficiſcatur. Nam ſi poſſeſſor ipſe locaſſet, mercedis ei ſolutæ repetitio nulla tribueretur, propterea quòd ei ſoluerint, cui & obligati erant[p]. Quamobrem qui minori bona hereditaria pro herede adminiſtrãti, quam ille ex hereditate crediderat, pecuniam ſoluerũt, vel abſtento poſtea eo, hi nihilominus liberantur, quoniam vero creditori ſoluerunt[q]. De illo dubitari poteſt, An creditori creditoris mei abſq; eius mandato facta ſolutio mihi pariat liberationem. Et magis eſt, quemad-

a l. peto §. mater. de leg. ij. l. quamuis. §. vlt de ſolut.
b l. cũ quis §. ſi debitorem. de ſolutio.
c l inuito. C. de ſolutio.
d arg. l. 2. D. vt leg nom. cau.
e l. cum maritum. C. de ſolutio.
f l. filiusfam. D de ſolut.
g l. qui hominẽ §. ſi gener. D de ſolut.
h l. 2. C. ſolu. matrim.
i l. ſi filia. D. de ſolutio.
k l ſi filiafa. D. de iur. dot.
l l. Titio centũ §. Titio gener. de cond. & dem.
m l. ſi quid poſſeſſor. § vlti de pet. her.
n l. qui hominem. §. ſi pra do. D. de ſolu.
o l. ſi nõ ſortem §. heredi. D. de cond. & d. monſt.
p l. ſi vrbana. D. de condi. indeb.
q l. filius qui. D de ſolut.

modum Bartolo quoque videtur[r], vt mihi exceptio proſit[s]. Fortius dicemus, ſi cùm domum conduxiſſes, eiuſq; partem mihi locaſſes, ergo locatori tuo penſionẽ ſoluero, me liberari[t]. Ceterùm ei facta ſolutio, qui amicitia ductus ſine mandato creditoris negotia gerat, debitoribus, antequam creditor ratam eam habuerit, liberationem non affert[u]. Ratihabitio enim cùm retrotrahatur, & mandato comparetur, eas, quæ ab initio non conſtiterunt, ſolutiones liberationeſq; cõfirmat[x]. Ideoq; generaliter tenendum eſt, etiamſi alij quam cui debebatur, citra creditoris mandatum ſolutum ſit, creditore tamen ratum habente, liberationem ſequi[y]. Ratum verò habere creditor, poſtquam certior eſt factus, debet[z]. Quod tamen non eſt diſtrictè accipiendum, ſed cum quodam moderato temporis ſpatio, & ἐν πλάτει, vt familiari a noſtris verbo vtar. Sed & intra tempora legitima ratum haberi neceſſe eſt. Planè ſi fideiuſſor ad certum tempus acceptus, procuratori, cui iure ſolui potuit, intra tempora ſoluit, quamquam poſt tempus ratam creditor habuerit ſolutionem, fideiuſſor tamen iam olim liberatus intellegitur, nec repetet[b]. Nec enim quidquam facit, quod non in tempore interpoſita videatur ratihabitio, quam interuenire non erat neceſſe, cùm ea etiam non expectata fideiuſſori ſtatim atque procuratori ſoluit, parta fuerit liberatio. At cùm præcedentis actus confirmandi cauſa ratihabitio deſideratur, illa niſi idoneo tempore interceſſerit, nullas vires habet[c]. Vnde quod Africa. in ſimili prope ſpecie reſpondit[d], procuratorem, qui ęs alienum exigens, de rato cauit, ſi debitore iam tempore liberato dominus, quod à procuratore geſtum eſt, ratum habuerit, ex ſtipulatu vel aliàs condictione teneri: de litis procuratore non ad hoc dato, vt ei ſolui poſſet, vel omnino de eo, qui ſine mandato vltrò ſe alienis negotiis offerebat, quem nos procuratorem quoque appellari ſuprà notauimus, accipiendum cenſeo. Cui facta ſolutio ante domini ratihabitionem debitorem non liberat: quæ ſi ſeriùs, id eſt, poſtquàm actionis dies exiit & tempore debitor liberatus eſt, interueniat, non iure factam ſolutionem non confirmat. Et ad has coniecturas, (nam temerè quidquam affirmare de obſcuro loco nolim) ex eo adigor, quòd African. non interpoſita ſtipulatione in-

r l. nonſolum. §. vlti. D. ſolu. matr.
s l ſi opera. D. de doli except.
t l. ſi liber. D. de negot. geſt.
u l ſolutam §. ſolutam. D. de pign. actio.
x l. ſi ego. D. de neg geſt.
y l. verò. in fi. D de ſolut.
z l. inuito C. de ſolut.
a l ratum. D. eod.
a l. pen. D. de cond. tritic. l. ſi arbiter. D. de probat. d. l. ratum.
b l. cum decem. §. 1. de ſolutio.
c l. bonorum. D. rem rat. hab.
d l. vlt. §. vlt. D. rẽ. rat. hab.

debiti condictionem competituram ait: cui vtique tunc ſolùm locus eſt, cùm vel procuratori ſolutionis accipiendę poteſtatem non habenti, ſolutio facta eſt, vel procuratori ita ſolutum eſt, vt niſi dominus ratum haberet, condiceretur, & dominus ratam ſolutionem non habeat. Nã ſi vero procuratori ſolutum ſit, confeſtim debitor etiam ante ratihabitionem domini liberatur[f] ideoq; non repetit[g].

Hactenus qui ſoluant, & quibus ſoluatur. Deinceps quid ſolui poſſit, videndum eſt. Eſt autẽ vulgi ore trita ſententia, ſolutione eius quod debetur, obligationẽ tolli[h]. Ex quo apparet, ad ipſum ſoluendum eſſe, quod debetur. Aliud verò pro alio inuito minimeq; conſentienti creditori ſolui nõ poteſt[i]. Ac ne pretium quidem ſpeciei promiſſæ loco nolenti creditori rectè pręſtatur, niſi vbi aliud ſingulari iure, fauore certarum cauſarum receptum eſt[k]. Aliud enim res eſt, aliud pretium[l]. Cum tamen res aliena debetur, eamq; dominus vel omnino alienare vel æquis condicionibus diſtrahere recuſat, iuſtam eius æſtimationem debitor offerens audiendus eſt[m]. Sed etſi numerorum facultatem debitor non habeat, nec facilè ſuarum rerum emptores inueniat, æquiſſimum putauit Iuſtinian.[n] compelli creditorem in ſolutũ debitoris poſſeſſiones accipere, inita prius à magiſtratu earum æſtimatione, vt ſine iuſta vtriuſque querela res procedat. Atque ita Iulius Cæſar pulſo ex Italia Pompeio, cùm fides tota Italia anguſtior eſſet, & pecuniæ non ſoluerentur, conſtituiſſe dicitur, vt creditoribus poſſeſſiones debitorum per creditores æſtimatæ traderentur[o]: quas ea de cauſa Cicero plerumque[p] æſtimationes appellat. Enimuerò volenti creditori res pro re ſolui poteſt[q]. Et ita pro pecunia res in ſolutum data liberationem affert. Ne reuocari ea datio, ſi non minor xxv. annis dederit[r], vel ex ea cauſa poteſt, quòd bono quodam euentu multo pluris vendidiſſe rem is, qui accipit, dicatur, quàm ei deberetur[s]. Toties autem res pro re ſoluta liberationem parit, quotiens in ſolidum accipientis facta eſt[t]. Euicta verò ea priſtina obligatio durat, & vtilis nihilominus ex empto actio creditori, in id quod eius interſit[u], accommodatur. Præterea, vt in ſolutum datione obligatio tollatur, hoc etiam exigitur eiuſdem cum eo quod debetur, æſtimationis

e l. quod ſi fortè. D. de ſolutio.
f l. ſi procurator D. de cõdi. indeb. l. vero. D. de ſolut.
g Arg. l. cum ſs §. 1. D. de condi. indeb.
h Inſti. quib. mod. toll. obl.
i l. 2. § mutui D. ſi cert. pe. l. cũ à quo. C. de ſolut.
k l. ſi domus. §. qui confitetur. de lega. 1. l. poſſeſſionũ. C. comm. vtr. iud. l. ſi quis argentũ. §. 1. D. de donat.
l l. 1. D. de rerum permut.
m l. non dubium. in fi. D. de leg. 3. l. cũ alienã. C. eo.
n No. 4. §. vlt. & Nou. cxx. Auth. hoc niſi. C. de ſolut.
o Cæſ. lib. 3. de Bello Ciu.
p In Epiſtol. ad Attic.
q l. manifeſti. C. de ſolut. l. ſi os nuptura. D. de iur. dot.
r l. ſucceſſores. C. de ſolutio. l. cum dominam. C. de pigno.
s l. cum pro pecunia. C. de ſolutio.
t l. ſi quis aliam D. eo.
u l. ſi prædiũ. C. de euictio. l. eleganter. D. de pig. act.

tionis eſſe rem, quæ in ſolutum datur. Proinde ſi centum debens fundum ducentorum ſoluerit, totus fundus repeti poteſt, & incorrupta obligatio manet, nulla facta confuſione partis rei cum pecunia, ne eo modo ad communionem præter voluntatem ſuam creditor compellatur[x]. Per contrarium quoque, ſi creditor pluris æſtimatum fundum tradiderit, non aliter liberatur, quàm ſi quod iuſto pretio deeſt, ſuppleuerit[y]. Dari verò pro ſoluto res quæcumq; volenti creditori poteſt[z], ſiue in corpore, ſiue in iure conſiſtat. Nam & in ſolutum dari debitoris nomen poteſt[z]: eiuſq; ad eum qui ſic acceperit, quamuis nulla delegatio ſecuta ſit, periculum ſtatim pertinere dicitur[a]: qui mandatis ſibi à debitore actionibus, non in perſonam modò, ſed & in rem hypothecarias habiturus eſt actiones[b]. Ac directis quidem, quæ in ipſo, qui contraxit, radices egerint, non niſi procuratorio nomine experiri poteſt: vtiles verò etiam ſine mandato, exemplo eius, qui vel emerit, vel doti nomen acceperit, ei dari crediderim[c]. Cęterum qui in ſolutum rem dare creditori promiſit, nō eo minùs debiti quantitatē offerre poteſt[d], cum in eius gratiam id cautum fuerit[e], nec ad neceſſitatem præſtationis conuerti debeat. Alia cauſa eſt eius, qui creditorem rogauit, vt pignus certo pretio emptum poſſideat, ſibiq; habeat, idq; velle ſe literis ad eum miſſis ſit teſtatus. Nam poſtea ſortem cum vſuris offerendo non eo efficiet, vt ſibi poſſeſſione creditor cedat[f], non magis quàm ſi in ſolutum datam rem, & iam tranſlatam reuocare ſtudeat. Nec enim quicquam vetat pro debito pignus creditori addici, aut in ſolutū dari. Ratumq; & vtile pactum eſt, quo conuenit, vt ad diem non ſoluta pecunia pignus creditor iure emptionis iuſto pretio tunc æſtimandum poſſideat[g]. Qua in re inſcitè Accurſ. Marcello Iulianum aduerſari credit[h]. Maneat verò quod initio diſputationis huius poſuimus, Rem pro re volenti ſolui poſſe: nolenti, non poſſe. Itaque quærentibus, quid ſolui debeat, potiſſimum quid debetur, inſpiciēdum erit, & quid cuiuſque obligationis natura ferat. Quod nos generatim propoſitis iis quæ in obligationem deduci poſſunt, ſummatim perſequemur.

x l. ſi non ſortem. §. ſi centum. D. de cōdi. indeb.
y l. ſi quis rē. D. de ſolut.
z l. ſi in ſolutū C. de obli. & act.
a l. pupilli §. ſoror. D. de ſolutio.
b d. l. ſi in ſolutum. l. poſtquam. C. de hered. vend.
c l. 2. C. de oblig. & act. l. ex nominis. C. de hered. vend.
d l. quamuis. D. de ſolut.
e Arg. l. quāuis. D. de pig. act.
f l. Titius. D. de pig. act.
g l. ſi fundus. §. vlt. D. de pigno.
h In d. l. quāuis. de ſolut.

Obligationes interdum in dando, interdum in faciendo conſiſtunt. Dari verò vel quantitatem vel ſpecies, vel genera,

vel illud aut illud ſub diſiunctione ſtipulantur. Quæ ſpecies ſeparatim tractatum habent. Illud omnibus commune eſt, quòd huiuſmodi obligationibus qui tenentur, niſi rem accipientis fecerint, nullatenus liberantur[i]: hoc enim & verbo dandi continetur[k]. Qui decem debet, partem ſoluendo, in partem obligationis liberatur, & reliqua ſola in obligatione manent[l]. An autem partem debitæ pecuniæ, quæ in controuerſia non eſt, accipere inuitus creditor cogatur, valde diſceptatum eſt. Ego in hac quæſtione cum communi ſchola contra Dec. Alciat. Ferrettum ſentio. Quæ res quoniam lõgiorem orationem, prolixioremq; diſputationem deſiderat, à me in proprios locos reiicietur. Inter omnes ſanè conſtat, promiſſoris heredes ſuæ quemque patris præſtatione liberari[m], diuiſis ipſo iure ex l. xij. tab. nominibus[n]. Hic & illa quæſtio exiſtit, Num alterius generis quàm quæ promiſſa eſt pecunia, ſolui poſſit. Et ego, licet ſunt qui diſſentiant, ſolui poſſe arbitror, ſi modò nullum inde damnũ creditor patiatur[o]. Nec ferendum eum exiſtimo, qui oblatam in probata quaque moneta ſolutionẽ recuſet, cùm certi generis nominatim quantitas promiſſa nõ eſt. Idq; ita poſt multas varietates obtinuiſſe & Pariſienſi curiæ placuiſſe fertur[p]: qua de re copioſe à v. c. And. Tiraq. in lib. de Retractu[q] diſputatur, vnde quantum quoque modo videbitur, haurire quiſque poterit. Planè ſi ex mutatione pecuniæ incõmodum aliquod creditori accederet, nec melius, nec æquius eſſet in alia forma nummos promiſſos eum cogi accipere. Sed id damnum eſſe oportet, quod patrimonij diminutionem contineat[r]: neque enim ex nuda creditoris affectione res iſta æſtimanda eſt[s], quæ in nummorum corporibus iuſtam ac probabilem rationem nullam habet[t], cùm in his quantitatem atq; æſtimationem magis quàm ſpeciem intueamur[u]. Eamq; ad initium contractus referendam omnes conſentiunt, tum quòd ad bonitatem quodammodo videatur pertinere[x], tum etiam quod verba ipſa ad negotij geſti tempus vel in alijs quoque ſpeciebus referantur[y]. Idq; poſt gloſſatores[z] etiam Guido Papa probat[a]. Denique vt omnia concludamus, ita res ex æquitate temperanda eſt, vt durus, moroſuſq; creditor non audiatur eam ſolutionem recuſans, ex qua damni nihil ſentiat. Sa-

i l. ibi autẽ. §. vlt. de verb. oblig.
k § ſic itaque Inſt. de a'tio.
l l. 9. §. 1. D. de oiut.
m l. 2. § 1. l. in executione. § 1. de verbo. obl. l. 1. C. ſi cert. pet.
n l. cetera. D. fam. erciſc.
o l. paulus. ṽ. D. de ſolutio. l. vn. C. de arg. pret quod theſ. lib. 10 C.
p Rebuf in Cõment. conſtitut reg. tomo. 1.
q In §. 1. gl. 18.
r Arg. l. 3. D. de damn. inf.
s Arg. l. vlti. de vſu & hab.
t l. nummis. D. de in iit. iur.
u l. 1. D. de contr. empt.
x Arg. l cum quid. D. ſi cer. pet.
y l. Rutilio. D. de cõtrah. empt. l. medico. l. ſi ita. de auro. & arg.
z Gl. in c. cum conquerente. de off. ord. & ca. olim. & ca. cùm canonici. de cenſib.
a Decſ. 493.

nè reprobatam pecuniam adulterinoſq; nummos pro bonis ſoluens, nullatenus liberatur[b]. Adulterinos autem nummos veteribus fuiſſe plumbeos & ſtanneos ex eo facilè iudicare poſſumus, quòd eorum vſus l. Cornelia [c] interdictus eſſet: quæ quòd de nummis caueret, Nummaria appellata eſt. Argenteos quoque vel aureos nummos propter æris mixturam reiectos indicat Scęuolæ reſponſum [d], quo pecuniam, vt ęroſam, è Repub. ſublatam narrat. Nam hoc ſignificat apud eum verbum æroſa, vt in probatis codicibus legitur. Quo modo & æroſus lapis apud Plin. [e] & æroſa apud Feſtum [f]. Adulterari porrò ære pecuniam auream ſolitam & illud Perſii carmen oſtendit:

Ne qua ſub ærato mendoſum tinniat auro.

Quod crimen etiam l. Iulia peculatus coercebatur [g]. Et raſos quoque ſolidos [h], & quorum circulus exciſus eſſet, improbatos conſtat. Qua de re extat Conſtantini conſtitutio [i], quæ ſuperioribus annis à principe noſtro renouata eſt. Sed de his aliàs dabitur commodior dicendi locus. Nunc ad rem.

Suos item nummos debitorem ſoluere neceſſe eſt, vt ex ſolutione liberetur. Nam ſi alienos inuito vel ignorante domino ſoluerit, quamdiu pecunia extat, nō liberatur. Quibus tamen integris, ſi pergat petere creditor quod debetur, nec offerat quod accepit, exceptione ſubmouendus eſt [k]. Conſumpta verò ſine dolo malo pecunia debitori liberatio naſcitur [l]. Nam quæ ratio ſuadet, vt quamdiu nummi ſalui ſunt, liberatio debitori non contingat, quòd ſcilicet apud accipientem remanſuros eos incertum ſit, cùm à domino extantes vindicari, vel mala fide conſumpti ad exhibendum actione peti poſſint, eadem facit, vt conſumptis bona fide nummis ſolutio conualeſcat firmeturq; quoniam nulla iam ratione auferri à creditore poſſint: alioquin cum debitoris iactura creditor ditaretur, improbumq; lucrum ex alieno damno faceret, quòd à naturali ciuiliq; ratione abhorret [m]. Pari ratione ſi alieni nummi crediti ſint, conſumptione mutuum excitatur [n]. Nec quicquam intereſt, quomodo nummi ſoluti conſumpti ſint. Nam ſiue permutati [o], ſiue aliis porrò in creditū ſolutúmue dati [p], vel in corpus patrimonii verſi, vel aliis ita permixti fuerint, vt diſcerni non poſſint [q], conſumpti vide-

b l. elegāter. §. qui reprobos. D. de pig. act.
c l. 9. §. 1. D. ad l. Corn. de falſ.
d l. creditor §. 1. de ſolut.
e Lib. 34. ca. 1.
f Lib. 1.
g l. 1. D. ad l. Iul. pec.
h l. 8. ad leg. Corn. de falſ.
i Tit. de his qui ſolids circul. in Codic. Theod. lib. 9.
k l. ſi alieni nummos. D. de ſolutio.
l l. non omnis. § vlt. D. ſi cer. pet. l. Caſſius. D. de ſolut.
m l. nam hoc natura. de cōdi. indeb. l. iure naturæ. de reg. iur.
n l. nam & ſi. D. ſi cer. pet.
o §. conſtituitur. Inſtitu. de vſuf.
p l. non omnis. §. vlt. ſi cert. pet.
q l. ſi alieni. D. de ſolutio.

buntur. Communibus verò nummis ſolutis, pro parte confeſtim debitor liberatur r: pro ſolido nõ liberatur, cùm ſuæ tantum partis alienationem habeat s. Ceteris rebus, quæ pondere, numero, vel menſura continentur, debitis, nõ ambiguum eſt quamlibet ex eodem genere rem ſolui poſſe propter naturalem huiuſmodi rerum inter ſe functionem t: tãtumq; videndum eſſe, vt eiuſdem bonitatis cum ea quam accepimus reddatur u. Nec omittendum eſt eum, qui certũ argenti pondus debet, pecuniã numeratam eiuſdem ęſtimationis ſoluendo liberari, ſi non certum argenti genus debeat x.

Qvi fundum dare promiſit, in hoc tenetur, vt dominium ſtipulatoris omnino efficiat y: nec aliter vlla parte obligationis exoneratur, quàm ſi plenò iure fũdum eius fecerit z. Sed & ſi quid iuri rei promiſſæ deſit, etiam poſt ſolutionem integra ex ſtipulatu actio maneat a. Proinde ſi detracto vſufructu fundum ſoluat, non liberatur b, ſed adhuc ab eo fundi vſusfructus rectè petetur. Vſusfruct⁹ enim, licet dominij pars non ſit c, ius certè rei atque emolumentum continet d, & partis inſtar habet e, adeo vt fundus datus non intellegatur, cuius vſusfructus abſit f. Nõ idem de ceteris ſeruitutibus placet. Nam cùm fundum liberum ab omni ſeruitute præſtare promiſſor non teneatur, niſi optimum maximumq; promiſerit g, licet prius quàm traderet, fundo promiſſo impoſuerit ſeruitutẽ, ex ſtipulatu ceſſabit actio. Sed quia dolus interceſſit de dolo dabitur h, quæ hoc caſu neceſſaria eſt, propterea quod ſolutione ex ſtipulatu actio ſublata ſit, quę poſt ſolutionem ita demum manet, ſi aliquid plenæ dominij tranſlationi deſit. Nam certè vel fundo tradito ex ſtipulatu agere, vt de euictione eius caueatur, liceti. Et hoc eſt quod Vlpia. his verbis ſignificat k: *Fundum poſſum petere, licet mihi traditus ſit, ſi ius quoddam cautione ſupererit.* Quæ verba Accurſ. non intellexit. His conſequens eſt, & eum, qui alij obligatum fundum ſoluerit, non liberari, cum poſſit hypothecaria actione etiam in ſolidum à ſtipulatore auocari l. Solutione quoq; rei ſub condicione legatæ non antè heres liberatur, quàm certum erit remanſuram eam rem apud eum, qui accepit m. Denique ſi res aliena, cuiuſue aliena poſſeſſio eſt, vel cui ius aliquod deſit, ſoluta fuerit, obligatio non tollitur. Nec tantum

r l. ſi is cui nũmos. D. de ſolu. arg. l. ſeruus electione. §. 1. de leg. 1.
s §. Arg. ſi ſocius. D. ſi cert. pet. s. l. nemo. D. pro ſoc.
t l. 2. §. mutui ſi cer. pet.
u l. 3. D. eod.
x l. 1. §. vlti D. de aur. arg.
y l. vlti ante. §. vlt. de verb. oblig.
z l. ſi ita ſtipulatus. §. 1. de verb. obl.
a l. etiam D. de ſolutio.
b l. cum qui. §. ſi à . e. de verb. obl.
c l. rectè. de verb. ſign. l. ei per iuſiurandum §. illud. de acceptil.
d l. Mevius. §. pen. de leg.
e q. l. ſi à reo. §. ſi reo. D. de fideiuſſor.
el. cum filius. §. dominus de legat. ii. l. qui vſumfructũ. de verb. obl.
f d. l. qui vſũ fructum.
g l. pen. D. de euic. l. ſeruo legato. §. ſi fundus de leg. i.
h l. eleganter. §. non ſolum. D de dolo.
i l. Iulianus §. vlt. de verb obl. l. qui ſibi D. de ſolut.
k In d. l. etiã.
l l. ſi rẽ meã. D. de ſolut.
m l. qui res. de ſolut.

ſi ſtipulatori, verumetiam ſi adiecto res ſoluta euincatur, priſtina obligatio durat [n]. Sed enim qui alienas res ſoluerũt, heredes à dominis inſtituti, vel aliâs dominium nacti, deſinent teneri [o]. Ideoq; ſi ex peculio caſtrenſi filii rem aliquam pater ſoluerit, filio inteſtato mortuo perinde ac ſi rei domino heres extitiſſet [p], liberabitur [q]. Planè qui Stichum promiſit, Stichũ qualis eſt dando fidem impleſſe videbitur [r]. Ita fit, vt ſtatuliberum ſoluens liberetur [s], quia cum vtut eſt, promiſit: nec ſi heres à domino ſcriptus fuerit, amplius quicquam præſtabit, cùm abſque eius facto hoc contingat [u]. Alia cauſa eſt, ſi in genere homo promiſſus fuerit. Imputari enim homini promiſſori poteſt quòd alium hominem non dederit, qui latiſſimam omnium hominum ſoluendorum habuit facultatem [x], cùm Stichi promiſſor alium ſoluere, nec ſi velit, poſſit. Verũ ita ſtatulibero dato, Stichi promiſſor liberatur, ſi Sticho extrinſecus libertatis condicio obtigit. Nam ſi à promiſſore ei libertas in aliquem caſum deſtinata eſt, contra dicendum foret. Quare enim facto ſuo obligationem ſuã reus tollat? Et hoc caſu procedet ſingularis Neratii caſus [y]. Igitur qui Stichum debet, eum quo ſtatu, quâq; condicioneq; eſt, ſoluens obligationi ſatisfacit. Quare nec furtis noxiſue ſolutum præſtare neceſſe habet [z]. A ſe planè vulneratum dando minimè liberabitur [a], cùm factum ſuũ ꝟ præſtare debeat. Porrò Stichi parte ſoluta in partem obligationis liberatio naſcitur [b]. Quòd ſi plures ſpecies ſtipulatus quis deceſſerit, inter heredes ei⁹ ſingulorum corporum ſectione obligatio diuidetur [c]. Idẽ ſeruabitur & ſi cõmunis ſeruus ſtipulatus proponatur [d].

Qui hominem incertum promiſit, quemlibet hominem ſoluere poteſt [e] cùm ea promiſsio orationis compendio ſingulos homines complectatur [e]. Sed eum quem ſoluet, in plenum facere ſtipulatoris debet. Ideoq; ſtatuliberum [f], vel eũ, cui ex cauſa fidei commiſsi libertas præſtanda eſt [g], ſoluens non liberatur. Ille enim implicitum habet caſum libertatis, quo exiſtẽte à ſtipulatore auferetur, huic omnimodo libertas danda eſt, ad quam etiam ex Senatuſconſulto herede moram interponente eripitur. Sic neutrũ habere ſtipulatori licet: quamquam in ſtatulibero, ſi eo viuo condicio libertati ſtatuta defecerit, conſentaneum eſt proceſſuram liberatio-

n l. qui ſibi. D de ſolut.
o Arg. l. ſi Titio. D. de caſtr. pec.
q l. quires. §. rem autem. D. de ſolut.
r l. ſiã ſubſtituto §. vlti. de leg. i.
s l. 9. §. pen. D. de ſtatulib.
t l. ſi mihi alienam. D de ſolut.
u l. qui ſibi. §. pen & vlti. de ſolut.
x l Mauius § duobus. de leg. ii.
y l. Neratius de condi ind.
z l ſi à ſubſtituto. in fin. de leg. i.
a l. qui ſibi. § 1. de ſolut.
b l. 9 §. 1. de ſolut.
e l. in ſtipulationibus de verb. obl.
d l. 29. D. de ſolut.
e l. Mauius. duobus. de leg. ii. l. cũ incertus. de legat. i.
f l qui ſibi. in prin. de ſolutio.
g l. qui decẽ. §. pen. eo.

nem [h]. Alienum quoque hominem, vel eum, in quo vſusfructus alienus eſt, ſoluens, non liberatur, quoniam vno caſu nihil accipientis fecit: altero non totum, quod vtique neceſſe eſt. Si tamen viuo ſeruo vſusfructus extinguatur, quia totus incipit ad ſtipulatorem pertinere, debitori liberatio naſcetur [i]. Morte certè ſerui ipſius, vſufructu finito liberationem competituram nemo dicet, quòd nullo vmquam tempore hominem dediſſe videri poſſit. Sed & cùm alienus datus eſt, vſucapto eo debitor liberatur [k]. Hominem enim iam habet ſtipulator, qui ei auferri non poſſit. Præterea noxæ deditum vel nondum noxa ſolutum ſoluens, non liberatur [l]: quia hæ cauſæ ſerui habendi poteſtatem adimunt, cuius caput noxa ſequi vulgo dicitur [m]. Hoc amplius & ſerui, qui alii pignori teneatur, ſolutione debitori liberatio ante pignus diſſolutũ non acquiritur: cùm propterea accidere poſſit, vt ne habeat [n]. Geneneraliterq; euicto homine legato priſtina actio manet, cùm ſolutum non videatur. quod ita datum eſt, vt haberi non poſſit [o]. Et vt in pauca conferam, qui hominem debet, eũ ſoluat neceſſe eſt, quem ſtipulatori habere, & ad plenam libertatem, ſi velit, perducere liceat [p]. Turpi verò vili, infamiq; homine vtputa veſpillone dato, non eo minus liberati eum lex ait [q]: Veſpillo, aut, vt in Florentinis libris legitur, viſpellio, vilium atq; abiectorum cadauerum latorem ſignificat. Sueton. in Domitia. [r] Cadauer eius populari ſādapilę per veſpillones exportatũ. Apuleius lib. I I I. Floridor. Atque ita veſpillonum manibus extortum velut ab inferis poſtliminio domum retulit. In Pādectis etiam aliâs [s] hoc vocabulum occurrit: Cuius tamen loco alicubi [t] veſpertilionẽ malè Alcia. repoſuit [u]: quod Æſopi apologo defendere fruſtra quidam conantur. Fulgẽtius autem in lib. de vocib. Antiq. Viſpillones ait dictos baiulatores, quamuis Antidamus Heraclites Veſpillones dixerit cadauerum nudatores, ſicut in hiſtoria Alexandri Macedonis ſcripſit. Veſpas quoq; dictos eos, qui viliſſimi vulgi cadauera efferebant, Feſtus auctor eſt. Cuiuſmodi homines abiecti ac famoſi erant, propterea quod ignobilium hominũ cadauera efferebant, quibus propter egeſtatem funus publicè duci non poterat. Indignaque fuiſſe homine ingenuo talia miniſteria ſatis ille Satyrici lo-

h l. cum quis. §. qui hominem. de ſolu.
i d. §. qui hominem.
k l. is qui D. de ſolut.
l l. qui decē. §. pen eo.
m l. 2. D. ſi ex nox. cau
n l. 21 §. 1. D. commod l ſi. quis eum. D. de furt. Inſt. de noxal. §. 1.
o l. ſi hominẽ D. de ſolutio
p l. qui concubinam. § ſi heres. de leg. iii.
q d. l. quidecem. §. vlt.
r d. l. qui decem §. pen.
s Cap. 17.
t In l. ſed ſciẽdum. D. ad Trebel. l. ſi ita quis ſtipulan. ti. D. de euictio.
u In d. l. ſi ita quis ſtipulāti.
x Lib. 4. de verb ſign.

cus x arguit, quo ridet conductos ad *Purgandam eluuiem & portandum ad buſta cadauer.* Sed eorum hominum ſolutio ideo hominis promiſſorem liberat, quod datum hominem infitiari non poſsimus: & noſtrum factum eſſe ſufficiat, vtcumque vile ſit eius miniſterium. Atque hæc omnia, quæ de promiſſo homine dicta ſunt, ad legatum licebit transferre y. Porrò hominem deber, Stichi parte data, in nullam partem obligationis liberatur, ab eoq; adhuc homo peti poteſt z. Ideoq; ſi duo rei ſtipulandi hominem dari ſtipulati fuerint, & promiſſor vtrique partem diuerſorum hominum dederit, ab vtroque non magis liberatur [a], quàm ſi eidem diuerſas duorum partes ſoluiſſet, quia vna eademque vtriuſque obligatio eſt [b]. Quòd ſi decem homines ſtipulatus, duobus heredibus relictis deceſſerit, ſinguli cuique homines præſtabuntur, cõtra quàm ſi communi ſeruo homines decem promiſſi ſint. Nam cùm ambigua ea verba ſint, Decem homines, eorumq; dimidium duob⁹ modis intellegi poſſit, numero ſcilicet, vel ſingulis corporibus intellectu partitis, ſi quidem communis ſeruus ita ſtipulatus proponatur, v icuique ex dom nis ſingulorum hominum partes præſtandas Vlpia. probat [c]: quatenus hoc promiſſoris ſtipulatoriſq; menti magis cõſentiat. Conſtat enim communem duorũ ſeruum ſimpliciter ſtipulantem hoc agere, vt vnicuique ex dominis pro partibus dominicis, quas indiuiſas in eo habent, acquirat: eamq;, quam in ſeruo habent communionem, conſentaneum eſt eorum quoque omnium, quæ per eum ſtipulando vel per traditionem accipiendo acquiruntur, communionem inducere. Vt ergo ſine cuiſquam iniuria & iuſta querela diuiſio procedat: magis eſſe cenſet Vlpia. verborum ambiguitatem ex veriſimili contrahentium mente reiq; commoditate diſſoluẽs, partes corporum ſingulis deberi, At ſi decem homines ſtipulatus duos heredes reliquerit, numero inter eos fieri diuiſionem Iulianus ſcribit [d]. Qua ratione defendi poterit pugnantia vtrumque non loqui, aliamq; quod ad hanc rem attinet, plurium heredum, aliam plurium dominorum cauſam eſſe. Quod ita eſſe iuris ratione ductus affirmare nõ dubito: eoq; fidentius, quòd eam ſententiam his, qui de iure ciuili recta ſentire ſolent, placere ex familiari ſermone intellexi. Planè ſi

x Iouenal. ſatyr. 3.

y l. ſi à ſubſtituto §. vlt. de leg. 1.

z l. 9. §. 1. de ſolut. 2. §. ex his l. in executione §. pro parte. de verbor. obl.

a l. 33. §. 1. de ſolutio.

b l. 2. in fi. D. de duob. re.

c l. cum Stichus D. de ſolutio.

d l. in ſtipulationibus. de verb. obl.

decem homines,quos elegiſſet, ſtipulatus,poſt electionē factam deceſſerit,quia iam ſpecies certæ debentur ſingulis heredibus,ſingulorum hominū dimidiæ partes præſtabuntur[e].
Illa aut illa re promiſſa, electio eſt promiſſoris vtrā ſoluat[f]: adeò vt alteram pure petens creditor plus petere videatur, quòd reo adimat electionem[g]. Vna autem re electa, etiam ad alteram tranſire,& voluntatem in eo quod præſtaturus ſit debitor mutare non prohibetur[h], niſi ſe alteram ſoluturum ſtipulatori conſtituerit. Nam aliam deinde eligere ſalua fide, quam poſteriori conuentione dedit,non poteſt[i]. In legatis planè diſiunctiuis,aliud quàm in ſtipulationibus in hac parte ſeruatur. Poſtquam enim ſemel elegerit is, cui electio attributa eſt,mutandæ ſententiæ amplius non habet poteſtatem[k], propterea quod eam optionem confeſtim dominii tranſlatio ſequatur[l],lege ipſa ad exitum extremas voluntates perducēte[m]. Quod de ſtipulatione æquè dici non poteſt[n]. Vtique autem alteram ex rebus diſiunctiuè promiſsis à ſe deteriorē factam vel debilitatem promiſſor offerēs non audietur[o].Sed nec altera ante electionem perempta, ſuperſtitem ſoluere probè recuſabit[p]: quaſi ius electionis adhuc duret. Quod in diſiunctiua obligatione alterius morte conſumi placuit, ne ſi integrum id reo ſerues, in arbitrium eius conferas, an debeat[q]: quod iuris ratio non patitur[r]. Demortuæ tamen rei pretium, quæ longè vilior ſuperſtite fuerit,præſtare ei licere Vlpian. cenſet[s]. Quæ ſententia æquitatem habet, ſi modò cum per eum non ſtetiſſet quominus daret, caſu res interierit.Nam ſi facto eius ea perierit,qua tandem fronte eius æſtimationem offerret, cuius ſoluendæ ſibi ipſe facultatem ademit[t]?Igitur omnimodo ſpeciem, quæ ſupereſt, præſtare debet, quæ & ipſa,ſi antequam per eum factum eſſet quominus daret, deceſſerit,quamquam obligatio in totum ſublata ſit, ne tamen impune admiſſum ſuum ferat, doli actio in eum meritò deſiderabitur,cuius facto deſierit ſpecies prior dari poſſe. Et hæc eſt Pauli[u] ſententia,quam obſcuriorem virium librorum impreſſorum facit,in quibus totus hic locus malè punctis diſtinctus eſt. Planè ea re, quam promiſſor elegerat, citra culpam eius extincta, tota obligatio tolletur, quaſi ea ſola promiſſa fuerit quæ electa eſt[x].Enimuero ſi Stichum aut Pam-

e l. ſi centum. D. de verbor. oblig.
f l. plerumq; in fi. D. de iur. dot. l. 3. D. quod cert. lo. l. ſi in emptione §. vlt. D. de contr. empt.
g §. huic autem Inſtit. de actio.
h l. eum qui certarū §. vlt. de verb. obl.
i l. illud aut illud D. de conſt. pec.
k l. huiuſmodi §. Stichum. de leg. 1. l. ſtatuliberū §. vlt. de leg. ij.
l l. apud Aufidiū. de opt. leg. l. a Titio. D. de furt.
m l. 1. C. cōm. de leg.
n l. traditionibus. C. de pactis.
o l. qui ſibi. §. 1 D. de ſol.
p l. ſi in emptione § vlti. de cont. emp.
q l. non vtiq; D. quod cert. loc.
r l. hac conditio D. de cōtr. emp. cū ſimilibus.
s l. cum re. §. ſi Stichus. de leg. 1.
t l. Stichum. §. 1. de ſolut.
u In d. l. Stichum. §. 1. & ſeq.
x l. huiuſmodi §. Stichum de leg. 1.

Pamphilum, qui meus erat, mihi dari ſtipulatus ſim, hic ſi meus eſſe deſierit, Pamphilus mihi rectè ſoluetur [y]: in quo cum obligatio ab initio non conſtiterit [z], nec ad ſolutionem proficere poteſt, ſi quo caſu à ſtipulatore dominium eius diſceſſerit: propterea quòd in diſiunctiua obligatione vtraque res ad obligationem ponitur, non ad ſolutionem [a]. At ex cõtrario & qui hominem dari ſtipulatus ſit, vnum etiam ex his qui ſtipulationis tempore ei ſeruiebant, ſi poſtea eius eſſe deſierit, promiſſor ſoluens liberabitur [b]. Amplius & eum, qui duos homines promiſit, & Stichum ſoluit, poſſe eiuſdem, Stichi dominium poſtea conſecutum dando eũ liberari Marcellus ſcribit [c]. Et huius differentiæ ratio non eſt obſcura. Quamquam enim plerumque inter ſe hę obligationes comparentur, iiſdemq; iuris regulis conſiſtant, in hoc tamen ipſo vel longe lateq; diſtant, quòd qui hominem ſtipulatur, certam nullam rem in ſtipulationem deducit, & ex ſolutione demum quid in ſtipulationem venerit, declaratur. Itaque nihil impedit eum, qui ſtipulationis tempore ſtipulatoris erat, hominem ei ſolui, quia non fuerit hic obligatione nominatim comprehenſus: vt proinde eius ratione non poſſit dici ab initio obligatio nõ conſtitiſſe. Quod in diſiunctiua ſtipulatione ſecus eſt, in qua vtraque res obligatione continetur. Ideoq; ſi earum alterutra ſtipulatoris ſit, protinus obligatione eximatur. Sed vt paulo antè ita hîc quoque legata à ſtipulationibus ſeparanda eſſe iuris ratio ſuadere videtur. Hominis enim legato alteraque ſtipulatione, ſinguli homines cõtinentur, cum eorum, qui in familia relicti ſunt, optio vi ipſa data videatur [d]. Cui conſequens eſt, vt nec in iis qui ab initio legatarii fuerunt, nec in iis qui poſtea eius facti ſint, legatum conſiſtat, inutiliſq; ſit etiam eorum, quorum dominus eſſe legatarius deſierit, ſolutio. Quamobrem, fatendum eſt enim probare non poſſum ea verba quæ apud Papin. interſeruntur [e]: *eademque ratio ſtipulationis eſt*: nam & ei ſententiæ tam Africanus quàm Marcell. repugnant: ad quorum conciliationem nihil affertur quod ſani hominis animum expleat: cùm & Accurſianam ſolutionem probata Pandectarũ Florẽtinarũ lectio refellat, & ceterorũ ridiculæ ſint cõiecturæ. Tũ verò quæ à Papiniano ſubijcitur ratio, ſtipulatio-

bb

[y] l. qui decẽ. § Stichum. de ſolutio.
[z] l. nemo rem ſuam. de verbor. obl.
[a] l. ſi duo rei. D. de verbo. oblig.
[b] d. l. qui decem. § Stichũ.
[c] l. ſi quis duos. D. de ſolutio.
[d] l. 3. D. quib. ad liber. proc. l. 2. D. de opt. legi. l. Marpius § duorũ. de legat.
[e] d. l. Manias § duorum.

ni nullo modo conuenit, vtrumuis membrum ſumas. Et omnino nihil hominis legatum cum ſtipulatione hominis ſimile habet. Ego tamen Amplius pronuntiandum cenſeo. Non enim ſatis liquet.

Interdum tamen in ſtipulationibus ſub diſiunctione conceptis electionem ſibi creditor reſeruat: quæ alioquin vel tacenti debitori iuris interpretatione deferretur. Et hoc caſu intereſſe dicimus, ita ſtipulatio concepta ſit, *Illum aut illum quem voluero, an, quem volam*: illo enim caſu ſemel dumtaxat eligere ſtipulator, hoc verò ſententiam mutare, ſubindeq; variare propter tractum temporis, quem παρατατικὰ ea verba habent [f], poterit, quoad iudicium dictauerit [g]. Nam altero certè petito electionis ius conſumitur [h]: quemadmodum & in aliis ſimilibus ſpeciebus obtinet [i]. Altero etiam mortuo, qui viuit, ſolus petetur, niſi in eo, qui mortuus eſt, creditor moram paſſus fuerit: tunc enim perinde ſolus ille, qui deceſſit, debetur, ac ſi ſolus in obligationem deductus fuiſſet [k] vtiliterq; perpetuata ex mora obligatione, perinde ac ſi extaret, petetur. Vnde ſi ante moram à debitore interpoſitam ſine eius facto electa ſpecies periiſſet, liberari debitorem, nec eã quæ ſupereſt, peti poſſe diceremus [l]. Ceterùm parte vnius ex rebus ſub diſiunctione promiſſis, ſoluta, ne pro ea quidem parte liberatio contingit [m]. Ideoq; ſi Stichum aut Pamphilũ ſtipulatus, duos fideiuſſores accepero, & alter Stichi, alter Pamphili partem ſoluerit, vterq; manet obligatus [n]: aut ſi antequam quicquam accepiſſem, duobus heredibus relictis deceſſero, non aliter obligationi ſatisfiet, quam ſi heredibus idem homo in ſolidum præſtetur, ne in diuerſis hominibus contra ſtipulatorum mẽtem ſolutio fiat [o]. Quòd ſi mihi Stichum aut alii Pamphilum dari ſtipulatus ſim, Pamphilo alii ſoluto à me promiſſor liberabitur [p]. Idemq; eſt, ſi mihi decẽ aut hominem Titio dari ſtipulatus ſim, & homo Titio datus ſit [q]. Vtroque tamen caſu non ipſo iure promiſſor, ſed per exceptionem demum liberatur [r]. At ſi ſibi decem aut quinque Titio dari ſtipulatus ſit, non æquè abſolutè reſpondebimus quinque Titio ſolutis totius obligationis liberationem naſci ſed ita demum, ſi hoc expreſſim actum fuerit, vt quaſi pœna in ſtipulantis perſona adiiceretur, ſi Titio ſolutum non eſſet

f l. 5. in fi. D. ad Tertull. gl. l. ſi quis ſtipulatus ſit D. de verb. obl.
g l. ſi is qui D. de precar.
h l. ſed et ſi in mellis D. de ſolut. l. 1. D. de pen. leg.
i l. Stichum. D. de ſolut.
k l. ſi ex legati D. de verb. ob.
l arg. l. huiuſmodi §. Stichũ de leg. 1
m l. 2. §. & harum. de verb. obl. l. ſi non ſortem. §. pen. de cõd. indeb.
n l. qui homi nem. §. ſi decem de ſolut.
o l. in executione §. pro parte. de verbor. obl.
p l. qui res §. mihi Romæ. de ſolutio.
q l. qui homi nem §. ſtipulatus D de ſolutio.
r l. vlt. §. cum mihi. D. de verb. obl. l. obligationum fere §. acceptio de obl. & act.

Nam ſi ſimpliciter eo nō acto ſtipulatio huiuſmodi interceſſerit, etiam quinque Titio ſolutis reliqua quinque in obligatione manent[s]. Cuius differentiæ rationem vel minus accurata cogitatio ſuppeditat. Nam qui ſibi decem aut alii quinq; dari ſtipulatur, vtique minuendæ eius ſummæ cauſa, quā ſibi dari ſtipulatus eſt, Titii perſonam adieciſſe intellegi non poteſt, ſed in hoc tantum, vt vel alii pars, quinque ex decem ſolui poſſent, quatenus hoc promiſſori commodius foret. Vna enim ſumma eſt quæ in ſtipulatum deducitur, cuius partem Titio ſolui permiſit. Aliam eius eſſe cauſam qui ſibi Stichum aut alii Pamphilum vel ſibi decē aut alii Stichum dari ſtipulatus eſt, res infitiari nō poſſumus, cùm eiuſmodi ſtipulatione diuerſæ penitus & inæquales ſpecies concludantur, quarum non poſsit altera alterius pars videri. Sed & ſi ex cōtrario ſibi quinque aut alii decem ſtipulatus quis fuerit, ex conceptione ſtipulationis apparet quinq; Titio ſolutis promiſſori liberationem non contingere: quippe qui Titio decem dare promiſerit[t]. Plane qui hominem aut decem tibi aut Titio dare ſpoponderit, poſt partem hominis Titio traditam, ſi tibi decem numerauerit, partem hominis, quæ decem ſolutis indebita eſt tibi, cuius contemplatione & voluntate ſoluit, recte condicet[u]. Quemadmodum autem illa aut ille re promiſſa in poteſtate electioneq; debitoris eſt, vtram præſtet, ita & vtraque per errorem ſoluta liberum repetendi quam velit, arbitrium habet. Quæ Iuliani & Papiniani ſententia fuit, quam Iuſtinian. reiecta contrà ſentientium[x] opinione magis probat[y]. Ei porrò qui ſub alternatiua debet, non multum abſimilis eſt, qui decem in melle promiſit. Eligere enim poteſt, vtrum mel an decem præſtet. Sed hoc, quamdiu lis cum eo de pecunia conteſtetur. Nam iudicio accepto ſola decem ſoluere poterit[z]. Et hæc de obligationibus, quæ ad dandum obſtringunt. De faciendi verò obligationibus quæ traduntur, hæc ſunt. Facto pro facto ſoluto liberationem nō contingere[a]. Et ideo eum, qui inſulam vel nauem à ſe fabricandam promiſerit, ſi hoc ſpecialiter actum ſit, vt ſuis operis eam perficiat, ab alio extructa inſula non liberari[b]: quòd ōnium artificum nec eadem induſtria ſit, nec æqualis peritia[c]: vt aliud planè quàm promiſſum eſſet, ſolutum videatur.

s l. qui res. §. qui ſtipulatus D. de ſolut.

t d. §. ſtipulatus.

u l. qui hominem. D. de ſolut. Arg. l. ſi non ſortem §. libertus. in fi. de cond. indeb.

x l. ſi non ſortem §. penult. de cond. ind.

y l. pen. C. de cond. ind.

z l. ſi decem in mille. D. de ſolutio.

a l. qui res. § mihi Romæ. de ſolut.

b l. inter artifices. D. de ſolutio.

c Arg. l. ſi nō ſortē §. libertus. de condi. indeb.

Atque hic etiam haud aliter quàm in ſtipulationibus dandi, qui in tuo aut Titii loco inſulam fieri ſponderit, electionem habebit, quo loco ædificet: & alterutro ædificauerit, liberabitur[d].

Ex his perſpicuum fit, quid in quoque genere obligationis ſit præſtandum. Vt autem id ipſum, quod debetur, ita & eo, quo debetur modo, ſolui neceſſe eſt. Quo fit, vt alio quàm in quem promiſſum eſt, loco, inuito & diſſentiente ſtipulatore ſoluere promiſſor non poſſit e, niſi & quod ratione loci eius interſit, ſimul offerat f. Ac nec ſi alibi ei, cuius perſona ſtipulatione comprehenſa eſt, ſit ſolutum, liberatio ſequetur g niſi vti id liceret, ſtipulatione cautum ſit h. Alioquin deteriorem in accipiendo ſtipulatoris cauſam facere, aut eas quæ obligationi inſunt, clauſas conditionesq; mutare ei non permittitur. Idem in factis ſequimur, vt ſi inſula alibi quam vbi promiſerat extructa ſit, in nihilũ promiſſor liberetur. Quod ſi locus in obligatione dictus non ſit, hic erit diſtinctionibus Bartoli locus[i], quas multis verbis perſequitur, ex quo aſſumẽda erunt, quæ ad hunc locum pertinebunt. Quod in diem promiſſum eſt, ſua die ſolui debet: poſt diem male ſoluitur. V enim bis dat qui citò dat, & plus petit qui ante diem petit k ita & minus dat, qui tardiùs dat[l]. Et hoc eſt quod noſter, Calliſtratus ſcribit m; Solidum non ſolui non minus quantitate quàm die. Ante diem vtique ſolui poterit, quod in diem debetur n quando quidẽ pro promiſſore diei dilatio adiicitur, cur totum medium tempus ad ſoluẽdum liberum relinquitur o. Quod tamen non efficit, vt per errorem ante diem ſolutæ pecuniæ condictionẽ debitor, quaſi plus ſoluerit, habeat p: cum ex ea promiſſione quæ in diem collata eſt, præſens naſci obligatio ſola in diem dilata exactione credatur q. Cum vero creditoris gratia prꝍſtationi faciendæ dies dictus eſt, idq; ipſum vel nominatim comprehenſum eſt, vel euidẽtibus argumentis apparet, tunc præmaturè ſoluere volentẽ repelli poſſe omnes conſentiunt, quia creditoris interſit diẽ expectari r. Quæ res implicitas quaſdam difficultates habet, quas nunc non eſt narrandi locus. Eum plane, cui libertas ita adſcripta eſt, ſi annua, bima, trima die decem dediſſet, tota ea ſimul heredi non expectata die offerre poſſe conſtat s: cum

d d. l. qui res §. mihi Romæ

e l. 8. C. de ſolut. l. 1. Lis qui D. quod cert. loc.

f l. 3. § Iulianus. D. quod. cert. loc.

g d. l. 3. §. id. in Iulianus.

h l. qui res §. mihi Roma. de ſolut.

i In l. ſtẽ illa. §. v. t. de cõſti. pec.

k §. plus autem. Inſtit. de actio.

l l. ſi cui ex empto. in fin. D. de verb. ſi.

m l. ſolidum D de ſolut.

n l. quo in diem. D de ſolutio.

o l. cum tempus. D. de re. iur. l. ſtipulatio iſt. §. incertam. de verb. oblig.

p l. in diem. D. de condi. ind.

q l. cedere. D. de verb. ſig.

r l. qui Romæ. D. de verbor. obli l. cũ qui D. de ann. leg l. ſi ita relictũ §. Pegaſus. de leg. ii.

s d. l. . §. Stichus D. de ſtatulib.

ſine iuſta creditoris querela hoc fiat, qui dilatione ſublata, ilico accipit, quod nir poſt tempus alias non eſſet conſecutus: celeritate præmatura ſolutionis medij temporis commodum quod ex fenuo parari poſſet, compenſante [t]. Nec hanc vnam benignam ſententiam fauor libertatis expreſſit, cuius cauſa ſemper & vbique præcipua eſt. Condicionalis debitor pendente adhuc condicione ſoluere poteſt: & ea exiſtente iam olim liberatus fuiſſe intellegetur: deficiente ea, repeteret [u] hoc ita, ſi volens creditor accipiat. Cogi enim eum accipere quod certum non ſit debitum iri, ſatis inciuile eſſet, ſi neque diem, neq; condicionem obligatio habeat, ſtatim ſolui oportet, niſi ex re ipſa tacitam dilationem promiſſio capiat [x]. Quod tamen cum aliquo temporis laxamento intellegendum eſt [y] Non enim omnia ad viuum ſunt reſecanda, ſed ex bono & æquo interpretanda. Iudicatis quidem certè ex xij. Tab. triginta dies iuſti erant. In conſtitutoria actione decem dies promiſſori indulgentur [z]. In ceteris cauſis nihil eſt expreſſum. Humanum tamen eſt tantum temporis dari, quo res conquiri commodeq; ſolui potuerit [a]. Verùm enimuero tẽpore opportuno ſolutio offerenda eſt, noctu enim ſolutio intempeſtiuè fiat [b]. Videndũ & illud eſt, vt totum illud, quod debetur, non imminutum neque deterius factum ſoluatur [c]. qui locus antea à me tactus eſt. Ex quibus efficientem ſolutionum cauſam, materiam item, ac formam explicatam habemus. Reſtat quarta pars, quæ ſolutionum finem & effecta complectitur, cuius explicatione libellus hic cõcludetur. Finis autem ſolutionis eſt liberatio, & ſolutionem recte factam hic effectus ſequitur. Nam cum ea res, quæ debetur, vel alia volenti creditori eo quo debet modo ſoluta eſt, debitori proculdubio liberatio naſcitur. Qua in re ſtatui hoc in vniuerſum poteſt, vt ex ſolutione liberatio contingat accipientis fieri nummos oportere. Fient verò proculdubio, ſi dominus ſit qui numerat: atque adeo vel ſolo poſitæ ante oculos pecuniæ aſpectu [d]. Alioquin ſola vſucapiendi condicio ex numeratione transferetur [e], ac nec obligatio tolletur. Omnino enim ſoluti nummi non videntur, qui creditori auelli poſſunt [f]. Ideoq; alienis nummis ſolutis ante conſumptionem debitor non liberatur [g]. Eademq; ratio facit, vt à pupillo fa-

t l. ſi ita. § pe D. de man. teſt.

u l. ſub condicione. D. de ſolutio.

x l. interdum. D. d ver. obl § loca. Inſtit. eo.

y l. quod dicimus. D. de ſolutio.

z l. promiſſor. § 1. D. de conſt. pec.

a [illegible] Inſti. de inutil. ſtip. arg. l. ſi domus § in pecunia. de leg. i.

b Bartol. in l. more. D de feriis Bald in l. acceptam. C. de vſur.

c l. § ſi reddita. D commod. l. 1 § ſi res. D. depoſ. l. etiam. D de ſolutio.

d l. pecuniam. D. de ſolut.

e l. proculus. D de iur dot. titu. pro ſoluto. D.

f l. 3 § ſi quis ſeruum. D. de ſtatulib.

g l. Caſsius. D. de ſolut.

ctam ſolutionem, liberationem parere negemus, nimirū quia eos alienare non potuit, qui nullius rei alienationem habet. Etiam ſecundum hæc, ſi ſuos nummos creditor accipiat, liberatio non ſequetur h, quoniam nihil in accipientem tranſeat, ſed ſuos nummos incipiat creditor habere i. Sed & ita accipientis fieri nummos oportet, vt apud eum remaneant: contratiaq; hæc noſtri faciunt Repetere & Liberari k ex quo efficitur & eum, qui ſic ſoluit, vt ſtatim reciperet, non liberari l, cùm cepiſſe creditor non videatur quod apud eum remanſurum non ſit m. Quæ tamen ratio non impedit, quominus & acceptis nummis, & retro redditis ei, qui ſoluit, liberatio præſtari poſſit n, cui cùm ita nummos non numeret, qui ſoluit, quaſi ſtatim recepturus, neque id in ſoluendo agatur, ſed hoc creditor ſua ſponte faciat, qui etiam nulla re accepta potuiſſet debitorem liberare. His conſequens & illud eſt, ex parte heredem inſtitutum, qui tota decē, quæ defunctus promiſerat, ſoluerit, pro ea tantùm parte, pro qua heres eſt, liberari o: quia quod amplius ſoluit, repetere poteſt diuiſis ipſo iure ex l. xij. Tab. nominibus p. Vna autem numeratione, interdum plures obligationes tolluntur q: nec quicquam prohibet in plures cauſas eandem pecuniam ſolui r. Rei certè ſolutione & pignora, & fideiuſſores, appromiſſoreſq;, intercesſores s, mandatores t, & eiuſdē obligationis ſocij u liberantur. Quamobrem ex duobus tutoribus alter ſolidum, quod ex cauſa tutelę debebatur, ſoluens, in ipſa ſolutione poſtulare debet ſibi aduerſus collegam mandari actiones x, fruſtra poſtea id deſideraturus, niſi de eo quoque antè conueniſſet, quòd ea ſolutione creditoris actiones extinctæ ſint, quemadmodum initio huius libri perſtrinximus. Aliter atq; ſi ideo tutor damnatus ſit, quod à debitore pupilli non exegiſſet. Nec enim poſt ſolutionē ipſam malè petet ſibi aduerſus debitorem, cuius obligationem diſſoluit, mandari actiones y: quod priore caſu inutiliter idcirco poſtulat, quia non tam in alienam, quàm in propriam cauſam ſoluiſſe videatur, licet exceptione aduerſus creditorem bis idem exigentem z alter ſe tueri poſſit. Sed etſi quod ego debeo, alius non nouandi animo promiſerit, licet vterq; teneatur, alterius tamen ſolutio alteri quoque afferet liberationem a. Verſa vice fide-

h l. 22. §. ſi madauerim. D. manda.
i Arg. l. ſi in area D. de cōdi. indeb.
k l. cùm is §. 3. D de condi. ind. l. 34. §. vlt. D. de ſolut.
l l. 55. D. de ſolutio.
m l. cepiſſe. l. aliud. de verbor. ſign.
n l. ſi quis duos. D. de ſolutio.
o l. 25. D. de ſolut. l. ex teſtamento §. 1. de fideiuſſor.
p l. pro hereditarijs. C. de her. act. l pacta. C. de pac.
q l. 44. D. de ſolutio.
r l. cum quis. §. de peculio. D. eod.
s l in omnibus. D. eo.
t l. Vranius. D. de fideiuſſ.
u l. 3. §. vlt. de duob. re.
x l. Modeſtinus. D. de ſolutio.
y l. Stichum. §. ſi mandato. D. de ſolut.
z Arg. l. bona fides. D. de reg. iur.
a l. 8. §. vlti. D. de nouat.

iuſſorum mandatorumq; ſolutionem reis proficere non dubitatur. Si tamen ſeruus filiúſuefam. non ex re peculiari ſuſcepta obligatione fideiuſſerit, & ſoluerit, non antè is, pro quo interceſſit, liberabitur, quàm dominus vel pater ratam habuerit ſolutionem[b]. Nam in hanc cauſam peculiares nummos alienare in aliena poteſtate conſtitutis perſonis non licet[c]. Sed enim mandatoris ſolutio ipſo iure reum non liberat, quod ſuæ obligationis cauſa, cuius poteſtate ad ſolutionem compulſus eſt, ſuoq; nomine magis quàm liberandi debitoris cauſa ſoluiſſe videatur[d]. Ideoq; ei, quas aduerſus reũ habet actiones, præſtare creditor vel poſt ſolutionem neceſſe habet[e]. Qua ratione & quod alienæ hereditatis poſſeſſor creditoribus ſoluit, ipſo iure verum heredem non liberat[f], videlicet quia ſuo, non hereditatis nomine ſoluit, vt meritò velut indebiti ſoluti euicta hereditate, ei repetitio tribuatur. [g] Hic autem non incommodè velut exceſſus loco ſubiungetur, quotiens actione aliqua plures tenentur, quę rei, vel eius quod intereſt, perſecutionem reſpiciat, vnius ſolutionem ceteris omnibus prodeſſe, cũ in pœnalibus vnius ſolutio alios non liberet[h], quia ſui quiſque delicti pœnam ſufferat[i]. Etiam illud adiungam, quod non diſſimili cauſa nititur, litis æſtimatione ab eo ſoluta, qui ex aliena hereditate quid dolo poſſidere deſiit, poſſeſſorem non liberari[k], quoniam doli pœna præſtatur ab eo, qui poſſeſſionem dolo amiſit[l]. Verùm eius demum, quod in obligationem deductum erat, ſolutio ad liberationem proficit[m]. Nam quod pœnæ nomine à debitore dependitur, lucro creditoris cedit, nec debito imputatur[n]. Ideoq, quod propter pignus ſurreptũ debitor furti actione creditori pręſtitit, pecuniæ debitæ non affert liberationem[o]. Verè autem ſoluta pecunia, non eo minus debitor liberatur, quòd inductum chirographum non ſit[p], quod poſt ſolutionem etiam vtiliter condicetur, quaſi iam ſine cauſa ſit apud creditorem[q]. Hic videndum eſt, ſi ex pluribus cauſis debitor ſoluerit, quæ potiſſimum obligatio tollatur. Primùm quidẽ is ipſe qui ſoluit, dicere poteſt, quo ſe potius debito exonerare velit[r], nec quod in ſortem ſe dare dixerit, in vſuras iuſtè creditor retinebit[s]. Certam enim legem ei quod ſoluit dicere cuique licet. Ideoq; & ita ſoluere, vt ex duobus fideiuſſori-

[b] l. ſi ſeruus. D. de fideiuſſ. eſ. l. 3 § ſi filiusfam. D. de pecul.
[c] l. Papinianus. D. mã la.
[d] l. Stichum § ſi mandato. de ſolut.
[e] l. ſi quid. poſſeſſor. D. de pet. hered.
[f] l. ſi pœna. § 1. D. de cõdi. indebi. l. cum quis §. de peculio. D. de ſolutio.
[g] l. 1. C. de cõdi. furt. l. 1 §. ſi plures. D. de eo per quem factũ er. l. 14 §. vlti. D. quod met cau l. 2. § 4. D. de his qui deiecer
[h] l. 1. §. planè. D. de tu. & ra.
[k] l. Stichum. §. dolo D. de ſolut. l. etiam. in fi. D de pet. hered.
[l] Arg. l. locũ. §. cond mnatu. D de tab. exhib.
[m] in Inſt quib. mod toll. obl. in prin.
[n] l. id quod. D. de ſolut.
[o] l. ſi debitor. D. de furt. l. ſi pignore D. de pig act.
[p] l. inductum. C. de ſolut.
[q] l. vlti. C. ad exhib. l. vlt. C de con. ſine cau.
[r] l. 1. l. Paulus. D de ſolu.
[s] l. creditor. §. 1. D. de ſolu.

t In hiis §. 1. D. eod. bus vnum liberet, reus poteſt t: quo caſu non ex vniuerſitate debiti decedet quod ſolutum erit, ſed ei ſoli proficiet cuius nomine ſit ſolutum: quemadmodum ſeruatur, & cùm vnus u l. quotiens. D. de ſolut. ex fideiuſſoribus partem ſuam ſoluit u. Quod ſic accipiendum eſt, vt alter ex fideiuſſoribus, quo minus reſiduæ portionis iudicium accipiat, recuſare non poſſit. Nec enim quicquam prohibet etiam eum, qui ſoluit, in id, quod deeſt, conueniri, cum non ipſo iure inter fideiuſſores ab initio actio diuidatur, ſed per exceptionem demum eius quantitatis diui- x l. inter eos. §. 1. D. de fideiuſſo. ſio fiat, quā litis conteſtatæ tempore ſinguli debent x. Quamquam humanius ſit, ſi & alter litis conteſtatę tempore ſoluendo ſit, exceptione ei, qui ſoluerit, ſuccurri. Quòd ſi ſimpliciter atq; indiſtinctè debitor ſoluerit, nec dixerit in quam cau- y l. 1. C. de ſolutio. ſam ſolutum vellet, conuertitur electio ad creditorem y, cui lex arbitrium dat in re præſenti ſtatuendi, cui debito acceptum ferat; quod ſolutum eſt: ita tamen, vt in id conſtituat z l. 1. D. de ſolutio. ſolutum, id quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus z. Nec enim meræ eius voluntati res permittitur, qui proculdubio in infirmiorem leuioremq; cauſam ſolutum imputaturus eſſet, vt eſt hominum ingenium: ſed velut in viri boni arbitrio ponitur. Quæ res efficit, vt in duriorem ſemper cauſam, & cuius diſſoluēdæ neceſſitate debitor premebatur, ſibi accepto ferre debeat. Ita enim in ſuo conſtitueret nomine. Aliter atque a l. 3. D. eod. de pretio ex pignoris venditione redacto ſtatuatur, quod vel in ea, quæ natura tantum debentur, creditor imputare po- b l. ob triginta. l. Paulus §. 1. D. eod. teſt b. Cuius differentiæ cauſa in illo poſita eſt, quantum ego iudicare poſſum, quod apud creditorem conſtitutū pignus, quamquam ſimpliciter, vel etiam in certam ſpeciem datum, c l. quæſitum. in fi. D. de pigno. l. natura liter in fi. prin D. de cōd. ind. in omnes tamen cauſas retineri poteſt c: vt meritò ex eius venditione confectam pecuniam creditori in quodcumque debitum referre liceat, cùm id pignoris retentione ſeruare potuiſſet d. At in contrarium ſumma ratione fit, vt ſoluta in- d l. per retentionem. C. de vſur. l. vn C etiam ob chirograph. diſtinctè pecunia in eam cauſam conuertatur, ex qua ad ſolutionem vrgeri debitor potuiſſet, quod eam eſſe ſoluentis mentem, ex qua huiuſce rei definitionem petendam lex cen- e Arg. l. cum de indebito. D. ſi probat. ſuit, auguremur e. Cuius perſonam quaſi creditor induat, vel magis quaſi rem eius agat, ita ſtatuere debet quod debitum releuatum velit. Vtriuſque verò demonſtratione ceſſante, id

eſt,

eſt,ſi neque debitor quod potius debitum ſolutum velit, expreſſerit,neque id creditor conſtituerit,in grauiorem nihilominus durioremq; cauſã pecunia ſemper imputabitur f. Itaque in vſurarium prius debitum,quàm non vſurarium, & in vſuras prius, quàm in ſortem ſoluta cenſebitur, quæ ei prægrauent magis & debitum augeant, incrementóq; ſuo paulatim nec ſic opinantem debitorem obruunt, vt tritum iam ſit vetuſtate prouerbiũ θᾶττον ὁ τόκος ἡρακλείτῳ πενίᾳ τρέχει g. Etenim, vt eſt eleganter à Demoſthene h ſcriptum, οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ μεγάλοις τόκοις μικρὸν εὐπορήσαντες, χρόνον ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀφίστανται. Ex quo eſt apto epitheto à poetis vorax,veloxq; vſura appellata. Lucan.lib.1.

Hinc vſura vorax, auidumq; in tempore fœnus.

Et Auſon.in Egloga de Ambig.vitæ: *— Si turpia lucra*

Fœnoru, & velox inopes vſura trucidat.

Idemq; apertè apud Ariſtophanem creditor ille ſignificat qui interrogatus quid eſſet τόκος, reſpondet, τί δ' ἄλλο γ', ἢ κατὰ μῆνα καὶ καθ' ἡμέραν Πλεόν πλεόν τ' ἀργύριον ἀεὶ γίνεται τοῦ ὑπορρέοντος τοῦ χρόνου, vt ad ea quæ cauſæ noſtræ propria ſunt, veniam,illa quam initio poſuimus ratione, & in famoſam potiùs, quàm non famoſam cauſam, & in id prius quod ſatiſdato, quàm quod ſine cautione debetur, & in id quod proprio nomine potius, quàm quod alieno debetur, ſimpliciter ſoluta pecunia accepto feretur.Qua in re,vt certos quoſdam gradus faciamus,ſic ſtatuo, ante omnia in id quod proprio nomine debetur,pecuniam ſolutam videri.Et cùm multis ex cauſis ſuo nomine quis teneri poſſit, in eo numero primũ eius, quod ex pœnali, famoſaq; cauſa, vel quæ infitiatione creſcit,habendam eſſe rationem.Deinde eius, quod ſub pœna,vſuris,fideiuſſoribus, pignoribúſue debeatur. Poſtremò in chirographariis pecuniis in eas priore loco ſolutionẽ proficere obligationes,ex quibus ad ſolutionem reus tunc compelli potuiſſe,id eſt,quę præſentes ſint, & vtriuſque iuris vinculo ſuſtineantur i. Enimuerò quod dicitur in vſuras prius quàm in ſortem pecuniam accepto ferendam eſſe, ita procedit,ſi vtroq; iure vſuræ debeantur, vt ad eas ſoluendas compelli debitor poſſet k. Nam ſi quædam naturaliter tantum debeantur,neque peti poſſint, vtputa ſolo pacto in ſtricti iudi-

f l. 3. & 5. D. de ſolut.

g Refertur à Suida.

h Olynthiaca 1.

i l. ſi quid. l. cum ex pluribus 1 & ii. D. de ſolutio.

k l. in his. de Imperator. D. eod.

cij contractu promiſſæ, ex quo citra ſtipulationem vſuras nõ deberi conſtat [l], non repetetur quidem nominatim in eas ſoluta pecunia: ſed non eo titulo ſoluta, ex creditoris arbitrio in eas vſuras non imputabitur, quarum nomine non aliter ſolutio facta intellegitur. quàm ſi hoc nominatim ſit expreſſum. At in cõntrarium, ſi duabus ex cauſis debitor pignus dederit, ex quarum vna pacto, ex altera per ſtipulationem vſuræ debeantur, pretium ex diſtractione pignorum confectum æqualiter ad vtramque cauſam pertinebit. Nam licet earum aliæ naturaliter tantum debeantur, poterat tamen & has per retentionem pignoris creditor ſibi ſeruare [m], qui liberũ pretij in eam quam elegerit cauſam, conuertendi habet [n]. Nec ambiguum eſt pignore interueniente ex pacto vſuras licito iure retineri [o], quarum petitio citra ſtipulationem non detur. Atq; hic eſt reſcripti illius ſatis intricati, quod Vlpian. refert [p], ſenſus. In quo indebitas vſuras & eas appellat, quæ naturaliter tantum debentur, quòd ſcilicet peti non poſſint, ſicet ſolutæ retineantur. Deberi enim proprie id demum videtur, quod peti, & ab inuito exigi poteſt [q]. Ideoq; & ſeruos [r], & eos qui natura dumtaxat tenentur, per abuſionem debitores dici s noſtri conſentiunt: & deberi pecuniam intellegunt, quę ſtatim peti poteſt [t]. Cùm verò vſuræ iure debentur, etſi creditor ſolutionem accipiens cauerit ſe in ſortem & vſuras accipere, prius tamen in vſuras cedet quod ſolutum erit, pòſt deinde in ſortem [u]. Nec enim ordo ſcripturæ cauſam iuris & voluntatis eius, qui ſoluit, mutare poteſt [x], cùm non arbitratu creditoris in eam, quæ libuerit, obligationem pecunia conuertatur, ſed hoc tantùm ei permittatur, vt ſecundum iuris definitionem conſtituat, quæ potiſſimũ obligatio ſolutione tollatur. Atquin ex tacita ſoluẽtis voluntate lex ſtatuit vſuris prius proficere ſimpliciter ſolutã pecuniã, quàm ſorti. Namq; iuris interpretationem ſequi creditor neceſſe habet. Ac proinde licet ſcripſerit ſe in ſortem accepiſſe, pòſt deinde in vſuras, præualet tamen ſcripturæ ordini iuris ratio, & ea cautione actum id intelligitur quod ius commune dictat. Et ita interpretandum eſt quod Paul. [y] ait: *Nec enim ordo ſcripturæ ſpectatur, ſed potius ex iure ſumitur id, quod agi videtur.* Eademq; ratione, ſi centum vtroque iure debens, & tantum—

l l. quamuis. C. de vſur.

m l. per retentionem. C. de vſur. l. ſolutũ. §. ſiue autem. D. de pig. act.

n l. ob triginta. l. pupillo §. 1. D. de ſo. uſ.

o l. pignoribus. C. de vſur.

p In l. in his. §. Imperator. de ſolut.

q l. debitor. D. de ver ſig.

r l. nec ſeruus. D. de pecul.

s l. fideiuſſor §. fideiuſſor. D. de fideiuſſ.

t l. ſi ſtipulatus in fin. l. ita ſtipulatus. de verb. ob. l.

u l. 5 §. vlt cũ l. ſeq. de ſolut.

x Arg. l. cum pater. §. fidei. de leg. ij.

y In l. nec enim. D. de ſolutio.

dem ex alia cauſa, quæ petitionem non tribuat, ſed retentionem ſolam, eam ſummam ſoluent, quę ad quantitatem vnius debiti ſufficiat, licet creditor cauerit ex vniuerſo credito ſolutum, ea tamen ſola diſſoluta videbitur obligatio, quæ petitionem tribuebat [z]. Planè ſi nummorum xxx. creditor, in xx. fideiuſſorem, in reliqua decem pignus acceperit, pignoris diſtracti pretium in id quod ſolus reus debet, accepto ferre poteſt, vt in reliquum fideiuſſor maneat obligatus [a]: cum indiſtinctè ſoluta pecunia in id quod ſub fideiuſſoribus deberetur, magis eſſet imputanda. Quòd ſi nihil eorum quæ ſuprà diximus, intercedat: ſi omnia nomina ſimilia ſint, vetuſtior contractus antè tolletur, in antiquioremq; cauſam potius id quod ſolutum eſt proficiet, quàm in ſupremam [b]. Proinde ſi fideiuſſor pro duobus in dena acceptus quinque ſoluerit, ſi non appareat vtrum ex reis releuare voluerit, ex antiquiore cõtractu quinque decedent [c]. Simili modo ſi in diuerſas dies ex duabus ſtipulationibus obligatus poſt diem vtriuſque cedentem, ſoluerit, nec pro qua ſtipulatione ſolueret, dixerit: quod ſolutum erit, eam ſtipulationem exonerabit, cuius dies anteceſſit [d]. In liberto porrò antiquior eſſe contractus, quàm operarum, quæ ei libertatis cauſa ſunt impoſitæ, nullus poteſt [e]. Nam quæ in ſeruitute geſſit, cum manumiſſus præſtare non cogatur [f], antiquiore obligatione quàm quæ vnà cum libertate contracta eſt, teneri non poteſt. Atque hûc puto ex Modeſtino tranſcriptum caput [g] pertinere, quod alioquin nihil ad titulum faceret. Poſtremò ſi par & dierum & contractuum cauſa ſit, ex omnibus cauſis pro portione videbitur ſolutum [h]. Quæ omnia vti quoq; ordine expoſui, in obſcura ſoluentium voluntate ſunt ſequenda. Ceterùm pecuniæ ſolutio teſtibus vel apocha probatur [i]: habet & ad eius probationem aliquod momentum chirographi inductio. Sed hæc hactenus.

z l. ſi is cui ſ. Flauius. D. de ſolutio.

a l. ob triginta. D. de ſolut.

b l. ſ. cum ex pluribus. l. creditor ſ. Valerius. D. de ſolutio.

c l. vbi. D. de ſolutio.

d l. ſi ex pluribus ſ. vlt. de ſolutio.

e l. in liberto. D. eod.

f l. cum actiõ D. de neg. ge. toto tit. C. an ſeruus ex ſuo fac.

g d. l. in liberto.

h l. illud. D. de ſolut.

i l. pecuniæ. C. eod.

FINIS.

B. BRISSONII DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS.

LIBER SECVNDVS.

DE ACCEPTILATIONE.

QVEMADMODVM ſolutione liberaremur, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore: ſequitur, vt alios liberationũ modos perſequar, qui ſolutionis loco & ipſi cedũt. Quo ex genere Acceptilatio eſt, cuius nobis ex Modeſtino in hæc verba definitio proponitur a: *Acceptilatio liberatio eſt, per mutuam interrogationem*. Quod ſic accipiendum eſt, vt acceptilationem ſine duabus vltro citroq; interpoſitis interrogationibus perueniri non poſſe ſignificet, quarum prior á reo ſtipulandi ad obligationem, poſterior à reo debendi ad liberationem quęrendam concipiatur. Nec accepto rogari poteſt non verbis cõtracta obligatio. Et ideò cum ei, qui aliàs quàm verbis tenetur, Aquilianæ ſtipulationis remedio acceptum fit, duplex interrogatio interuenit. Verbis certè iam ab initio obligatus vnica interrogatione accepto liberatur. Quæ res ita geritur, interrogante verbi gratia debitore, *Decem quæ tibi promiſi, accepta habes vel facis*? Et creditore reſpondente, *Habeo*, vel *facio* b. Vel Grecè ſic c, Ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; Ἔχω λαβών. His ὡς ἐν τύπῳ propoſitis, ſubtilius ſingula quæ ad acceptilationes pertinent, eo quem antea ſecuti ſumus ordine, pertractemus.

ACCEPTVM ferre hi demum poſſunt, quibus vel ex negotio ſecum geſto, vel cum eo, qui ciuili honorariòue iure ſucceſſerunt d, debetur. Et ita patresfam. ſuiq; iuris ſint. Nam pupilli & his ſimiles perſonæ liberare per acceptilationem debitores, niſi tutorũ curatorumq; auctoritate interue-

a In l. 1. D. de acceptil.

b l. pluribus. l. ſane D. de acceptilatio.

c l. an inutilis. § 1. D de acceptil. §. itẽ per acceptilationem Inſtit. quibus mod. tollitur obl.

d l. per iuſiurandũ §. vlt. D. de acceptil.

niente non poſſunt e: ſine qua nihil de ſuo iure vtiliter minuunt. Ac nec tutores quidem curatoréſue ſolos accepto *e l. 1. C. eo ti.* ferre, quod his debetur, quorum negotia adminiſtrant, poſſe, ſed nouare debere Vlpianus ſcribit f. Hoc cur tam variè? Mihi quidem in hanc quæſtionē incumbenti, cum ſe ſpe- *f l. & per iuſiurandum §. tutor eo.* cioſæ quædam differentiæ rationes offerrent, quæ facilè imperitis blandirentur, ſubductis tandem omnibus, ſummā feci cogitationum mearum, quam huius ſcrupuli euellēdi cauſa quàm planiſſimè potero exponam. Regula iuris ciuilis eſt, Neminem alieno nomine lege agere poſſe g. Quæ cum latiſſi- *g l. nemo alieno D. de regul. iur.* mè pateat, ab Accurſio valdè coanguſtata eſt. Hunc autem meo iudicio ſenſum habet Neminem alieno nomine legitimos actus exercere poſſe. Itaque nec per alium adoptare h, *h l. poſt mortē. §. visi de adopt.* emancipare, manumittere i, hereditatem adire k, nec alias legitimorū actuum ſollemnitates peragere quis poteſt. Eaq; *i l. 3. C. de vind libert.* vera ratio eſt, cur per tutorem hereditas pupillo non adquirat ur l, ſed ipſemet, niſi fandi impotens ſit m, tutore auctore *k l. per procuratorem D. de acq. her.* adire debeat n. In legitimis autem actibus acceptilatio numeratur o: ideoq; nec accepto ferre rogaréue quod vel pupillus *l l. potuit C. de iure delib.* debet, vel pupillo debetur, tutor poteſt, ſed ipſe pupillus eo *m l. ſi infanti. C eod.* auctore accepto ferre debet. Ac ne iuſſu quidem domini ſeruum acceptum ferre poſſe apud Caium extat p. Verum *n l. more. D. de acq her.* cùm euenire plerumque poſſit, vt pupillus vel abſit, vel aliàs *o l. actus legitimi. D. de reg. iur.* accepto ferendi non habeat poteſtatem, intersit tamen eius eo modo obligationem diſſolui, remedium iurecōſulti, quo- *p l. pen. D. de acceptil.* rum in cauendo munus conſiſtitq, monſtrauerunt, quo ſalua *q Cicer. 1. de Orat. & in Topic.* legum auctoritate pupillo proſpici poſſit. Cōſilium ergo tutori dant, vt ſi acceptilatione liberare debitores pupillares velit, quia nouandi ei pupillaria debita citra fraudem poteſtas datur, idcirco nouandi animo ab iis ſtipuletur quod pupillo debent, & ſic transfuſam in ſe obligationem accepto ferat. Et è contrario ſi pupillus à creditoribus liberandus ſit, eius obligationem in ſe nouatione ſuſcipiat, quæ mox ei à creditore accepto feratur. Sic ad acceptilationem nouatione peruenien., tranſlatumq; in ſuam perſonam obligatio- *r l. & per iuſiurandum. §. tutor.* nem ſuo nomine acceptam rogabunt, vel ferent. Idem in procuratorum perſona ſeruandum eſſe ducta ex eodem fōte ratione Vlpian. ait r. Quamobrem diſsimulare non poſſum

mihi valde ſuſpectum eſſe quod ex Paulo tranſcriptum eſt [s], per procuratorem ſine mandato nec accepto liberare, nec accepto liberari quemquam poſſe. Nam quò bonum eſt hic mandatum exigere, cùm & abſentem, ignorantem, inuitum, liceat extraneo cuilibet ſine mandato liberare? Aut ſi mandatum alii accepto rogandi ius tribuit, cur non tutoribus idem ipſum concedimus, quibus laxiſſima liberrimaq; rerũ pupillarium adminiſtratio mãdata eſt? Et certè ex gloſſemate cuiuſdam, qui rationem iuris non tenebat, in ordinem verborum Pauli irrepſiſſe ea verba, Sine mãdato, ſuſpicor, eiuſmodiq; imperitis adiectionibus multos iuris locos fœdatos eſſe non dubito. Ceterum vel vni ex duobus reis ſtipulandi accepto ferre licet, cum in vno quoque eorum ſolida reſideat obligatio [t], vt vnius acceptilatione etiam ab altero liberatio contingat [u]. Non idem ei, qui obligationi adiicitur, permitti nemò ambigit [x]: cuius perſona in hoc tantum adiicitur, vt ei ſolui poſſit. Accepto verò ferri tam debitori quàm eius heredibus [y], & vel vni [z] ex his poteſt. Nec alii, quàm qui debet, vel qui debitori iure poteſtatis adquirit, rectè accepto fertur. Ac proinde quod filiusfam. debet fruſtra patri accepto feratur [a], quia ex filii contractu nulla pater vel naturali vel ciuili obligatione adſtringitur, quamquam peculio tenus in eum prætor actionem ex negotiis cum filio geſtis tribuat [b]. Nec quaſi in rem filii facta interrogatio vires habitura eſt, cum filio nihil per patrem adquiri poſſit [c]. Acceptum ergo rogare ipſemet filiusfa. debet, cuius perſona radices egit [d], obligatio. Planè qui in aliena ſunt poteſtate, his quorũ iuri ſubſunt, acceptũ rogare poſſunt ea ratione, qua cetera quoque his poſſunt ſtipulari. Vnde fructuariũ, vel eum cui vſus datus eſt [e], vel eum à quo bona fide poſſidetur, vel eum qui apud hoſtes eſt, vel futurum heredem ſeruus accceptum rogando liberare poteſt. Ex re enim fructuarii, vſuarii bona fide poſſeſſoris ſeruus adquirere videtur, dum eos obligatione liberat [f]. Iacente verò hereditate ſeruus accepto rogans, hereditati liberationem quærit, quæ interim defuncti perſonã ſuſtinens, hereditaria omnia iura conſeruat [g]. Sed & cõmunis ſeruus vni ex dominis acceptum rogans eum in ſolidum liberat [h]. Nam & vni ex dominis nominatim ſeruus commu-

s In l. procuratorem. D. de acceptil.
t l. 2. D. de duob. re.
u l ſi rem. §. 1. D de nou. & l. & per iuſiur. §. vlt. D. de acceptil.
x l. quod quis. D. de ſolut.
y d. l. & per iuſiur §. vlt.
z l. ſed & ſi D. de acceptil.
a l an inutilis § filiusfa. eod. tit.
b Inſt. quod cum eo.
c § ei vero. Inſt. de inutilib. ſtip.
d l. tamen ex contractibus. D. de iudic.
e l. ſi debitor. D. de ſolu. l. itemque D. de vſufr.
f l. ſpecie. D. de acceptil. l. ſi debitor D. de pact.
g l. hereditas. D de acq. rer. dom.
h l. aninutilis § 1. D. de acceptil.

nis ſtipulari, vt ipſi ſoli adquirat, poteſt. Ipſi quoque ſeruo vtiliter accepto fertur, quod promiſit, tolluntur que eo modo honorariæ, quæ aduerſus dominũ ex ea cauſa competiiſſent actiones[k]. Sed non tutori curatoriq; quod eorum fidei commiſſæ perſonæ debent, vtiliter accepto feras[l]. Ea enim res inter ipſoſmet creditores debitoreſq; geri debet, nec alieno miniſterio, vt paulo antè poſuimus, expediri poteſt. Pupillo ſanè ipſi per acceptilationem ſine tutoris auctoritate libera tio efficaciter præſtabitur[m]. Meliorem enim ei ſine tutore condicionem ſuam facere licet[n]. Aut ſi pupilli copia non eſt, tutorem ipſum vel extraneum quemlibet creditor adhibeat, à quo nouãdi animo quod pupillus debet ſtipulatus, deinde accepto ferat. Hoc enim modo & ignorãs & inuitus obligatione dimittitur[o]. Eſtq; hoc abſentium liberandorum cauſa remedium proditum, vt à præſente quod nobis abſens debet nouandi animo ſtipulemur, mox ei acceptum feramus: quo facto vterque liberatur, & creditori res perit. Vni autem ex pluribus eiuſdem obligationis ſociis acceptilatio facta, & iis qui eodem vinculo tenentur, proficit[p], niſi in eorum perſona iuris impedimento acceptilatio liberationem parere non poſsit[q]. Quamobrem ſi alteri dumtaxat ex duobus debendi reis conſultum quis velit, pacto eum debet, non acceptilatione liberare[r]. quòd ad alias perſonas quam quæ eo cõprehenſæ ſunt, pactum non porrigatur[s], acceptilatione contrà ſolutionis exemplo tota diſſoluatur obligatio[t]. Sed hęc ita vera ſunt, ſi vni ex his qui eadem obligatione in ſolidũ adſtringuntur, acceptum fiat, vt accidit in duobus reis. Nam cum ſolidum ſinguli debeant, eorum vni facta acceptilatio ſolidam quoque obligationem tollit. At cum hominis promiſſor plures heredes reliquit, quia ſinguli partes tantum debent, licet partium ſolutione non liberentur[u], ideo ſi vni accepto latum ſit, ceteris liberatio non contingit, ſed ſua dumtaxat parte exoneratur is qui accepto rogauerit[x]. Alia enim hîc ſolutionis, alia acceptilationis cauſa eſt, quoniam quæ partis ſolutionem vitiat ratio, eadem acceptilationem partis æquè non impedit, vt mox oſtendemus. Fideiuſſori ſi acceptum feratur, reo quoque liberatio competet[y], etiam ſi re ſit obligatus, non verbis[z]. Nam quod dicitur Acceptilatione

i l. 5 §. . D. de ſtip. ſer.
k d. l. an inutilis. §. v. ti. l. ſpecies. verſi. ſed et ſi eo.
l l. & per iuſiurandũ §. tutor. eo.
m l. 2. D. eo.
n l. contra. D. de pact. Inſt. de autor. tut. in prin.
o l. ſi debitor. D. de ſolu.
p l. ſi ex pluribus D. de accepti.
q l. §. 1. D. de donat. int. vir.
r l. 4. §. nunc de effectu. de lib. leg.
s l. ſi vnus §. ante omnia. D. de pact.
t l. in diẽ. D. de accepti.
u l. in executione § pro parte D. de ver. o. l.
x l. 2. § ſi tamẽ. D. de ver. obl. l. ſed etſi. D. de accepti.
y l. ſi ex pluribus. inſi. D. de accepti. l. ſi fraudator. D. quæ in frau. credit.
z l. & per iuſiur. §. etſi fideiuſſori. eo.

tantùm tolli quæ verbis contracta ſunt, eò pertinet, vt acceptum rogare is tantum poſsit qui verbis teneatur. Ceterùm verbis obligato factam acceptilationem, etiam iis, qui in eandem cauſam alio obligationis genere conſtricti tenentur, prodeſſe nihil prohibet. Verum enimuero acceptilatione per fideiuſſorem ita reus liberatur, ſi iam antè efficaciter fuerit obligatus. Proinde ſi fideiuſſori in eã pecuniam accepto, quæ Titio crederetur, ante creditam Titio pecuniam accepto latum fuerit, quandocumque poſt credita ſibi pecunia, fruſtra Titius ex acceptilatione fideiuſſori præſtita liberationem ſpetabit, cum antiquiore acceptilatione quàm obligatio eius ſit, liberari non poſsit [a]. Itidẽq; ſi fideiuſſori ſub cõdicione ita obligato, vt ad tempus vſque vitæ dumtaxat teneretur, pendente condicione accepto latum ſit & is antequam ea extitiſſet, deceſſerit, confeſtim à reo rectè petetur [b]. Nec enim liberatus fideiuſſor intellegitur, qui nec debuit [c]: quandoquidem vt exiſtens poſt eius mortem condicio obligationem propter ſtipulationis legem conſtituere non potuit, ita aliquid egiſſe nulla ſubiecta obligatione acceptilatio potuit. Eadem ratione ſi fideiuſſori legatorum ſub condicione relictorum accepto latum ſit, exiſtente quandocumque poſt legatorum condicione heres obligabitur, qui cum acceptilationis tempore nihil dum deberet, ex ea antè liberari non potuit, quàm obligaretur [d]. Nec aduerſatur quod Vlpia. reſpondit [e], ſi fideiuſſori, qui iudicatũ ſolui promiſit, accepto latum ſit, liberari & iudicatum. Hoc enim ex ipſis verbis euidenter apparet ſic intellegendum eſſe, ſi poſt condemnationem, iudicioq; iam ſententia finito accepto latum ſit. Quod ſuperioribus nullatenus repugnat, licet Accurſio neſcio qua de cauſa ita videatur. Conſequenter videamus, quid accepto feratur. Accepto ferri, vt ſolui, id ipſum oportet, quod debetur. Conſentire enim cum obligatione liberatio debet [f], & alio accepto lato, quàm quod debetur, imperfecta acceptilatio eſt [g]. Enimuero poſt moram à promiſſore factam mortuus homo accepto ferri poteſt [h], quoniam adhuc debetur, vt & peti, & nouari, & in conſtitutum deduci poſſit [i], perpetuata propter moram obligatione [x]: tametſi is reis exitus futurus eſt, vt in æſtimationem hominis reus damnetur, quia iam per rerum

a d. l. & per inſiuran. §. qui ita.
b l. pen. D. de fideiuſſ.
c Arg. l. decẽ. in fi. de verb. obl.
d d. l. & per inſiur. § ſi le-gatorum.
e l. ſi ex pluribus in fi. de acceptil.
f l. niſi D. de acceptil.
g l. & per iuſiurand. §. cum qui. eo.
h l. ſi ſeruum §. vlt. de verbo. oblig.
i l. promiſſor. D. de conſtit. pec.
x l. ſi is qui ſolutioni. D. de vſur.

rerum naturam deſierit dari poſſe[l]. Non tantum autem integra obligatio, ſed & ſtipulationis pars accepto ferri poteſt, ſiue numerata pecunia, ſiue certũ corpus debeatur[m]. Quin etiam hominem aut decem ſtipulatus, ſi quinque accepto ferat, partem ſtipulationis cõſumit[n], & quinque, aut hominis partem tantum petere poteſt. Similiq; modo cùm plures hominis promiſſor heredes reliquit, quamquam parte hominis ſoluta in nihilum liberentur, ſi tamen vni ex his accepto latum ſit, pars dumtaxat ceterorum obligationi ſupererit[o]. Neque enim hic eſt verendum, vt ſtipalatori diuerſorum hominum partes præſtentur: quod euenire poſſet, ſi partium ſeparata ſolutione liberatio promiſſori cõtingeret, contra ipsã planè ſtipulatoris mentem, qui ſibi vnum aliquem hominem dari ſtipulatus eſt[p]. Enimuero ſi quod in ſtipulationem deductum eſt, diuiſionem ſui natura non recipiat, inutilis erit partis aceptilatio[q]. Ita promiſſam prædij ſeruitutem in partem fruſtra accepto feras[r]. Vſusfructus planè, quia diuiſionem admittit[ſ], in partem rectè accepto fertur, manetq; reſiduæ partis vſusfructus. Ex vſufructu quoque vſus accepto ferri poteſt, vt ſolus fructus maneat. Nam & fructus ſine vſu haberi poteſt[t]. Fundum autẽ ſtipulatus inutiliter vſumfructũ vt & viam vel iter, accepto facit, quia hæc iura tantùm rei ſunt, non partes[u]: in tantum, vt qui fundum ſtipulanti dare ſpoponderit, vſufructu ſoluto nulla parte obligationis liberetur.[x] Quamquam alioquin partis ſolutio in eiuſmodi obligatione pro parte adferat liberation[e][y]. Quæ omnia illa generali ratione continentur, quòd qui accepto facit, vel rem ipſam, quæ debetur, totam vel eius partem aliquam accepto facere debeat[z]. Non abſimili autem ratione, qui fundi proprietatem legauit, iter adimens legatum non minuit, quia partem de legato detraxiſſe non intellegitur[a]. Sed & qui viã ſtipulatus eſt, iter tantùm vel actum acceptoferendo nihil agit. Quamquam enim viæ, iter & actus, quaſi ſeparatæ duæ ſeruitutes ineſſe videantur[b], quia tamen in partem vię acceptilatio[c], vel ademptio[d], nullius momenti eſt, propter iu-

[l] l. promiſſor. is. §. vlt. de conſtit. pec. l. ſi deceſſerit. D. qui ſatiſ. cog.
[m] l. pars ſtipulationis. D. de acceptil.
[n] l. qui hominem. D eo.
[o] l. 2. § ex his §. ſi tamen. de verb. obl.
[p] l. in executione. §. pro parte eo.
[q] l. & per iuſiur. §. 1. de acceptil.
[r] l. via. D. de ſeruit.
[ſ] l. 1 §. an vſusfructus. D. ad l. Falcid. l. vſus pars. D. de vſu & hab
[t] l. huic ſtipulationi D. vſusfruct. quemad. cau. l. ſed ſi de fructu. D. de vſu & habit.
[u] l. rectè. de verb. ſignifi. l. Manius §. pe. de leg. iii. l. ſi à reo. §. ſi reo. de fideiuſſo.
[x] l ſi ita § ſtipulatus 1. de verb. obl.
[y] l. 2 §. 1. l. in executione. §. 1. de verb. obligat.
[z] l. & per iuſiur. § illud. de acceptil.
[a] l. 3. §. loci. D. de adim le.

[b] l. 1. D. de ſeruitut. ruſti. not. in l. ſi tan anguſti. D. de ſeruitutib.
[c] d. l. & per iuſiurandum. §. 1.
[d] l. 1. D. de adim. leg.

ris ipſius (vt cum Caio dicam[e]) in diuiduitatem, idcirco alterutrum eorum, ex quibus via conſtat, viæ promiſſori fruſtra accepto ferimus. Itidem nec eum, qui fundum ſtipulatus ſit, doli clauſulam accepto ferre poſſe Vlpian. ait[f] non ea quam ſibi Accurſ. fingit, ratione, quòd dolus nondum commiſſus pacto remitti non poſſit: quid enim hoc ad acceptilationum quæſtionem & ante poſitam regulam pertinet? ſed quia in partem debiti ea clauſula non conſiſtit, cùm accepto ferenda vel res ipſa ſit, vel pars eius. Doli verò clauſulam noſtri appellant extremam illam ſtipulationis partem, qua Dolũ malũ abeſſe, abfuturumque eſſe, ſtipulamur[g], vel ita, Cui rei dolus malus abfuerit, aberit[h]. Illud aut illud ſtipulatus, altero acceptolato totam obligationem cõſumit. Sic enim de huiuſmodi ſtipulatione loquens Paulus[i], ait: *Vt ſolutione, petitione, acceptilatione vnius rei tota ſolueretur obligatio, ita pacto quoque conuento de vna re non petenda interpoſito totam obligationem ſummoveri.* Et quoniam nos hûc prouexit oratio, non erit alienum, quæ de eo loco ſentiam, in medium proferre. Nam quod ad interpretationem eorum verborum attinet, varietate ſua incertiores Accurſius lectores dimittit, quam acceperat. Mihi certè ſi à Franc. Connano diſſentire liceat (licebit autem per æquos iudices, cùm verum inueſtigantibus præiudicium cuiuſquam auctoritas facere non debeat) ea verba, *Petitione acceptilatione*, punctis diſtinguenda, vt quæ ſeparatas ſpecies contineant, cenſuerim, non continenter, quemadmodum ille cenſet, coniunctimque legenda: qui petitionis verbum quàm aptè ad accepti rogationem transferat, eorum erit iudicium, qui Iureconſultorum phraſes cognitas habent: noua quidem & inaudita hæc interpretatio eſt. Didici vero & petita vna re per iudicem quandoq; totam obligationem diſiunctiuam tolli. Nam ſi Stichum aut Pamphilum, vtrum ipſe vellet, ſtipulatus Stichum petierit, vel ab alio procuratorio nomine petitum ratum habuerit, ſtipulationem conſumi noſtri auctores tradunt[k], quoniam eligendi poteſtas poſt petitionem, id eſt acceptũ iudiciũ, euaneſcat. Et hanc interpretationem verba ipſa ſuadent. Nam ad iudiciales interpellationes petendi nomen referri ſolet[l], atque adeo lite demum conteſtata petitum intellegitur[m].

e l. ſi is qui. §. quædam. D. ad l. Falcid.

f d. l. & per inſiur. §. cum qui.

g l. doli. D. de verb. obl. l. nouiſsima. D. iudic. ſolu. l. ſi ſine iudice. §. ſi in ſtipulatione. D. rẽ r. habe. l. ſed hoc ita in fin. D. de re. iud.

h l. hac verba cui rei. D. de verb. ſign.

i l. ſi vnus. §. ſed ſi ſtipulatus. D. de pact.

k l. ſi quis ſtipulatus ſit. D de verb. obl. l. ſi is qui Stichum. D. de procurato. l. ſi ita ſtipulatus. §. 1. de verbo obl. l. 1. §. 11. quod. D. ad l. Falcid. l. vnum. in fi. D. ſi cer. peta. l. ſi quis ſtipulatus fuerit. D. de ſolut.

m l. amplius. D. rẽ. rat. hab

Hac eadem dicendi forma Iauolenus vſus [n], cùm duo can- *n l. 2. D. de*
dem pecuniam aut promiſerunt, aut ſtipulati ſunt, ipſo iure *duob. re.*
& ſingulis in ſolidum deberi, & ſingulos ſolidum debere,
ideoq; petitione & acceptilatione vnius totam ſolui obliga-
tionem dixit: id eſt, ſiue vnus accepto tulerit, ſiue iudicio pe-
tierit, alteri adimi exactionem [o]. In propoſito verò extra ō- *o l. ex duobus*
nem dubitationem eſt, vna re accepti lata, totam ſub diſiun- *D. de duobus re.*
ctione conceptam obligationem perimi, quoniam & vna
parte ſoluta idem contingit. Nec aliud admittendum cenſet
Iulian. [p] ſi is, qui hominem ſtipulatus erat, Stichum accepto
tulerit. Quod enim, ait ille, inuito promiſſori ſolui poteſt, id *p l. & per*
accepto latum liberationem parit. Cur ergo, quæro, æquè *iuſiur §. ſi is*
tota hominis obligatio pacto conuento de vno homine non *qui. D. de*
petendo interpoſito, non ſubmouetur? Nam hoc Paul. ne- *acceptil.*
gat [q]. Certè cùm ſimpliciter hominē quis ſtipulatus eſt, quia
tacitè actum intellegitur, vt quemlibet hominem ſoluendi *q l. ſi vnus.*
promiſſor habeat poteſtatem, tum vno aliquo homine acce- *§. ſed ſi ſtipu-*
pto lato tota generis obligatio ſoluitur, quoniam inuito ſti- *latus de pact.*
pulatori eum hominem ſoluere promiſſor potuiſſet. Quę e-
nim alia ex ea acceptilatione vtilitas accipi poteſt, cū nec ad
eum hominem ſoluendum promiſſor vrgeri potuiſſet? Et ita
Iulia. ſentētia procedit. Paulum verò in ea ſpecie intellegē-
dū cōtēdo, qua creditori electio cōpetit, quod euenit ſi ho-
mo legatus proponatur [r]. Hoc enim caſu ſi de Sticho non pe-
tendo creditor pactus ſit, de Sticho quidem efficaciter agere *r l. legato ge-*
non poterit, alium verò hominem petenti, pacti exceptio *nera'iter. de*
non obſtabit. Nec enim hic ſuperiori rationi locus eſſe poteſt *leg. j.*
quia inuito creditori Stichus ſolui non poterat & ex pacto
hoc commodi debitor capit, quod ad eum hominem ſoluē-
dum cogi iam, vt antea poterat, non pòteſt. Itaque non dixit
Paul. *ſi hominem generaliter ſim ſtipulatus*, quemadmodum de
diſiunctiua obligatione loquens antè dixerat, ſed *ſi hominem*
generaliter mihi debeas, quod ſic iuris ratione ductus ac-
cipio, ex legato ſcilicet vel ſtipulatione ita concepta, vt ad
me electio pertineat. Secundùm quæ & accepto lato Sticho
ab eo, qui hominem quem vellet, erat ſtipulatus, Stichum
deinceps peti non poſſe, alium quemlibet hominem peti
poſſe ceſſante hic contraria Iuliani ratione defendetur. Non

ſum neſcius quoſdam illius nodi extricandi cauſa diuerſam pacti & acceptilationis cauſam conſtituiſſe. Quod etſi in multis verum ſit,in hac tamen parte ſine vlla probabili ratione inducitur, cùm in diſiunctiua obligatione, quæ iiſdem ferè regulis iuris cum incerta ſtipulatione conſiſtit,acceptilationi pactum comparari non infitiētur.Porrò ſi Stichum aut decem ſub condicione ſtipulatus,Stichum accepto tulerit,& is deinde pendente adhuc condicione deceſſerit,decem poſt euentum condicionis petenti,quę ſola in obligationem peruenerunt,acceptilatio ſuper ea re interpoſita,quæ nullo momento debita intellegitur, non nocebit.Accepto autem lata fideiuſſoribus Ob rem iudicatam clauſula & ceteræ ſtipulationis Iudicatum ſolui partes [s], euaneſcunt.Illud non dubium eſt, ſimul plures res accepto ferri poſſe, & vno ex pluribus vel certis vel incertis contractibus, vel quibuſdam exceptis ceteris vnam acceptilationem fieri [t]. Sed iam ad acceptilationis formam accedam[9].Verbis autem fieri acceptilationem conſtat.Nec intereſt quibus, Pœnicis an Aſſyriis, Latinis an Græcis,dummodo ſenſus congruat,&vterque vel per ſe vel per verum interpretem linguam intellegat [u]. Hoc enim iure vtimur, ait Vlpia.[x]vt acceptilatio iuriſgentium ſit, & idcirco quocumque ſermone fiat. Quod ab illo antecedente,vt conſequens,bene Vlpia.ducit. Nam quæ ſollemnis & legitimi & Quiritum proprii iuris erant, Latina dumtaxat lingua olim vtiliter explicabantur. Et verò ſummo ſemper Romanos linguæ ſuæ propagandæ deſiderio flagraſſe Valerius non diffitetur [y], vſque adeò,vt vel in ipſa Græcia à magiſtratibus ſine reprehenſione (quam Cicero non effugit) niſi Latinè reſponſa non darentur. Imperatorem quidem certè Tiberium Græco ſermone,cuius peritiſſimus erat, ita abſtinuiſſe hiſtoriarum monumentis proditum eſt[z],vt monopolium nominaturus priùs veniam poſtularit, quòd ſibi verbo peregrino vtendum eſſet: ſed & nomen emblematis à lege quam ferebat,reiecerit,teſtimoniumq; interrogatos non niſi Latinè reſpondere paſſus ſit. Claudium quoque Suetonius [a] Dione[b]conſentiente refert, ſplendidum virum Græcè prouinciæ principem,ob Latini ſermonis imperitiam non modò albo iudicum eraſiſſe, verumetiam in peregrinitatem re-

s l. iudicatū ſolui D. iud. ſol.

t l. & vno. D. de acceptil.

u Argu. l. 1. §. vl. D. de verbor. obl.

x l. an inutilis §. vlti. D. de acceptil.

y Lib. 2. ca. 2.

z Sueton. in Tiber. cap. 71. & Diō li. 57.

a In Claud. cap. 16.

b Lib. 58.

degiſſe. Quamobrem Latinis verbis à Prætoribus decreta interponi debuiſſe cũ Triphonino[c], diſsẽtiẽtibus licet acutis quibuſdam interpretibus, cenſeo. Legata quoque Latine tantùm relinqui potuiſſe Vlpianus auctor eſt[d]. Eademq; dũtaxat lingua tutellas & libertates directò dari potuiſſe argumento eſt, quod, vt idem Græca lingua facere liceret, poſtea ſancitum reperitur. Nam poſt tranſlatum Conſtantinopolin imperium, vbi Greca lingua vernacula erat, & decreta Græcè pronũtiari[e], & teſtamenta Grecè ſcribi[f], & legata, libertates[g], tutellas[h] directò Græcè dari Imperatores permiſerunt, quorum de ea re hodieq; extant in Iuſtiniani Codice Conſtitutiones. Sed neſcio quo modo de ſpatio & curriculo ſuo noſtra deflexit oratio, ſenſimq; hũc deducta eſt. Nunc ad inſtituta pergamus. Acceptilatione ea tantum perimuntur, quæ verbis contracta ſunt[i]. Naturæ enim conſentaneum eſt eo genere diſſolui vnumquodque, quo & ligatum eſt[k]. Sic quæ conſenſu contracta ſunt, contrario conſenſu diſſoluuntur[l]. Verbis quoque ipſo iure tolli, niſi quod verbis contractum eſt, nequit. Et ideo vt re, vel conſenſu, vel aliis ex cauſis obligato accepto fieri poſſet, C. Aquilius Gallus, homo iuris conſultiſſimus, & qui ciuibus ſuis multa in iure cauit[m], ſtipulationis formulam prodidit, in quam quæ non verbis contractæ eſſent obligationes tranſlatæ, acceptilatione deinde perimerentur[n]. Præbet autem nobis ea Aquilij ſtipulatio certiſſimum anxiæ veterum in cautionibus componendis diligentiæ argumẽtum, in qua ne quid omiſſum videretur, multa ex abundanti ſunt adiecta. In ea ita eſt, *Quidquid te mihi ex quacumque cauſa.* Cauſa negotium ſignificat & obligationem[o]: contractuq; latiùs patet. Nam & ad eas obligationum ſpecies pertinet, quæ ex delicto vel quaſi proficiſcuntur[p]. Adduntur & generalia verba, *Dare facere*, quæ ſine coniunctione proferri ſolent[q], quemadmodum & hæc Vti frui, ſic agere, Agi fieri[r], Dare legare[s], aliaq; pleraque. Cic. III. Officior. Arbitrũ illum adegit, quidquid ſibi dare facere oporteret, ſicut in ſcriptis codicibus legitur. Nam impreſſi in hac parte corrupti ſunt. Eodemq; vitio laborans Valerii Max. de eadem re locus emendandus eſt, in quo ſic vulgò legitur: M. Porcium Catonem inclyti Catonis patrem arbitrum cũ

c l. decr. ta. D. de re iud.
d In Inſtit. tit. de fideicom.
e l. iudices. C. de ſent. & interl.
f l. hac conſultiſſima vlt. de teſtam.
g l. directas. C. de teſtam. man.
h l. vlti. C. de teſtam. vt.
i l. an inutilis §. acceptum D. de acceptil.
k l. nihil tam naturale. D. de reg. iur.
l l. prout. D. de ſolut.
m l. Gallus. D. de lib. & poſthum. Cicer. 3. Officior.
n d. & vno §. 1. De de acceptil §. item per acceptilationẽ Inſtit. quib. mod. toll. obl.
o l. creditores D. de verbor. ſignif. l. in bona C. de reb. cred.
p d l. certi condictio. D. ſi cer. pet.
q l. cum rem. D rẽ pup.
r ſal. l. duo ſocietatẽ. D. pro ſoc l. ſi à colono. l. qui Romæ §. Callimachus. de verb. obl. l. emptor. D. de nouat.
s l. 1 §. 1. D. quod cuiuſq; vniuerſit.
t l. 2. §. 1. D. ad leg. Falcid.

Claudio adduxit, vt formulã daret, quod ſibi de ea re facere oporteret, legendum enim eſt, Dare facere. Quæ verba in actionum formulis vſitata Vlpianus ſic interpretanda dicit [t]; vt quamuis ſoluta ſint, pro ſeparatis tamen accipiantur, & quoduis eorum ſufficiat probare. Faciendiq; appellatione omnis faciendi cauſa contineatur, ſiue ſoluendi, dandi, numerandi, iudicandi, reddendi [u]. Dicitur autem interdum [x] Dare, facere præſtare. Et apud Liuium [y] in antiquis belli indicendi ſollemnibus, Dari fieri ſolui. Sequitur, *Oportet oportebitue, præſens in diémue*: vt non præſentia tantùm, ſed & quæ in diem debentur, contineantur. Nam priore verbo præſens tantùm debitum demonſtratur [z]: poſterius etiam vtrumque comprehendi [a]. *Oportet*, autem, non ad facultatem iudicis, qui poteſt pluris vel minoris condemnare, ſed ad veritatem refertur [b]. *Quarumque mihi rerum tecum actio, petitio, perſecutio.* Actio in perſonam eſt, petitio in rem, perſecutio ad extraordinarias magiſtratuũ cognitiones pertinet [c]. Senſus ergo eſt, Quidquid actione in perſonã conſequi, vel vindicare, vel magiſtratu cognoſcente extra ordinem perſequi potes. *Quódue tu meum*, hæc abundant. Ex ſuperioribus enim ſatis intellegebantur. Meum eſt, cuius vindicandi ius habeo [d]. Meũ eſt & id, cuius proprietas ad me pertinet licet vſusfructus aliènus ſit [e]. *Habes, tenes, poſſides.* Tenere ad factum refertur, Poſſidere ad ius: Habere & iure dominij, & iure poſſeſſionis, & mera detentione dicimur [f]. Ait, *Dolóue malo.* Dolus enim pro poſſeſſione eſt: ſemperq; poſſidere intellegitur, qui dolo fecit, quo minus poſſideret [g]. Cetera plana ſunt, nec interpretatione noſtra planius exprimi, vel ornatius explicari poſſunt. Ad rem redeuntibus ſummè notandum eſt, & iureiurando à liberto contractam operarum obligationem rectà accepto ferri poſſe, qui ab initio verbis conſtitit. Idque Paulum ſentire cenſeo, cùm ait [h], *Per iuſiurandum liberti interpoſita operarum obligatio per acceptilationem tolli poteſt.* Et hæc iuſiurandi obligatio in ſolis libertis recepta eſt [i]. Quòd ſi ei accepto feratur, qui re, non verbis ſit obligatus, ipſo quidem iure non liberatur, ſed pacti exceptione vel doli (quę

t l. ſæpe. D. de verbor. ſignific.
u l. verbum facere. l. faciendi. D. de verb. ſignific.
x l. qui libertinus. D. de oper. lib.
y Libro 1. ab v. c
z l. ſi ita ſtipulatus fuerim §. 1. l. ſi à colono. D. de verb. obl. l. ſi ita ſcripſiſſet. de leg. 11.
a l. verbum oportebit. D. de verb. ſign.
b l. verbum oportere. D. de verb. ſign.
c l. actio. D. de obl. & act. l. pecunia. §. actionis. de verb. ſign.
d l. Quintus. ii §. argento. D. de aur. arg.
e l. recte D. de verb. ſign. l. 2. D. de cõd. inſtitutio.
f l. habere. D. de verbor. ſign. l. ſtipulatio iſta. §. hæc quoque. D. de verb. obl. l. 2. §. habere. D. ne quid in loco publ. l. 15. quod autem. D. de vi & vi ar.
g l. paren l. ad ea §. ſemper. de reg. iur.
h l. & per iuſiurandum. D. de acceptil.
i l. vt iuſiurandi. de oper. lib. ſi quis pro eo. D. de fideiu. Caius lib. 2. Inſtit. tit. pen.

ſubſidium eſt pacti exceptionis [x] ſe tueri poteſt, quaſi tacita pactione id actum ſit, ne quidquam petatur [l]. Inutilis enim acceptilatio vtile pactum habet, niſi in hoc quoque contra ſenſum ſit [m]. Valeant itaque ridiculæ interpretum de formæ ac materiæ vitio traditiones, quos in errorem corruptus Vlpiani locus induxit, nobis hodie Florentinarum Pandectarum beneficio reſtitutus: vt iam de eo qui dubitet, ipſam legem quæ certiſſima eſt, ſemperq; fuit, in dubitationem adducere videatur. Secundum hæc ſi emptor venditori acceptum faciat, non poteſtate acceptilationis obligatio tolletur, ſed perinde valebit quod actum eſt, ac ſi inter eos conueniſſet, vt neuter ab altero quicquam peteret [n]. Ideoq; ſi omnibus integris acceptilatio interpoſita ſit, ipſo tamen iure obligatio tolletur, quod ea ſit eorum negotiorum quæ ſolo conſenſu contrahuntur, natura, vt ipſo iure contrario conſenſu diſſoluantur [o]. Et quamquam ab alterutra tantum parte acceptilatio interceſſit, vtrinque tamen obligatio ſoluetur [p]: ſed hoc, vt dixi, niſi contraria accepto ferentis mens approbetur. Nam ea ratione inutilis acceptilatio vi ac poteſtate conuentionis valet, quod in liberationem conſenſerit, qui accepto tulit. Qui ſi ſciens ac prudens nihil valere acceptilationem ſic accepto tulerit, proculdubio pactus non videbitur, qui cùm animum non habuit, cuiuſque in huiuſmodi actu talis cogitatio fuit, vt nihil agi exiſtimaret [q]. Nec quicquam facit, quòd accepto ferre ſe locutus ſit, cum in pactis non verba, ſed cõſenſum placitumq; ſolum intueamur [r]: nec verborum vlla vis ſit, niſi obligationis contrahendæ animus accedat [s]. Qua ratione & eum, qui inutiliter ſtipulatus eſt, cùm ſtipulari voluerit, non conſtitui ſibi, de conſtituta experiri poſſe negatur, quia non animo pro conſtituentis, ſed promittendis hoc factum ſit [t]. Itaq; ad agentium voluntatem tota hæc res referenda eſt.

In diem vel ſub condicione acceptilatio fieri non poteſt, quoniam, ait Vlpia. ſolutionis exemplo liberat. Quæ ratio, niſi propriùs oculos admoueas, abſurda videbitur. Poſt enim ſub condicione ſolutio fieri [x], vt ei malè in hac parte acceptilatio comparetur, ſed ea legis ſententia eſt: Acceptilationem, cum ſtatim atque ipſo iure ſolutionis inſtar liberet, nul-

[x] l. reſcriptū. §. plerumque. de pact.
[l] ſi vnus §. vlt. de pact.
[m] l. an inutilis. D. de acceptil.
[n] l. 5. D. de reſcind. vend.
[o] l. ab emptione. D. de pact.
[p] l. vlt. D. de acceptil.
[q] Arg. l. non ſolum. D. de oblig. & act.
[r] l. 1. D. de pact.
[s] l. 1. §. 2. de oblig. & act.
[t] l. 15. cum quis. D. de cõſti. pec.
[u] l. in diem. D. de acceptil.
[x] l. ſub condicione. D. de ſolutio.

lam temporis vel condicionis moram ferre poſſe. Nec enim natura patitur, vt quæ ipſo actu ex præſenti contingit, in diem ſuſpendatur liberatio. Ridiculumq; & ineptum eum eſſe nemo diffitebitur, qui ſe liberare aliquem Kalendis proximis, hodie dicat, vel qui acceptum ferens, dicat ſe, ſi Titius Conſul fiat, id facere. Nam actus ipſe volũtati eius repugnat: nec abſimilis eſt ei, qui parietem dealbans, vel quid pingens, ex Kalendis futuris ſe dealbare vel pingere dicat. Quæ & germana ratio eſt, cur ex die vel in diem conſtitui ſeruitutes non poſſint[y]: nimirum quòd earum conſtitutione qualitas quædam fundo imprimatur[z], quæ ſemel inſita hæret, ſtatimq; viget, noſtra vt voluntate non poſſit non inſita videri. Atquin ſub condicione ſolui poteſt. Sed eo modo hoc non agitur, vt diem numeratio traditióue fiat, quod natura fieri non poteſt, ſed ipſe dationis effectus in diem vel condicionem confertur. Nec enim quidquam vetat ita rem tradi, vt ea exiſtente aliqua condicione accipientis fiat.[a], vel ita pecuniam numerari, vt ſtatim quidem in accipientem tranſeat, in ſolutũ tamen tum demum cedat, cùm condicio aliqua euenerit, condiciatur, ſi defecerit[b]. Quod poſtremum tum fit, cùm obligatio ipſa condicionem habet. In ſumma factum ipſum ſoluendi in diem differri nõ poteſt: dominij tranſlatio, quæ ex ea numeratione contingeret, incerto condicionis euentu inhiberi poteſt. Quæ omnia cauſam non habent difficilem, & in naturali ſenſu atque intelligentia poſita sũt. Ceterum quod dictum eſt, condicionis adiectionem acceptilationem non recipere, de expreſſa vtique condicione accipiendum eſt: tacitam enim non æquè reſpuit[c]. Nec nouum eſt, vt ea non expreſſa non noceant, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt: nam & in compluribus aliis iuris partibus idem eſt admiſſum[d]. Itaque ei, qui ſub condicione promiſit, vtiliter acceptum ferri nemo ambigit quamquam vi ipſa ſub condicione ea acceptilatio fiat, cùm ei tacita hæc condicio inſit, ſi obligationis condicio exiſtat, Nam deficiẽte ea, cùm non obligetur, per conſequens nec accepto liberari reus poteſt[e], nec antè egiſſe aliquid acceptilatio intellegitur, quàm condicio promiſſionis venerit[f]. Addam ego & alium ab interpretibus ſilentio prætermiſſum caſum, quo tacita

cita

y l. 4. D. de ſeruit.
z l. cum venderes. D. de contr. empt. l. quid aliud D. de verb. ſign.
a l. qui abſentis. §. 1. de acq. poſſ. l. 2. §. ſi pecuniam. de donatio.
b l. ſub condicione. de ſolutio.
c l. actus legitimi. de regul. iur.
d l. nonnumquã. D de cõd. D dem. l. expreſſa. D. de regul. iur. l. ei qui. in fi. D de verb. obl.
e Arg. l. decem in fin. de verb. obl.
f l. quod in diem. l. ſi ſub. cõdicione. D. de acceptil.

cita condicione acceptilatio ſuſpenditur. Pone dotis cauſa debitori accepto fieri: acceptilationi vtique tacita hæc condicio ineſt, Si nuptæ ſequantur[g]. nec aliàs mulieri actio perit, non ſecus ac ſi hoc expreſſum eſſet[h].

Conſentire autem cum obligatione acceptilatio debet,[i] & idem ipſum accepto ferri quod rogatum eſt. Stichi tamen promiſſor ſi ita acceptum roget, *Quod Stichum promiſi, Stichum & Pamphilum habéſne accepta?* ſuperuacuè Pamphili mentione acceptilationem non corrumpet[k]. Nec enim ſuperfluæ adiectiones aliàs vtiliter geſta negotia vitiant[l]. Ita verò, vti ſingillatim perſecuti ſumus, facta acceptilatio eandem omnino cum ſolutione vim habet, vna hac differentia intercedente, quòd illa verbis, hæc re fiat. Acceptilatione enim liberatio omnimodo contingit etiam ſi pecunia non interuenit[m]. Quo nomine & ab apocha differt, quæ niſi vere ſoluta pecunia debitorem non liberat, cum contra veritatis fidem ea ſcriptura lædi quis non poſſit, qua cautum ſit accepta ea quæ tradita non ſunt, vt vel poſt huiuſmodi expoſitam ſcripturam adhuc creditori petere ſit integrum, ſi ſpe futuræ numerationis, quæ deinde ſecuta non ſit, ſcripſiſſe ſe intendat[o]. Apocha porrò Græcis dicitur ea cautio, qua ſibi ſolutam pecuniã creditor profitetur[p]. Quod nomen Latini ſuum quoq; fecerunt, eoq; iam vt Latino vtimur[q]. Quamquam à poſterioribus Imperatoribus peſſimis Latinitatis auctoribus ſecuritas appelletur[r]. Ceterùm vt maximè acceptilatio ſine pecuniæ interuentu liberet, non tamen gratuitam ſemper remiſſionem continet: cum non donationis tantum cauſa[s], ſed & tranſigendi[t], & dotis conſtituendæ[u], & voluntatis defuncti adimplendæ[x] gratia, & vt aliud nobis detur vel fiat[y], acceptilatio interponatur.

DE NOVATIONIBVS.

CONSEQVENS eſt de Nouatione dicere, quam tertiam liberationis ſpeciẽ initio huius artis poſuimus. Et hoc ordine eũdũ eſt, vt Quid ſit nouatio, Qui nouare poſſint, Quę obligationes, Quo-

g l. plerumq; §. ſi ante. de iur. dot l. 45. 1. de pact.
h l. non enim alias. D. de iu. dot.
i l. niſi conſentiat. D. de acceptil.
k l. ſi is qui Stichũ. D. eo.
l l. non ſolent. D. de reg. iur. l. qua extrinſecus. de verbor. oblig.
m l. ſi accepto latum. in fi. D. de acceptil.
n l. nec ſi ſcriptura. C. de compenſat.
o l. in contractibus §. ſuper. de no numer. pec.
p l. pecunia. C. de ſolutio.
q l. vlt. §. Titius. de cond. ind. l. qui tabulas §. apocha. d. furt. l. plures. D. de fide inſtrum.
r l. ſi quando. §. & generaliter. C. de inoffic. l. vlt. C. ſi cert. pet.
s l. ſi in ſtipulatum. D. de donatio. cum ſimilib.
t l. vt reſponſum. C. de tranſactio. l. 2. D. eod.
u l. promittendo §. 1. l. licet. D. de iur. dot. l. ſi mulier D. de condi. ob cauſ. l. ait prætor. §. ſi cum mulier. D. de quæ in fraud. cred.
x l. 4. §. 1. de liber. leg.
y l. ob eam. D. de præſc. verb. l. ſi quis accepto. D. de condi. ob cauſ.

modo nouentur, Quæ ſint nouationis effecta, videamus. Nouatio Vlpiano auctore[a], eſt prioris debiti in aliam vel ciuilem vel naturalem obligationem transfuſio atque tráſlatio. Quæ definitio paucis totam nouationis ſubſtantiam euoluit atq; explicat, cuius ea vis ac poteſtas eſt, vt priore perempta nouam conſtituat obligationem.

Nouare creditores ipſi quod ſibi debetur poſſunt, aut etiam alij ex eorum iuſſu[b]. Pupillos prodigoſq;, & his ſimiles perſonas ſemper excipio, quibus abſq; tutorū curatorumue auctoritate nouandi ius non eſt, niſi eo modo meliorē ſuam conditionem faciant[c]: qua in re aliorum auctoritate non indigent[d]. Quinetiam ſi rem ſaluam fore ſtipulatus pupillus, pubes factus eam ſtipulationem nouandi cauſa ratam habuerit, tutelæ actionem tolli Vlpian. mittit[e], cùm eadem omnia ſtipulatione illa contineantur, quæ in tutelæ iudicium veniunt[f]. Tutori vtique pupillares obligationes nouare licet[g], ſi hoc pupillo expediat[h]. In his enim quæ ad adminiſtrationem rerum pupilli pertinent, domini penè loco eſt. Idemq; in prodigorum furioſorumq; curatoribus probandum eſt[i]. Ceterùm non cui rectè ſoluitur, is protinus & nouare poteſt[k], quamquam hoc aliquoties verum ſit[l]. Et hoc ſentiens Paulus[m]: *Nam nec alium nouare*, ait, *quamquam ei rectè ſolui poſſit*. Quæ verba, qui ad alterum ex duobus reis ſtipulandi referunt, in magno errore verſantur: huic enim nouandi ius eſſe non ambigitur[n], cui & ſolidi petendi[o], & accepto ferendi[p], & iuriſiurandi in iudicio deferendi[q], iiſq; omnibus modis communem debitorem in ſolidum liberandi ius eſt. Sed Paulo propoſitum fuit oſtendere à ſolutione ad ceteras liberationum ſpecies nō rectè argumentum duci: ſolutionemq; poſſe quem iure accipere, vt tamen nouandi non habeat poteſtatem: ſic enim ei, cuius nomen ſtipulationi inſertum eſt, rectè ſoluitur[r], nec tamen is nouare poteſt[r]. Item ſi debitorem meum tibi ſoluere iuſſero, non propterea tu etiam ſtipulando id nouare potes, quamuis debitor ſoluendo tibi liberetur[s]. Fugitiuus quoq; creditam à ſe pecuniam accipiendo non etiam nouando debitoribus liberationem præſtare poteſt[t]. Et omnino his, qui in noſtra poteſtate ſunt, peculiaria debita rectè ſoluuntur[u], nouare tamen non poſſunt[x], niſi

a l. 1. D. de nouatio.
b l. nouare. D. de nouat.
c l. 3. l. nouare. D. eod.
d l. contra D. de pactis. l. is cui. D. de verbor. oblig.
e l ſi pupillus. D. de nouatio.
f l. 9. D. rem pup. ſal.
g l. tutor. D. de adm. tut. l. & per iuſiurandū § ſi tutor. de accepti.
h l. nouare. D. de nouat.
i l. vlti. §. agnatum D. eo.
k l. non ideo. D. de nouat.
l l. cui rectè. D. eo.
m l. ſi vnus. D. de pact.
n l. ſi rem. §. vlt. D. de nouatio.
o l. ex duobus D. de duobus re.
p l. & per iuſiurandū. in ſi. D de accept.
q l. duobus. D. de iureiur.
r l. quod quis. D de ſolutio. l. cui recte. D. de nouatio.
s l. ſi debitorem. D. de nouatio.
t l. fugitiuus. D. de ſolut.
u l. quod ſeruus. D de pec.
x l. ſeruus. l. filius. l. non ideo. D. de nouat. l ſi vnus. D de pact.

libera eis peculij adminiſtratio ſit permiſſa: hoc enim caſu & alienandi [y], & iuriſiurandi deferendi [z], & delegandi [a], & non donationis cauſa paciſcendi [b], & nouandi [c], poteſtas eis competit maximè. Ait lex [d], *Si etiam meliorem ſuam conditionem eo modo faciant*. Quod idcirco adiectum credo, quia ſi deteriorem eo modo debiti cauſam facerent, pluſculum dubitationis res haberet, quoniam perdere ac profundere viderentur. Non autem ad hoc eis conceſſa intellegitur adminiſtratio, vt perdant [e]. Ideoq; nec donationis cauſa paciſci ne petant [f], vel ne res pignori ſit [g], nec pro alio rem peculiarem obligare [h], nouationéue, aut quo alio modo ad donationem magis, quàm ad adminiſtrationem reſpiciente, deteriorem eorum, quorũ iuri ſubiecti ſunt, cauſam facere non poſſunt [i]. Libera verò adminiſtratione non data peculiares obligationes citra domini voluntatem non rectè ſeruus nouat [k]. Ex quo notandum eſt, ſolutionis accipiendæ datam poteſtatem non eò vſq; eſſe porrigendam, vt alias quàm naturaliter numerata pecunia debitori liberatio præſtari poſſit [l]. Secundum quod, ad exigendas pecunias datus procurator nouatione debitorem non liberabit [m]. Planè cui plena liberaq; rerum adminiſtratio commiſſa ſit, aut, vt noſtri plerumque loquũtur, qui totorum bonorum procurator ſit, ei nouandi poteſtas non denegatur [n]. Nam & aliud pro alio permutare [o], & pignori dare [p], & paciſci ne petat [q], & iuſiurandum deferre [r], & non diminuendi cauſa tranſigere, ſed & bona fide, ſi hoc adminiſtratio poſtulet, alienare poteſt [s], maximè eas res, quæ facilè corrumpi poſſunt [t]. Non enim ei vſquequaque omnia plenè licent, ſed quatenus & bona fides patitur, & negotiorum exigit adminiſtratio. Sed & ſi quis ſine mandato me abſente à debitore meo nouandi animo ſtipulatus ſit, & ego ratum habuero, obligatio nouabitur [u]. Alioquin nemo ſtipulãdo ſibi quod mihi debetur, actionem mihi aufert, niſi ex mea voluntate ſtipuletur [x].

Nouatione etiam abſens, ignorans, inuituſq; debitor haud aliter atque ſolutione liberatur [y], interpoſito videlicet aliquo

[y] l. ſi quis hac lege. §. vlt. de rer. vend.
[z] l. ſequitur quod D. de iureiur.
[a] l. libera. in fi. D. de pecul.
[b] l. ſi quis vxori § ſi ſeruus. D. de furt.
[c] l. huius etiam. D. de iureiur.
[d] l. vlt. D. de nouatio.
[e] l. filiusfa. D. de donat.
[f] l. contra. §. vlt. de pact.
[g] l. ſicut. § an paciſci. D. quib. mod. pig.
[h] l. 1. §. 1. D. quæ res pig.
[i] l. 2. D. ad Maced.
[k] l. ſeruus. D. de nouat.
[l] Arg. l. vlt. C. de his qui ven. at.
[m] l. 4. C. de nouatio.
[n] l. nouare. in fi. D. de nouatio.
[o] l. procurator cui generaliter. D. de procur.
[p] l. vel vniuerſorum. D. de pig. act.
[q] l. nam & nocere. D. de pactis.
[r] l. iuſiurãdũ quod. §. vlt. D. de iureiur.
[s] l. creditor. §. Lucius. D. mand.

[t] l. procurator totorum. D. de procuratoribus.
[u] l. ſi quis abſente D. de nouatio.
[x] l. ſi Stichum. in fi. D. eod.
[y] l. ſi debitor. D. de ſolutio.

à quo nouãdi animo quod abſens debeat ſtipulemur[z]. Quinetiam ſi à duobus debeatur, à tertio, quod ille aut ille debet, ſtipulari poſſumus. Quod cùm fit, neutrum ſtatim nouatur, ſed in tertij poteſtate eſt pro quo ſoluat[a]: ſi modò id actum proponatur, vt alterutrum detur vel fiat[b]. Hic enim cùm alterutrius tantùm debiti nouandi cauſa obligationem interceſſiſſe appareat, neutrum propter incertam promittentis voluntatem nouatur. Ceterùm ſi hoc actum non eſt, meritò cùm vtrumque in ſtipulationem deductum ſit[c], nouatum etiam intellegitur, ſi hoc nouandi animo factum eſt[d]. Et ita commodè Iureconſultorum ſententiæ conciliabuntur, quæ neglegentius aſpicientibus contrariæ viderentur.

Nouantur obligationes quæcumque, ſiue ciuiles, ſiue naturales, ſiue honorariæ: nec intereſt re, an verbis, an conſenſu ſint cõtractæ[e]. Quare vel ipſam iudicati obligationem in ſtipulatum nouandi cauſa deduci poſſe non ambigitur[f], quo facto ad initium nouæ petitionis parta ex cauſa iudicati executio redigitur[g]. Legata etiam[h], & priuilegiatias quoq; obligationes vtiliter nouari non dubium eſt, amittiq; eo modo prioris debiti priuilegium[i]. Denique, ne neceſſe haberem dicere de ſingulis, omnia omnino debita, omneſq; res in nouationem tranſire poſſunt[k]: & vel vna ſtipulatione plures obligationes nouari nihil vetat[l]. Quod Aquiliana ſtipulatione fit percommodè, cuius verba ad omnes obligationum cauſas ſunt concepta[m]. Nec verò ad nouationem quidquam refert, ſequens obligatio vtroque iure, an altero dumtaxat teneat. Itaque ſi quod alius debet, à pupillo, ad quem ex alia cauſa tantũdẽ peruenerat, ſtipuler, cùm pupillus natura obligetur[n], nouatio fiet[o]. Sed etſi dolo creditoris inductus minor alienam in ſe obligationem nouandi animo ſuſceperit, quamquam poſterior ſtipulatio inanis ſit, prior tamen obligatio tolletur[p], & res creditori peribit, qui ſibi in veterem debitorem actionem reſtitui non probè deſiderauerit, quam ipſe voluntate ſua amiſit, omni iuris auxilio propter dolum ſuum indignus[q]. De ſe enim queri debet, qui hoc agens vt minorem falleret, ſe ipſe imprudens fefellit. Alia cauſa eſt, ſi à ſeruo quis ſtipuletur, quod alius debet. Nihilominus enim prior obligatio manet, perinde atque ſi ſtipulatio nulla

xl & per iuſiurandum. §. tutor. D de acceptil. l. ſi Stichum in fin. D. de nouat.
a d. l ſi Stichum. §. ſi decem.
b l. ſi is cui decem. D. eo.
c l ſi duo. in fi. D. de verb. oblig.
d l à te hominem. D. de nouat.
e l. 1. D. de nouatio.
f l. ſi in ſtipulatũ D. de donat. l 4. § ſi ex cõuẽtione. D. de re iud.
g l. minor. annis xxv. cui ſi d. ic. D. de minori. d. §. ſi ex conuentione.
h l. ſi Stichum. § 1. D. de nouatio
i l. aliam. D. eo. l. 2. in fi. D. de priuil. cre.
k l. 2. D. de nouatio.
l l. vlt. in fin. D. eo l.
m l. & l vno. D. de acceptil.
n l. naturaliter. §. vlt cum l ſeq. D. de cõdi. in l. l. pupillus. D. de auct. tut. l. cũ illud. § heres D. quãdo dies leg.
o l. 1 in fi. D. de nouat.
p l ſi Titius. D. de ſideiuſſ.
q Arg l 2 §. verba. D. ad Velleia.

intercesſiſſet[r]. Quod non iniuria mirum alicui videri poſſit. Nam ſi pupillo interueniente nouationem contingere admittimus, cur non idem in ſeruo ſtatuimus, qui æquè atque ille naturaliter obligatur[s]? Et non omnino malè dicetur, quia tam ciuili[t], quàm honorario iure pro nullo ſeruus habeatur, ſitq; vt cum Theophilo dicam, ἀπρόσωπος, nimirū tamquam perſona nulla ſubſit, in ſuo ſtatu obligationem manere, vtut nouandi animo ſeruus interuenerit. Eſſe enim perſonam oportet, in quam obligatio nouata transferatur[x], quam ſeruus nullam habere intellegitur. Adde quòd alienam in ſe obligationem niſi ex peculii cauſa ſuſcipere ſeruo non eſt permiſſum[y]: in tantum, vt ſi interuenendi animo non rem peculiarem agens quid ſpoponderit, quaſi nulla inde naturali obligatione nata, & in dominum de peculio actio denegetur[z], & ſoluta pecunia repetatur[a]. Quod argumento eſt[b], vt naturaliter quidem tenere eam obligationem, qua ſe ſeruus pro alio nouandi cauſa: non ex vtilitate peculii obligauerit. Non tantum autem iam conſtitutas & præſentes, ſed & futuras obligationes in ſtipulatum animo nouandi deduci poſſe ſciendum eſt, dum tamen intellegamus non antè fieri nouationem, quàm obligatio conſtiterit. Prius enim obligationē eſſe oportet, quàm in alium ſtatum eā transferatur: & naturali ratione, quæ nondum eſt, nouari obligatio non poteſt. In diem planè obligatio etiam antequam dies venerit, nouatur[c] licet agi ante diem non queat. Præſens enim obligatio naſcitur etiam ex ea ſtipulatione, quæ diem habet, ſtatímque deberi ex huiuſcemodi cauſa intellegitur[d], ſola in diem cōſtitutum petitione dilata. Sed ſi quis à Seio nouādi cauſa ſtipulatus ſit, quod à Titio ſtipulaturus fuerat, tunc fiet nouatio, cùm à Titio fuerit ſtipulatus: eodemq; tempore & naſcetur & nouabitur obligatio[e]. Condicionales quoque obligationes non antè nouantur, quàm earum condicio extiterit. Atque vt planè perfecteq; intellegamus, quando nouatio contingat, admonendi ſumus, intereſſe, vtrum purè, in diem, vel ſub condicione quòd nobis debetur, ſtipulemur. Cum purè ſtipulamur, pura quoque præcedens obligatio eſt, nouatio ſtatim fit. Nec aliud probabitur, ſi ea quæ nouādi cauſa interponitur ſtipulatio, diem habeat[f]. non enim propter

r §. præterea. Inſtit. quib. mod. toll. obl.
s l. naturaliter. D. de cō. l. ind. l. nec ſeruus. D. de pecul.
t l. quod attinet. D. de. reg. iur.
u l. 1. D. de in. delib. l qui teſtamento §. ſeruus. de teſta.
x l. quotiens. in fi. D. de nouatio.
y l. in perſona. §. 1. D. de pact.
z l. licet. §. ſi filiusfa. D. de pecul.
a l. ſ. . . . in . . ſcio. D. de fideiuſſorib.
b l. naturaliter. D. de cōdi. indeb.
c l. in diem. l. ſi Stichum. § 1. de nou.
d l. 9. D. vt l. . . . cau. l. ceder. . de verb. ſign. l. in . . . D. de condi. ind.
e l. ſi Stichū. §. ſi . . . . de nouatio.
f d. l. ſi Stichum. §. 1.

diei adiectionem obligatio ſuſpenditur g, licet antequã dies venerit, agi non poſſit, aut (quod quibuſdam magis placet) perperam maleq; agatur h. Quod vtique de die certo accipiendum eſt. Nam dies incertus pro condicione eſt i: ideoq; nouationem moratur, ſi non ſolum, quando extiturus ſit, ſed etiam, an omnino extiturus ſit, pro certo haberi non poſſit. Nam qui ſub condicione ſtipulatur, non ſtatim nouat propter ipſius condicionis incertum: cuius quia anceps & dubius euentus eſt, obligationis ortus ſuſpenditur. Quamobrẽ ſi condicionem omnino extituram certum eſſet, nouatio ilicò fieret. Nam quæ neceſſariam & in naturali ordine poſitam cauſam habent, condiciones, obligationem non magis differunt k, quàm quæ in præteritum vel in præſens conferuntur l. Vnde & quod ad obligationis ortum attinet, pro pura habetur ea ſtipulatio, quæ ſub huiuſmodi condicione concipitur, nec nouationi moram facit. Cùm verò ambiguo & incerto euentu condicio ſuſpenditur, ſuſpenſo quoque ſunt ſtipulationis nouandi cauſa interpoſitæ vires. Ridiculum enim eſt, & penè memoratu indignum, quod quidam tentant dicere ex condicionali quoque ſtipulatione, præſentem obligationẽ naſci, eo moti quod Paul. ſcripſit m, ex præſenti tempore vires capere condicionalem ſtipulationem. Quod alio longè ſenſu à Paulo dictum eſſe aliàs commodius oſtendemus. Nam à re propoſita eius loci ſententia paulo longius abhorret. Illud inſtitutæ eſt ſcriptionis ac temporis, etiam puram ſtipulationem, quæ ad nouandam ſub condicione conceptam ſtipulationem, interponitur non antè aliquid agere, quam prioris condicio extiterit: qua pendente ſi res promiſſa intereat, exiſtens poſtea condicio nouationem non committet, quoniã corpus nullum ſubeſt, in quo nunc primùm naſcens obligatio conſiſtat n. Priore verò obligatione reus eo iure ſoluitur, quo ſolueretur, extincta re promiſſa antequam per eum factum eſſet quominus daret. Quod etiamſi mora ſtipulationem nouantem præceſſiſſet, adhuc tamen diceremus. Quamquam enim non nouat, purgat tamẽ cõdicionalis ſtipulatio ante commiſſam moram o, periculoq; debitorem quaſi rem promiſſam obtulerit p, liberat. Vnde hoc ita procedere Marcellus acutè notat, ſi ſecun-

g l. in diem. D. de cond. indeb. l. cèterſimus. de verbor. obl.
h l. 1. in fi. D. quando dies leg. vſuſf. l. 3. §. ſi quis ita ſtipuletur. D. quod cer. loc.
i l. 1. D. de cõd. & dem.
k l. ſi pupillus. §. 1. D. de nouat. l. quod ſi ſub ea D. de cond. ind.
l l. cum in præſens cum ſeq. D. ſi cert. pet.
m l. vſusfructus. de ſtipu. ſer.
n l. quotiens D. de nouat.
o l. ſi Stichũ de nouatio. l. partus. D. de cond. furt.
p l. qui decẽ. 2. de ſolut.

dæ ſtipulationis tempore in poteſtate ſua re promiſſor habuerit. Nam cùm oblationis poteſtate moram purgari eiuſmodi ſtipulatione conſtet, tum demum id admittendum eſſe ratio ſuadet, cùm rei copiam, facultatemq; promiſſor eo tempore quo ſtipulatio facta eſt, habuit. Quòd ſi res abfuerit, quia ſuperiori rationi locus non ſit, oblatumque fingi non queat, quod per rerum naturam propter abſentiam offerri non potuit, aliud meritò reſpondebitur. Nec enim contra quàm natura ſe res habere poteſt, in iure quidquam fingitur q. Et hoc quidem caſu conſequens erit dicere, ſi priuſquam rei facultatem promiſſor nanciſceretur, ea deceſſerit, periculum eius nihilominus periret. Qua in ſpecie Venuleii r reſponſum s procedere poterit, quod alioquin diſſidiū, meo iudicio, implacabile habet. Quamquam autem mihi non placeat generalia Iureconſultorum verba hiſce anguſtiis coërceri, præſertim vbi ſuppletur quod ſine ſcelere prætermitti non potuit, cum tamen aperta non apparet opinionum pugna, & ratio aliqua conciliandorum locorum inueniri poteſt eam, licet animum vſquequaque non expleat, amplecti tamen ſatius eſſe puto, quàm inutiliter propter repugnantiam duo noſtrorum librorum loci relinquātur. Cum verò ſtipulationis nouandi animo adhibitæ condicio deficit, in ſuo ſtatu prior obligatio manet, nullatenus à poſteriore, quæ effectum non habuit, innouata t: nec eo ipſo creditor quaſi à debitore tacitè pactus ne petat, exceptione repelletur u, qui in eum tātum caſum à prima obligatione diſcedere voluit, quo poſterioris condicio extitiſſet. Quò fit, vt qui quod purè debet, ſub condicione nouandi animo ſpoponderit, pendente condicione ſolutum repetere non poſſit x, quoniam ex altera cauſa debiturum omnimodo certum ſit: ex priore quidem, ſi defecerit condicio: ex poſteriore, ſi euenerit. Ex diuerſo, ſi quod ſub condicione debetur, purè nouandi cauſa promittatur, ne tunc quidem ſtatim nouatio fiet, ſed tūc demum cum prioris ſtipulationis cōdicio extiterit y. Eſſe enim conſtitutam obligationem oportet, priuſquā nouetur: quod ante condicionis euentum dici non poſſe conſtat. Qua ratione & qui ſe purè ſoluturum quod alius ſub cōdicione debet, conſtituit, non prius obligatur, quàm debiti cōdicio ex-

q Argu. l. qui ad certum. D. loca.

r l. qui decē. §. 1. in fi. de ſoluti.

s l. ſi rem aliquam. D. nouatio.

t l. nouatio. D. de nou. 18.

u l. in perſona. §. 1. D. de pact.

x l. Iulianus D. de cō. ind.

y l. ſi Stichū. §. 1. de nouat.

titerit[z]: cum debiti cauſam in conſtituto[a] ſimiliter, vt in nouatione[b], præcedere neceſſe ſit. Hinc eueniet, vt ſi pendente condicione promiſſor deportetur nouationis ſpes omnis intercidat: quia perſona iam non ſit, quæ obligetur[c]. Deportatione enim vt iam antè contractæ obligationes tolluntur[d], ita multo magis naſcituræ impediuntur. Non idem dicemus ſi pendente condicione promiſſor deceſſerit. Itaque ſi à Titio nouandi animo ſub condicione ſtipuler quod mihi Seius debet, eaq;, licet iacente adhuc hereditate extiterit, nouatio fiet[e], quoniam condicionales promiſſiones morte promiſſorum non extinguuntur, ſed earum ſpes vel ex incerto euẽtu pendens ad heredes tranſit[f], & in ipſa hereditate, quæ defuncti perſonam ſuſtinet, interim dum heres non apparet, reſidere intellegitur. Porrò in nouationem[g] etiam poſt moram mortuus homo[h], vt & in conſtitutum & in iudicium rectè deducitur, cùm extare adhuc propter moram, quæ perpetuam obligationem facit, videatur[i].

Nouatio per ſtipulationem fit, pacto enim quod ex vna cauſa debetur, in aliam conuerti non poteſt[k]. Receptum eſt etiam nouationem fieri litis conteſtatione. Vnde duplex à noſtris Nouatio conſtituitur: Voluntaria vna, quæ ſtipulatione: Neceſſaria altera, quæ ſtipulatione fiat. Quæ diuiſio in varias reprehenſiones incurrit. Certa enim notionis definitio à Iureconſultis traditur. quæ cum in conteſtationem litis transferri non poſſit, nec eidem nomen quoque rectè aptabitur[l]. Nouatio autem ab eo nomen habere ductum dicitur, quod præcedente ſublata, nouam conſtituat obligationem[m]. Litis conteſtatione non modò noua obligatio nulla comparatur, ſed nec aliqua tollitur[n]: quinimmo etiam firmatur roboraturque magis, vt apparet in iis actionibus, quæ tempore mortéue eorum, quibuſcum agitur, finirẽtur[o]. Itaque cùm dubitaretur, an qui conſtitutoria egiſſet, veterem obligationẽ conſumeret, ſolutione ſola ex ea actione facta liberationem contingere Vlpia. admittit, non etiam litis cõteſtatione[p]. Sed etſi dominus de peculio conuentus ſit, naturalis obligatio, qua ſeruus tenetur, manere nihilominus dicitur[q]. Et certè ſi ex veritate non ex auctoritate rem totam æſtimare volumus, vix eſt, vt ſuperior diuiſio defendi poſſit.

Nam

z l. id quod. D. de conſt. pec.
a l. 1. §. debitum. D. de conſtit. pec.
b l. 1. D. de nouatio.
c l. quotiens. in fi. D. de nouatio.
d l. ſi ebitors. D. de fideiuſſorib.
e l. nouatio D. de nouat.
f § ex condicionali de verbor. oblig. l. it cui. D. de obl. & a 7.
g l. ſi ſeruum. §. vlt. de verb. oblig.
h l. promiſſor. Stichi. D. de conſt pec.
i l. ſi quis ſolutioni §. vlt. de vſur.
k l. qui negotia. D. mãda.
l. ſi ex pretio. C. ſi cert. pet.
l l. 1. D. de dolo.
m l. 1. D. de nouat
n l. fundus. D. de nouat.
o l. vlt D. de fideiuſſ tut. §. pen. Inſtit. de perpet. & tẽp.
p l. item illa. §. vlt. de cõſt. pec.
q l. eo tempore §. etiam. D. de pecul.

Nam quantumlibet diuerſas & diſſidentes ſpecies communione aliqua ſocietateq; generis contineri neceſſe eſt, litis cōteſtatio nouationi ſimile nihil habet. Prętereo enim quod quæ nouationis propria ſunt, conteſtationi non inſunt, effecta etiam penitus à nouatione abhorrentia habet. Nam nec vſurarum curſus litis conteſtatione inhibetur[r], nec pignora fideiuſſoréſue liberantur[s], & creſcit, nedum purgatur mora:[t] vt ceteras omittam quas Paulus commemorat[u], differentias apud quem verbum, *voluntaria*, non eò pertinere dici poteſt, vt aliam eſſe nouationem non voluntariam demonſtret (hoc enim nuſquam relatum eſt) ſed propriæ nouationis naturæ deſignandæ cauſa additum eſſe. Atque vt hoc reprehēdo quod ab interpretibus confictum eſt, ita illud non reprobo, Noua iudicati actione priorem nouari[x]. Nam & iudicio quaſi contrahi traditum eſt[y], vt non iam iudicii origo, ſed ipſa iudicati velut obligatio ſpectetur[z], nec antiqua amplius actione, ſed iudicati poſt ſententiam agatur[a]. *Semel enim*, ait Paul.[b] *cauſa tranſire videtur in condemnationem; & inde pecunia deberi:* nec iam ex priſtina obligatione vſuræ debentur, ſed ex noua iudicati cauſa [c]. Sed & quibus in cauſis delegatio per litis conteſtationem fit [d], iiſdem etiam velut nouationem committi, ſi quis contendat, non repugnabo. Similiter iuriſiurandi condicionem ex numero eſſe nouandi Paulus ſcribit[e]. Poſt iuſiurandum enim non iam priſtina debiti cauſa & antiquus actionis titulus inſpicitur, ſed noua iuriſiurandi actio cauſaq; exercetur[f]. Poſtremò ſciendum eſt interdum quaſi nouationem per exceptionem fieri. Nam ſi quis quod ſibi à libero homine debebatur, à ſeruo ex peculii cauſa eam obligationem in ſe ſuſcipiente nouandi animo ſtipulatus ſit, hic licet non ipſo iure nouatio fiat, quia perſonam, vt iam dixi, ſeruus non habet, cuius interuentu poſſit noua contrahi obligatio, exceptione tamen creditor repelletur, ſi à priore petat[g]. De illo quæri & dubitari ſolet, An pœnali ſtipulatione præcedens obligatio nouetur: Et res eſt inter interpretes valde controuerſa[h]. Ego ſic ſtatuo, cū quid fieri ſtipulati ſumus, pœnaq; certæ pecuniæ, ſi id non fiat, promiſſa, exiſtente condicione (quod tum accidere Papinia, Pegaſi & Sabini ſententias componens interpretatur[i], cùm in-

r l. 1. C. de iudic. l. lite. D. de vſur.
s l. cum ſtipulatus D. de verb. obl.
t l. grege. §. etiam. de pig. l. græce. §. an erge de fideiuſſ.
t l. ſi inſulā. de verb. obl.
u In l. aliam. D. de nouat.
x l. 3. §. & ideo. C. de vſuris rei iud.
y l. 3. §. idem ſcribit. D. de pecul.
z l. qui operas. §. nihil. in fi. de oper. lib.
a l. acceſi. C. de reb. cred.
b l. ſi fundus. § ſi pluris de pignorib.
c l. in bona. C. de vſur.
d l. delegare. D. de nouatio
e l. qui iuraſſe in fin. D. de iureiur.
f l. eum qui. D. de iureiur.
g l. in perſona. §. 1. de pac.
h Zaſ. in Intellect. ſingul. Alcia. in Paradox. doct. in l. ita ſtipulatus. de verb. obl.
i l. ita ſtipulatus circa fi. D. de vee. obl.

terpellatus promiſſor non fecerit) in pœnam ſtipulationem priorem trāsferri, & quaſi nouationem fieri [x]. Tantumdéq; dicendum eſſe, cùm penu legata heres, ſi pecuniam non dediſſet, penu*m* dare damnatus eſt [l]. Cui ſententiæ non aduerſatur quod Paul. reſpondit [m], cùm inter aliquos conueniſſet, vt ſi ea, quæ pacto ſocietatis perſcripta eſſent, non darentur, fierent, viginti darentur, tunc ſocietatis iudicium non eſſe nouatum: & ideo adhuc pro ſocio ante pœnam ex ſtipulatu petitam, vel poſt in id quod excedit, agi poſſe. Hoc enim in ea ſpecie ita reſponſum eſt, quòd in ſtipulationem res ipſa deducta non proponeretur: quo caſu contractui ſubdita ſtipulatio ex contractū actionem non nouat. Cum verò tam res, quàm pœna in ſtipulatum peruenit, hic procedit quærere, An pœnæ ſtipulatio principalem nouet. Et quaſi nouationem ex præſumpta contrahentium voluntate fieri conſulti probant, vbi ea ſub qua pœnæ ſtipulatio concepta eſt, condicio extiterit, aliter atque ſi ſtipulatione ſola pœna comprehenſa eſſet.

x l. obligationum fere. §. vlt. de oblig. & actio. l l. 1. D. de penu. leg. l. ſi penum. D. quando dies leg. m l. duo ſocietatem D. pro ſoc.

Nouatio autem ita demum fit, ſi hoc actum eſt [n]. Ac ne ante Inſtinia. quidem conſtitutionem noua accedente perſona, quæ idem promitteret, nouatio aliter fiebat, quam ſi nouandi cauſa id factum eſſet. Idcirco cùm de abſente per nouationem liberando tractatur, diſertè ſemper additur, Ab alio quod abſens debet, nouandi cauſa eſſe ſtipulandum [o]. Quapropter ex iure conſultorum ſententia veriſsimè definitur, Nouationem ita fieri, ſi hoc animo ſtipulatio intercesſit: alioquin adijci verius, quàm detrahi obligationi [p]. Proinde iudicatum ſolui ſtipulatione actio iudicati nō nouatur, quia non hoc agitur [q]. Sed nec eo quòd fideiuſſores aut pignora à condemnato creditor acceperit, propterea iudicati executio tolletur, niſi hoc animo nouandi factum conſtet [r]. Ne is quidem qui ab alio, quanto minus à debitore ſuo exegerit, ſtipulatur, nouat, quia eam voluntatem non habet [s]. Fūdum quoque Cornelianum ſtipulatus, ſi poſtea quanti fundus eſt, ſtipuletur, nō protinus nouat, ſed ita ſi eo conſilio hoc factū eſt [t]. Si verò non ea mente ſtipulatus eſt, in hoc poſterior ſtipulatio vtilis erit, vt meliore vel deteriore poſtea facto fundo, æſtimatio, quæ ſecundæ ſtipulationis tempore fuit, peti

n l. 2. l. ſi Stichum § 1. & §. ſi quis ita. l. fundum. D. de nouatio. o l. ſi debitor. D. de ſolu. l. et per iuſiurandum. §. tutor. de accept. l. Stichum in fi. de nouatio. p l. duo ſocietatem. D. pro ſoc. q d. l. Stichum §. idem Celſus. r l. 4. §. ſi ex conuentione. de re iud. s l. ſi ita fuero. D. de nouatio t l. fundum. D. eo.

poſſit. In duobus quoque reis fruſtra timetur nouatio, ſiue ſimul, ſiue ſeparatim ſpondeant, cùm hoc actum ſit inter contrahentes, vt duo rei conſtituantur, neque vlla nouatio fiat. [u]Pecuniam ſanè creditam cùm ex continenti vtiliter ſtipulamur, nouatio nulla fit, ſed vnius ſtipulationis contractus eſt, cuius implendi cauſa ſecuta numeratio videtur [x]. Contrà atque ſi inutilis ſtipulatio numerationi ſubdita ſit. Tunc enim ex numeratione tantum, non etiam ex ſtipulatione agetur [y]. Quamquam autem vſumfructum ſtipulatus, inutiliter deinde vſum ſtipuletur: & actum ſtipulatus, iter ſtipulando nihil agat [z], quoniam & vſufructu vſus continetur, & iter actui ineſt. Si tamen hoc nouandi animo factum ſit, priore obligatione ſublata, ex poſteriore dumtaxat vſus vel itineris petitio erit [a]. Sed cùm variæ inciderent de ſtipulantium mente dubitationes, & in obſcuro plerumque poſitum eſſet, quem illi animum habuiſſent, Iuſtinia. in veteris iuris emendationem conſtituit [b], ſublata voluntatis quæſtione, nō aliter deinceps nouationem fieri, quàm ſi nouare ſe diſertè contrahentes expreſſiſſent. Itaque proculdubio Triboniani eſt, quod aliquot Pandectarum locis legimus [c], *Nouandi animo hoc facere ſe aliter expreſſerit*: qui infinita eiuſmodi flagitia in libris noſtris admiſit: quæ plenius aliquando, Deo fauente, prodentur.

Nouatio ſolutioni ſimilis eſt [d], & ipſo iure priorem obligationem cum omnibus ei adiunctis condicionibus perimit [e] ſi modo legitime ita, vti ſuperius deſcripſi, facta eſt. Planè ſi minor ab idoneo debitore ad inopem nouandi cauſa tranſtulerit obligationem, in priorem ei debitorem actio ætatis auxilio reſtituetur [e]: vt & mulieri, quæ ſoluto matrimonio egentem reum dotis per nouationem decepta ecceperit [f]. Quod ipſum ſingulari dotium fauore, ne indotata mulier maneat, receptum eſt. Ceterum nouatione funditus obligatio tollitur, & vſuræ currere deſinunt [g]. & pignora liberantur [h], niſi ea in ſequenti obligatione repetita, & ex debitoris conſenſu denuo obligata ſint [i]. Pœna etiam amplius ex priore obligatione committi non poteſt [k]. mora antè facta in eo præſtando quod promiſſum eſt, purgatur [l]. Perit & prioris actionis priuilegium, veluti ſi poſt diuortium, ait lex [m] (conſtāte enim

u l. 3. D. de duob. re.
x l. ſi ita. §. vlt. cum l. ſeq. D. de nouat.
y l. certi condictio. §. quoniam. D. ſi cer. pe.
z l. ſi pupillus. §. vlt. de nouat.
a l. qui vſumfructum de verbor. obl.
b l. vlt. C. de nouatio.
c l. qui vſufructum. de verbor. obl. l. aliam rem §. ſi duo. de nouat.
d l. ſi rem aliquam. in ſi. de nouat.
e l. patris § pe. D de min.
f l. ſi cùm dotem. § ſi mulier. D. ſoluto matrim.
g l. emptor. D de nouat.
h l. nouatione D. de nouatio.
e l. 2 D. qui pot in pi. n.
l. ſolutum. D. de pig act. l. Paulus D. de nouatio.
k l. ſi creditor D eo.
l l. ſi Stichum. l. quotiens. D de nouat.
m l. alia. D. de nouat.

matrimonio deterior fieri dotis cauſa conuentione non po-teſt) dos in ſtipulationem deducatur, vel poſt pubertatē tutelæ actio nouetur, vel quod in funus impēſum erogatūq; eſt, in ſtipulationem nouandi animo deducatur n. Atque hęc ſunt præcipua Nouationis effecta. Nunc de delegatione.

n l. 25. pen. D. de priui-le. credit.

DE DELEGATIONIBVS.

NOVATIONI vicina eſt & adfinis Delegatio. Delegare autem, eſt alium vice ſua debitorem dare a: quo facto & à priore creditore delegatus liberatur: & qui delegat, perinde ac ſi ſoluiſſet, creditori ſuo ſatisfeciſſe intellegitur. Delegatur verò volens debitor b. Inuitus delegari non poteſt: inuiti tamē nomen vendi poteſt c. Cuius differentiæ in promptu ratio eſt. Nam ipſo debitore præſente, ſtipulationeq; cum eo interpoſita delegatio, fit. Et ideo ex conſenſu vtriuſq; negotium conſiſtere neceſſe eſt d. Nominis venditio debitoris præſentiam conſenſumq; non exigit, aduerſus quem abſentem etiam & ignorantem ſuas creditorem mandare actiones nihil vetat. Nec hi tantum, qui principaliter obligati ſunt, ſed & expromiſſores, & qui pro aliis fidem ſuam obſtrinxerunt, delegari poſſunt e. Mulier etiam viro dotem promiſſura delegante eo, alteri promittere poteſt f, Sed & non debitor vtiliter delegatur: vſque adeo, vt ſi mihi quem dolo circumuentum g, vel qui ſupra modum legitimum ei donare volebat h, vel libertum qui onerandæ libertatis cauſa ſtipulanti ſpoponderat i, vel eū, cui nihil crediderat, debitor meus delegauerit, petentem me, qui nullum dolum adhibui, quique meum perſequor, & ex mea ſtipulatione ago, nulla exceptione repellere poſsit, qui delegat[9] eſt. Atque etiam in ſolidum, quamuis deleganti donatum vellet non quatenus facere poteſt, exiguatur k, cum non vt donatū ſibi, ſed vt debitum creditor accipiat. Generaliter enim, ne neceſſe habeam commemorare de ſingulis, quæcumque deleganti poterāt opponi exceptiones, ceſſant in perſona eius, cui quis delegatus promiſit, ſiue doli ſint, ſiue pacti, ſiue Senatuſconſ. Macedoniani, ſeu quæ aliæ l. Cui conſequens eſt, vt ſi non debitor ſciens delegetur, nec exceptione ſe aliqua aduerſus eum cui expromiſit, defendere, nec à delegante

a l. delegare. D de nouat.
b l. 1 & l. nec creditoris C. de nouat. l. 2. D. ſol. matr.
c l 1. C. de nouat.
d l. inter ſtipulantem. de verb. obl. l. 1. §. 1. D. de pa.
e l. inter cauſas §. abeſſe. D. mand. 1.
f l ſi mulier. ita dotem. D. de iur. dot.
g l. apud Celſum §. idem quæritur D. de dol. excep.
h l. purè §. ſi cum D. de doli except. l. vt mihi. D. de donatio.
i l. 1. §. ſiue autē. D. quar. rer. act.
k l. quid id quod in fi. D. de donatio. l. Neſennius D. de re iud. l. pen. D. de nouat.
l l. doli. D. de nouatio.

quicquam,tamquam donauerit [m],repetere poſſit [n]. Quod ſi per errorem delegatus promiſerit,petenti quidem ei,cui delegatus eſt,nullam exceptionem obiiciet [o], nec ſoluti velut indebiti condictionem habebit,quam creditor tum quia alterius contemplatione ei ſolutum eſt [p], tum quia ſuum accepit,non timet. Hac enim in ſpecie maximè procedit vulgata ſententia,quæ dictat,Repetitionem nullam eſſe ab eo,qui ſuum recepit [b]. quam vereor ne ex particulari & ſingulari themate inſcitè Tribonia. ad regulam generalem traxerit. Ceterum ne in damno verſetur, qui per ignorantiam alterius dolo circumuentus eſt,ſolutam pecuniam ab eo,qui delegauit,quaſi indebitum eius voluntate alii ſoluerit,condicet [r]: ſi modo non tranſigendæ controuerſiæ cauſa promiſerit [s], Aut ſi nondum ei quicquam abeſt,liberationem condicet [t], quæ ipſa quòd in oculos ſenſumq; corporalem non cadat,ceterarum rerum incorporalium exemplo incerti cōdicitur [u]. Hæc ita,ſi creditori quis delegatus ſit. Nam cùm is ſuum perſequatur,ſibiq; vigilet,nec dolo facere quicquam dici poteſt [x], nec exceptione repelli: aliterq; obſeruantibus ſummam fore captionem conſtat, quandoquidem bonum nomen ſecutus [y], ſuum amitteret. In eadem cauſa eſt maritus, cui in dotem non debitor delegatur. Hic enim creditori ſimilis eſt [z], dotemq; ex oneroſa cauſa habere intellegitur [a]: nec facilè decipiendus eſt,ne indotatam vxorem, quam alioquin ducturus non fuerat [b] præter ſpem cogitationemque ſuam habeat [c]. Ideoq; & huic ſuo nomine agenti ſibiq; negotium gerenti, nihil eæ exceptiones nocent quæ petentem mulierem ſummouiſſent [d]. Aliud iuris eſt, ſi ei cui donatum volumus,non debitor delegetur. Nā & hic exceptione doli mali teneri ſe, & præterea incerti condictione efficere poteſt, vt ſibi ſua ſtipulatio accepto feratur [e]. Meritò id quidē, cùm eius qui donationis cauſa delegatum ſibi non debitorem accepit, longè alia ſit, quàm creditoris ratio,qui de ſuo recipiendo non laborat,magiſq; ex aliena iactura lucrū quærere videtur, quàm

m l. indebitum. C. de cōd. ind. l. cum. D. de reg. iur. l. Campanus. de oper. lib.
n l. ſi quis delegauerit. D. de nouatio.
o l. ſi Titius. D. eod
p l. ſi nō ſortem §. libertus. in fi D. de cond. ind. l.
q l. repetitio. D. de cōd. ind.
r Arg. l. qui hominem. D. de ſolutio.
s l. 1 §. ſiue autē. in fin D. quar. rer. act. l. in ſumma. D. de cōd. ind.
t l. 2. C. de cond. ind. l. ſi quis delegauerit. l. ſi non debitorem. D. de nouat. l. pure. §. ſi eum. de dol. except.
u l. quāuis. §. ſi mulier. in fin D. ad Vel. leia. l. incauſa. §. itē Pompo. D. de min.
x l. nihil dolo D. de reg. iur. l. qui autem. §. 1. quæ in frau. cred.
y l. inter §. abeſſe. D. manda.
z Arg l. qui bibliū §. vlt. D qui pot in pign.

a l. ex promiſſione. D. de obligat. & actio.
b l ſi fraudator §. 1 in fi. D quæ in fraud. cred.
c l. ſi donaturus §. ſi quis indebitam. D de condict. ob cauſ.
d l. apud §. ſed & ſi poſt. l. purè §. item quæritur. D. de doli except.
e l. 2. §. aliud. D. de donatio. l. Iulianus. D de doli except.

id agere, ne damnum ſentiat[f]. Planè ſi verus debitor, donationis licet immodicæ cauſa, alicui delegatus eſt, petentem cum quidem certè debitor, cuius nihil intereſt, non repellet: ſed ego ante ſolutam pecuniam reſciſſoria actione conſequar, vt eo quod legitimum modum excedit, reſciſſo, in reliquum tibi debitor maneat obligatus: vel ſi iam ſoluta pecunia eſt, in id quod ſupra legis modum ſolutum eſt, condictionem contra te habebo[g]. Hoc amplius, & ſi is, qui mihi donare volebat, ei cui donatum volebam, ex voluntate mea promiſerit, in ſolidum non id quod facere poterit, damnabitur, tametſi me petente eius rei ratio habenda eſſet ne egeret[h]. Sunt & aliquot notãdæ ſuperioris regulæ exceptiones. Nam ſi maritus poſt ſolutum matrimonium alii in dotem à muliere delegetur eatenus dumtaxat, quatenus ſalua dignitate facere poterit, priori tenebitur[i], quoniam hoc iuris beneficium, nec ſi ei directis verbis renunciet, à ſe abdicare non poteſt[k]. Quod in honorem matrimonii ſibi benignè tributum integrum quoad ſoluerit, maritus retinet[l]. Nam ſolutum licet ſoluendo non ſit, ideò non repetit[m], quia omni iure debet[n]. Delegato verò, quia adhuc omnia integra ſunt, exceptione vti permittitur. Quæ mihi veriſſima eſſe eorum locorum conciliatio videtur, quæ Accurſium malè torquet. Quinetiam ſi mulier ab eo apud quem contra Senatuſc. interceſſit, alii delegata promiſerit, exceptione ſe tuebitur[o], propterea quòd hac quoque delegatione alienæ in ſe obligationis onus contrà ac liceat, ſuſcipit, Senatuſconſultoq; tam prior quàm poſterior infirmatur obligatio. Aliter atque dicẽdum ſit, ſi à vero creditore mulier debitrix delegata, alii promiſerit. Hic enim cùm à creditore ſuo liberetur, ſua ſe verius, quàm aliena obligatione onerat, nec exceptione vti poteſt[p]. A muliere ſanè contra s c. obligata non debitor ei, apud quem interceſſerat, delegatus exceptione Senatuſconſulti, quod interuentoribus acceſſoribusq; ſummouit, proculdubio petentem eum, cui delegatus eſt, repellet[q]. Præterea ſi circumſcriptus minor promiſerit, poſt delegatus ſit, exceptione ſe aduerſus eum, cui delegatus eſt, tuebitur: quia vt in promiſſione, ita in delegatione quoque circumuentus iure poteſt in integrũ reſtitutionem deſiderare[r]. Quocircą ſi

f Argu. l. ait prætor. §. ſimili modo. quæ in fraud. cred.
g l. vt mihi D. de donat.
h l. qui id quod §. vlt. de donatio.
i l. ſi prior. D. ſol. mat.
k l. alia §. vlt. D. ſol. mat.
l l. quod ſi maritus. D. de conſt. pec.
m l. nam & ſi cùm maritus. D. de condi. indeb.
n l. ſi quis reũ. § idem Iulia. D. de lib. leg.
o l. dol. D. de nouatio.
p l. debitrix, D. ad Vellea.
q l. quamuis §. interdum. D. ad Vellea.
r l. dol. in fi. D. de nouat.

maior factus delegetur ab eo, cui minor promiſerat, etſi tempora reſtitutioni præſtituta nondum prçterierint, exceptione tamen non vtetur, quoniam ætatis auxilium eo tempore deficit, quo delegatur. Sed etſi maritus ſoluto matrimonio à debitore ſibi in dotem delegato petat, de dolo vxoris ei exceptio nocebit, quoniam non iam ſuum ius perſequitur, ſed vxori vigilat[s]. Itaque bene Paul. in hac quçſtione, Numquid de dolo mulieris excipiendum ſit aduerſus maritum qui dotem petit, addidit[t] *niſi iam diuerterit*. Eo enim caſu de dolo vxoris, cui pecunia ſtatim quæreretur exceptio ei obſtaret. Et idcirco in his Pauli ad Epiſtolam Apollinaris[u] verbis: *Cui ſimilis eſt maritus, maximè ſi conſtante matrimonio petat*: non ſic *maximè*, accipi debet, quaſi & idem ſit, ſed ita quaſi idem non ſit ſoluto matrimonio, vt & aliquoties[x] verbum hoc accipiendum eſſe in libris noſtris docere poſſum. Quod Accurſium in errorem impulit. Aut certè *maximè*, eò adiectum diceremus, quòd nec ſoluto matrimonio in eo quod viro ex dote quæratur, ei exceptio obſtat[y]. Nam quòd Accurſ. indiſtinctè ac generaliter idem admittendum putat, ſi ſoluto matrimonio petatur, id ex ea lege, qua moueri ſe oſtendit[z], duci non poteſt: quæ & longè aliam ſpeciem habet, & in ſocero dotis promiſſore procedit, cui ſoluto matrimonio & ita dirempta adfinitate non eundem quem conſtante matrimonio honorem tribuimus[a]. Poſtremo, vt hunc totum locum concludamus, & in operas, quas patrono promiſit creditori, eius libertus delegatus tribus liberis ſuſceptis, legis Iuliæ & Papiç beneficio, à creditore æquè liberabitur, atq; ab ipſo patrono ſi priſtina obligatio manſiſſet[b], liberaretur. Nam titulum & cauſam debiti inſpiciendam prudentes cenſuerunt, quæ ex obligatione operarũ patrono promiſſarum manat: à quibus cum ex lege liberetur, creditori quoque teneri deſinit. Quòd ſi ab initio delegante patrono creditori promiſiſſet, contrà ſtatueremus. Nec enim hic in perſona patroni vllatenus obligatio conſtitit, vt operarum aliquã ratio ſit habenda. Ceterùm ſi non debitor debitorem ſuum delegauerit, exceptione[c] nulla eum, qui ſtipulatus eſt, delegatus ſubmouebit, ſed ab eo is qui delegauerit, per condictionẽ hoc repetet. Illud notandum eſt, ſi obligatio perſonæ cohæreat, delegari ipſo iure de-

s l. ſi donatores. in fi. D. de condi. cau. da.
t l. purè. § ſi eum. D. de dol. excep.
u l. Neſennius. de re iudic.
x l. vſucapiũtur. D. de vſucap. l. 2. C. an ſeruus ex ſuo f. ac.
y l. ſi donaturus. in fin. de cond. indeb.
z l. ſed hoc ita. D. de re iudic.
a l. pen. D. de iur. dot.
b l. qui libertinus §. nihil. D. de oper. liber.
c l. 1. § ſiue autem. in fin. D. quar. rer. act.

bitorem non poſſe. Proinde ſi vſus vel vſusfructus vel habitationis debitorem tibi delegauero, ipſo iure delegatio non perficitur [d] (mutationem enim perſonæ hæc non admittunt, nec ad alios transferri eiuſmodi obligationes iure ciuili poſſunt [e]) ſed tamen cùm pactiones ſeruari placeat [f], doli mali, vel in factum exceptione petentem me debitor repellet, & vel poſt mortem meam ſuperſtite eo cui delegatus eſt, de vſufructu rectè conuenietur, nec iam ad eum finiendum mea, ſed illius cui me delegante promiſit, mors ſpectabitur [g].

Delegare iidem poſſunt, qui & nouare. Pupillus ergo ſine tutoris auctoritate debitorem ſuum delegare non poteſt [h]: tutoris auctoritate interueniente, poteſt [i]. A furioſo quoque factam delegationem ratam non eſſe habendam nemo ambigit: quamquam ſi à furioſo, quem ſanæ mentis eſſe exiſtimabat, delegatus qui creditori eius ſoluerit, & cum eo iterum agatur, exceptione doli ſe defendat [k]: cùm & bona fides bis idem exigi non patiatur, & damno nullo furioſus adficiatur, qui à creditore ſuo liberatus hoc ipſo pecuniam cepiſſe, locupletiorq; factus intellegitur [l]. Eadē ratione ſi ex delegatione pupilli puberem ſe fingentis pecuniam creditori eius quis ſoluerit doli exceptionem petenti pupillo nocituram Iulian. ſcribit [m]. Tutores verò, pupillares creditores vel creditoribus ſuis rectè delegāt, eoq; modo liberatio eis à pupillo contingit, ſi non malo conſilio cū tutore initio hoc factum eſſe probetur [n]. Filius paternos debitores delegare non poteſt [o] Sed nec ſi peculiari nomine quid ſeruus crediderit, delegatione debitorem liberabit, quamquā ei rectè ſoluatur [p]. Similiterq; & ſi mihi aut Titio dare ſtipulatus ſim, accipiendo, non item delegando, debitori Titius liberationem præſtabit [q]. Ceterùm debitores tam creditoribus noſtris, quàm aliis eorum iuſſu [r] delegamus. Eaq; res volūtatem ſuam quoquo modo exprimente debitore peragitur. Nec enim verborum, nec ſcripturæ vlla proprietas deſideratur, ſed vel nutu ab eo, qui fari non poteſt, delegatio rectè fit [s]. Quod ſic intellegendum eſt, vt inter ipſum delegantem & creditorem ſufficiat vel voce vel epiſtola, vel per nuntium vel iudiciis ſolis in hoc conſenſum eſſe. Delegatum vtique debitorem poſteriori creditori ſpondere, & verbis obligari neceſſe eſt, vt in creditor

d l. ſi debitorem. D. de nouat.
e l. ſi habitatio. D. quādo dies leg. ced. l. ſi vſusfructus D. de iur. dot.
f l. 4. D. de ſeruitutib.
g d. l. ſi vſusfructus debitorem.
h l. pupillo. D. de ſolut.
i l. poteſt. D. de auct. tut.
k l. ſi debitor. D. de doli excep.
l Arg l. 2. D. de calumn. & l. ſi pupilli. D. de ſolut. & l. ſi cū mulier. D. de don. inter vir.
m l. apud Celſum §. denique de doli exc.
n l pupilli. D. de ſolut.
o l. filius. D. de nouat.
p l. fugitiuus. D. de ſolut.
q l. quod quis. D. de ſolutio.
r l. delegare eſt. D. de nouatio.
s l. delegare ſcriptura. D. de nouat.

creditorem obligatio transferatur. Atque hic eſt vulgaris delegationis modus. Dicitur & fieri delegatio per litis cõteſtationem[t]. Nam ſi cui abſque delegatione mandatæ ſint aduerſus debitorem actiones, iſq; litem cum debitore conteſtatus ſit, in eum à priore creditore debiti cauſa tranſlata[u], perfectaq; delegatio intellegitur, cùm litis cõteſtatione totius cauſæ dominus procurator fiat[x]. Quotiens igitur vel emptum nomen eſt, vel doti datum, vel qualibet alia ex cauſa actiones mandatæ ſunt, lite conteſtata ab eo qui in rem ſuam procurator datus eſt, haud ſecus ac ſi delegatio interceſſiſſet, in eum obligatio transfertur, adeo vt exinde mandanti non recte ſoluatur. Et ideo bene Impp.[y] Quamuis nec delegatio præceſſerit, nec litis conſtitutio ſecuta ſit, cùm vtriuſque ſpeciei eadem vis ſit, idem effectus. Sed illa propria delegatio eſt, quæ per ſtipulationem volente & conſentiente debitore fit: hæc impropria, quæ per conteſtationem, vel maximè repugnante & inuito[z] eo contingit.

Omnis delegatio nouationem in ſe continet. Et ideo delegatus debitor in totum à priore creditore liberatur contra quàm accidat, cùm nulla interueniente delegatione aduerſus debitorem actiones mandatæ ſunt. Nihilominus enim mandanti adhuc ſaluæ ſuæ actiones manent, quas re integra exercere, illiſq; ad ſolutionem debitorem compellere poteſt[a]. At è contrario ipſo iure delegatio liberat. Pro iuſta enim præſtatione eſt[b] ſolutioniſq; vicẽ obtinet[c]. Nec quicquã facit quòd nõ ſoluẽdo ſit is, qui delegatus eſt. Bonũ enim nomen creditor accepiſſe videtur[d], qui eo contentus fuit, idque ipſũ, quale initio obligationis fuit, ſecutus eſt. Et ideo periculo eius poſtea id nomen eſt, nec vllam euictis pignoribus, quæ prior creditor acceperat, cum eo actionem habet[e]. Idemq; ſeruabitur, & ſi ſola conuentione, nulla interpoſita delegatione inter creditorem & debitorem placuiſſet, vt ille nomine debitoris contentus nihil peteret[f]. Diuerſum lõge eſt ſi periculo debitoris ab eius debitore ſit ſtipulatus[g]. Nec enim propterea pecuniæ, quæ à delegato ſeruari non poteſt, exactionem amittit[h].

t l. delegare eſt. D. de nouatio.
u l. 3. C. de nouatio.
x l. ſi procurator §. 1. de dolo except. l. in rem D. de cõpenſ. l. procuratorib. C. de procur.
y In l. 2. C. de oblig. & act.
z l. inter ſtipulantem de verb. obl.
a l. 3. C. mãd. l. 3. C. de nouatio.
b l. quod debitur. D. de pecul.
c l. quamuis § interdum D. ad Vellea.
d l. inter. §. abeſſe. D. mãd. & l. qui liber tinus § nihil. D. ope. lib.
e l. cetrea. in ſi D. de euict.
f l. pupillo. §. ſocer D. de ſolutio.
g Arg. l. promittendo § à debitore. D. de iure dot.
h l. ſi v'an.la to. in fine. D. mand.

DE CONFVSIONE.

VENIT & in hunc numerum Confuſio: quę ſolutionis quoque ſpecie[a], ipſo iure obligationẽ tollit. Confundi obligatio dicitur, quotiẽs debitor creditori, vel creditor debitori heres exiſtit. In eandem enim perſonã vtriuſq; iure concurrente in eum res redit locum, vt manere obligatio non poſſit[b]. Alioquin ſibi ipſe debere quis videretur, quod nec naturalis nec ciuilis ratio patitur[c]. Sed eo modo ciuiliter liberari dicimur[d]: nimirum quòd ſola iuris ratione [e], abſque naturali pecuniæ numeratione vel rei promiſſæ præſtatione liberatio cõtingat, inefficaxq; ita conſtituatur obligatio, vt iam peti quod debetur non poſſit. Fit hæc confuſio tum quoque, cum ad fiſcum tam creditoris quàm debitoris bona peruenerunt[f]. Quinetiam ſi hereditatem reſtituere rogatus heres ante eam reſtitutam hereditario debitori heres extiterit, ſemel confuſa obligatio ex Trebelliano poſtea reſtituta hereditate, non redintegrabitur[g]. Verum enimuerò pro ea tantum parte obligatio confuſionis iure tollitur, pro qua defuncto ſuccreditur[h]. Nam cùm eatenus dumtaxat defuncti locum ſubeat, eiuſq; perſonam repræſentet quis, quatenus heres eſt, eo fit vt creditore quas aduerſus defunctum habebat actiones, pro ea tantum parte ex qua ſucceſſit pereant[i], & debitor heres a creditore relictus pro hereditaria tantùm portione debito liberetur: de reliquo ſaluæ maneant coheredibus, & in coheredes, actiones[k]. Iam vel ex aſſe à debitore ſcriptus heres ita confuſione creditor eſſe deſinet, ſi hereditatem retineat. Vendita enim hereditate, ſuæ venditori integræ manent actiones[l], cùm id agatur, vt quaſi heres emptor extiterit, ita commoda & incommoda hereditaria agnoſcat[m]. Euicta quoque per inofficioſi querelam hereditate, debiti petitio ei qui victus eſt cõpetit[n]. Non enim ſoluiſſe ſibi ipſe pecuniam intellegi poteſt is, à quo hereditas euincitur[o]. Sed & pupillo qui aduerſus aditionem reſtitutionis auxilium implorauerit, actiones cõfuſas reſtitui placet[p]. Reſtitutaq; hereditate in ſuo ſtatu durant, quæ vel heredi in defunctum vel defuncto in heredem competiiſſent actiones[q]. Hoc amplius ex Iuſtiniani conſtitu-

a l. ſi id quod. D. de lib. leg.
b l. ſicut. l. Stichũ §. aditio. D. de ſolut.
c l. ſi debitori. C. de pact.
d l. pen. D. de ſolutio.
e l. 3. D. de ſeparatio.
f l. Vranius. D. de fideiuſſ. l. 2. C. de ſolu.
g l. deducta. D. ad Trebel.
h l. cũ à matre. C. de rei vend.
i l. ſi adulta. C. de heredit. act.
k l. ſi ab eo. C. de neg. ge. l. ſi debitori. D. de fideiuſſ.
l l. 2. §. pe D. de hered. vẽd.
m l. ſi ei cu ius. D. commpra l. l. ſi cũ emptore. D. de pact.
n l. eum qui. §. vlt. D. de inoff. l. ſi maritus. C. eo.
o l. Stichũ § ſi creditor. de ſolutio.
p l. cũ. bonis. §. vlt. de acq. hered.
q l. ita tamẽ. §. ſi ex Trebelliano l. ſi heres. in fi. D. ad Trebell.

tione & creditoribus obligationes conſeruantur, qui inuentario ſeu repertorio facto debitorum hereditatem adierint [r]. Planè ei, cui vt indigno hereditas aufertur, vel quòd necem defuncti vltus non eſt, vel quò poſt aditam hereditatem eius mortem non defendit [s], vel quòd in fraudem fiſci fidem accommodauit, ei cõfuſę aditione actiones non reſtituuntur [t]. Nec enim auxilium meretur, cui propter dolum delictumq; ſuum hereditatis emolumentum extorquetur [u]. Vnde ſi facti ignorantia deceptus necis defuncti vindictã defenſionémue omiſiſſet, non improbè confuſas ſibi reddi actiones integrariq; ius debiti poſtularet [x]. Certè & qui coactus hereditatem adiit, quam alij reſtituere iuſſus erat, aditione actiones ſuas amittit [y]. Confuſio autem ſolutionis exẽplo [z] liberat, & quod plus eſt, ſolutionis poteſtate [a]. Nam cùm debitor creditori heres exiſtit, ratio inter heredem & hereditatem ponitur: eoq; amplior & locupletior hereditas quaſi ſoluta pecunia, quæ debebatur, ad creditorem perueniſſe intellegitur [b]. Et vice verſa cùm debitori ſuo creditor ſuccedit, minùs in hereditate eſſe videtur, tamquam ipſa hereditas heredi ſoluerit. Quæ ratio efficit, vt in legis Falcidiæ ratione ineunda, quæ mortis tempore vel heredi defunctus, vel defuncto heres debuit, reputentur [c], licet verum ſit aditione confuſas actiones. Etenim cùm bonorum quantitas ad calculos illic reuocetur, huius quoque æris rationem haberi conſentaneum eſt, ex quo vel augeri vel imminui patrimoniũ intellegitur. Porrò quæ ex confuſione contingit liberatio, quia totam obligationis ſubuertit poteſtatem, acceſſoribus quoque & adpromiſſoribus quibuſcumque prodeſt, qui pro eodem apud eundem ex interceſſione obligari non poſſunt [d]. Sed enim ea tantùm confuſio ſolidam obligationem tollit, quæ inter creditorem & reum fit. Inter creditores enim & acceſſores facta confuſione reus non liberatur [e], ſed fideiuſſoria ſola obligatio hereditaria manente tollitur. Maior enim obligatio minorem tollit [f]: quemadmodum ſeruatur & cùm fideiuſſor reo debendi heres exiſtit. Quotiens enim in eandem perſonam & principalis & fideiuſſoria confluit obligatio, à principali potentiore infirmior fideiuſſoria obligatio, quæ acceſſionis locum obtinet, tollitur [g]: nec tamen quod in ſuã obli-

r l. vlt §. & ſi præfatam C. de iure delib.
s l. eius qui. §. vlt. de iu. fiſ.
t l. indigno. l. heredem. l. cũ qui §. bonis. D. de his quæ vt indign.
u l. propter §. 1. D. de S C. Silan.
x l. heredẽ. in fine. de his quæ vt indig.
y d. L. propter. §. 1. in fin.
z L. debitor. D. ad Trebel.
x l. ſi id quod. D de lib. leg.
a l. ſi debitori creditor. l. Vranius. D. de fideiuſſor.
b l. ſi ei cui §. ſi is qui. D. de euictio
c l. in imponẽda. l. inuitũ. C. ad l. Falc. l. 1. §. ſi debitor. l. qui ſun. dum § ſi quis heredẽ. D. eo.
d l. qui homi nem §. quidã. de ſolu. l. Vranius. de fideiuſſor.
e l. in omnibus. D. de ſolutio.
f l. ſi debitori creditor. D. de fideiuſſor.
g l. ſi duo. in fi. D. de ſolut.

gationem pignus dederat fideiuſſor, quamuis in rei ipſe locum iuſq; ſucceſſerit, liberatur[h]. Ex cauſa enim fideiuſſionis ſola ciuili ratione teneri deſijt, quæ pignoris dationem non infirmat. Sed & ſi principalis obligatio naturalem tantùm cauſam continet, fideiuſſoria durat, quamquam fideiuſſori reus heres extiterit[i]: quia tunc demum cum principali concurrens acceſſoria obligatio tollitur, quotiens vtraq; ciuilis eſt. Planè ſi vtroque vinculo principalis obligatio ſuſtinetur, licet Prætorii iuris auxilio per in integrum reſtitutionem infringi ea poſſit, non idcirco magis fideiuſſoris obligatio retinetur. Nec enim quòd plenior fideiuſſoris obligatio eſt, rei infirmior, eò impeditur quę iuris ratione contingit liberatio. Quò fit interdum, vt qui nullam propriam defenſionem habebat fideiuſſor, à reo heres relictus exceptione ſe tueatur, videlicet quia poſita interceſſoris perſona rei induerit perſonam, ex qua auxilium in integrum reſtitutionis implorare poteſt[k]. Porrò duobus reis promittendi acceptis, ſi alteri eorum creditor heres exiſtat, non quaſi pecunia ſoluta tota obligatio tollitur, ſed confuſione obligationis perſona dumtaxat eximitur[l]. Ideoq; alter manet obligatus, & cum eo vel in ſolidum, ſi nulla cum correo ſocietas interceſſerit: vel in partem, ſi ſocij fuerint, creditor rectè aget. Ac per hoc nec mandatores, quiq; in eam obligationem dati erant fideiuſſores, liberantur: qui tamen cùm ſolutam pecuniam vel ab ipſo creditore qui reo ſucceſſit, repetere poſſint, propterea quod eligendi arbitrium habent, exceptione doli petentem creditorem, quod ſolutum reſtituere mox cogi poſſit[m], repellent. Quæ exceptio eiuſdem pecuniæ reo dari non poteſt, niſi in partem, ſi ſocij fuerint. Hoc enim caſu perinde omnia ſe habent, ac ſi viriles ſinguli promiſiſſent[n]. Et hæc eſt Pauliani reſponſi[o] ſententia. Planè cùm duo rei debendi vel ſtipulandi inuicem ſuccedunt, nulla confunditur obligatio[p]: quòd vtraque æqualis ſit & ἰσόῤῥοπως, nec dici poſſit vltra alteram magis tollat[q]. Itaque duas obligationis ſpecies hic reus ſuſtinebit[r]: quod non eſſe nouum aliis quoq; exemplis Vlpian. confirmat[s]. Et hæ ſolæ confuſionum ſpecies inueniuntur. Nunc ad oblationem.

h l. cùm quis inſ. D. de ſolu:io.

i l. heres. §. quod ſi hic ſeruus. D. de fideiuſſo.

k l. Stichum. § quod vulgo D. de ſolut. l Arg. u. l. vlt. D. de duobus. re.

m l. dolo. D. de reg. iur.

n l. in lege Falcidia. D. ad leg. Falc.

o l. Vranius. D. de fideiuſſ.

p l. ſi duo rei. D. de ſolu.

q l. generaliter. D. de fideiuſſo.

r l. ſi reus ſtipulandi. D. de fideiuſſor.

s l. non eſt nouum. D. de act. empt.

DE OBSIGNATIONE.

OBLATIONE etiam atque obſignatione eius quod debetur, liberari debitorem, obligationemq; tolli dicimus. Vtrumq; autem non abs re coniungimus, cùm non ſufficiat verbo tenus pecuniam offerri, niſi & conſignata deponatur[a]. Quo facto confeſtim debitor liberatur, aliter atque ſola oblatione fiat, qua non protinus, ſed ita demum ſi res poſtea ſine dolo malo debitoris amiſſa deperditáue fuerit, liberatio contingit. Et hoc quidem caſu, ſi ex iudiciis bonæ fidei, quibus exceptio doli ineſt, res debeatur, ipſo iure actio[b] tollitur, rectèq; intenditur poſtea petentem nullam omnino habere actionem. In ſtrictis verò iudiciis exceptione opus eſt, quæ ſummo iure vtiliter agentẽ creditorem æquitate defenſionis ſubmoueat[c]. Vtiq; autem poſt legitimam oblationem ſecutus rei promiſſæ interitus debitori liberationem adfert, quamquam aliquãdo interpellatus non ſoluiſſet. Nec enim per eum iam ſtetiſſe videtur, qui obtulit, & vel ante commiſſam moram oblatione purgari atque in creditorem transferri auctorum ſententiis comprobatum eſt[d], ſiue ipſo debitore, ſiue alio quolibet eius nomine offerente accipere creditor recuſauit: vt enim alterius ſolutionem, ita & oblationem & abſenti & ignorãti prodeſſe conſtat[e] Verum enimuerò fruſtrandi animo à creditore recuſatam eſſe pecuniam neceſſe eſt. Vnde cum velut alia die accepturus creditor diſtuliſſe proponeretur, mox è Republic. pecunia tamquam ærosa ſublata eſſet, periculo creditoris non futuram eam rem Scæuola reſpondit[f]. Sola ſane debitæ quantitatis oblatio vſurarũ curſum nõ retardat, ideoq; oblationem obſignationi iungi ſemper reperias [g], quotiens de inhibendo vſurarum curſu agitur. Nec refragatur Imperatorum reſcriptum[h], quo continetur, cum ita conueniſſet vt ſi ad diẽ vſuræ non ſoluerentur maiores præſtarẽtur: ſi creditor minores vſuras ſibi oblatas accipere noluerit, vſurarũ non augeri quantitatem. Non enim vſuras minores in obligationem deductas, deberi negat, quarum curſus ex ſola oblatione ſortis nõ potuit retardari. Maiores ex ſtipulatione ideo peti poſſe negat, quòd obligationis condicio defecerit

a l. tutor pro pupillo. in fi. D. de adm. to. l. ſi à te. C. de pact. int. emp. l. inuicẽ. C. de cõpenſ.

b l. in bona. D. de pecul. l. huiuſmodi §. qui hominem. D. de leg. j.

c l. qui decẽ. D. de ſolut. l. interdum. §. vlt. de verbo. oblig.

d L. illud. D. de pericul. & comm. d. l. interdum § vlt.

e l. qui decẽ. §. Stichum. de ſolutio. l. cum & poſtlimi-nio. C. de captiu. & poſtl.

f l. creditor. D. de ſolut.

g l. 1. § vlti. l. debitor. l. tutor §. Lucius. D. de vſur. l. tutor pro pupillo. § vlt. de admin. tut.

h l. ſi per te. C. de vſur.

cum per creditorem factum ſit quo minus vſuræ minores ſoluerētur. Certiſsima enim iuris regula eſt, pro facto haberi id quod ne fiat impedimento eſt is cui debetur [i]. Plane nec pigneraticia actio debitori ex oblatione ſola adquiritur, ſed conſignatum eſſe oportet id quod debetur [k], quia ſuas conditiones habet pigneraticia, ſi ſolutum ſit vel ſatisfactum, quibus ceſſantibus inſtitui non poteſt [l]. Solutionis autem vim nuda oblatio non habet, niſi & eam obſignatio ſequatur. Et ideo quod edicto perpetuo comprehenſum erat, vt ſoluto debito vel ſi per creditorem factum eſſet quominus ſolueretur, pigneraticia actio competeret, ſic per interpretationem acceptum eſt, vt offerri creditori pecuniam, & eo non accipiente deponi oporteret [m] Quamquam in iure facta oblatio pigneraticiam actionem inſtitutam confirmat [n]. Quod verò Paul. ſcripſit [o], ſi debitor offerret pecuniam, quæ peteretur, creditor nollet accipere, prætorem ei denegare actionem [p]; ſic eſt accipiendum, vt ſi poſt oblatam pecuniam debitam creditor porrò petere pergāt, prætor, cuius officio continetur dare vel denegare actiones [p], quiq; lites reſecare ſtudet [q], eum amplius non audiat. Vnde dubitatum eſt, quid ſtatuendum ſit, ſi procuratore petente reus offerat. Nam certè iniquum eſt cogi reum iudicium accipere, vtcumq; ſuſpicione non careat, qui domino litis non obtulerit. Itaque in æde ſacra deponi pecuniam placuit [r], vt in pupillaribus pecunijs fieri ſolet [s]. Enimuero æquum non eſt eum, qui ſine iudice ſoluere paratus eſt, hoc nomine iudicio adſtrīgi, quod plus aduerſarius eius per iudicem ſit conſecuturus [t]. Hæc cum ſola oblatio interceſſit. Ceterum ſi eam ſolemnis depoſitio ſecuta eſt, protinus debitor liberabitur, nec expectandum erit, vt res peteat. Deponebantur verò ſignatæ res interdum apud acta vel officium [u], interdum etiam in κειμηλιαρχίῳ [x], vel alio publico loco [y], quandoque & apud virum aliquem bonum [z], iudicis arbitratu: vt plurimum autem apud ædem ſacram [a]. Cic. ad Attic.[b] Græcis poſtulantibus vt in fano deponerent, non conceſſi. Quod ex antiquis moribus fluxiſſe puto, qui-

i l. iure ciuili. D. de regul. iur. l. in executione. §. vlt. de verb. obl.
k l. nec creditores. l. vlt. C. de pig. act.
l. inuicem. C. de compenſa.
l l. ſi rem. §. omnis de pig. act.
m l. vlt. C. de luitio. pign. l. vlt. C. de p.g. act. l. aliena. §. 1. D. eo.
n l. ſi rem. §. vlt. de pign. act.
o l. ſi debitor. D. de ſolutio. l.
p l. veluti. D. de verb. obl.
q l. quidam. D. ſi cer. pet.
r §. unde quæritur. D. de noui. oper.
r l. ſi reus. D. de procu.
s l. ait prætor. D. de minor. l. ſideiuſſor D. de ſideiuſſor.
t l. ex iudicatū. D. iudic ſol.
u l. ſi ſideiuſſor. in ſi. D. qui ſatiſd. cog.
x l. litibus. de agric. & cēſit. li. xj. C. l. vlt. C. de bon. auct. iud. poſſ.
y l. acceptam. C de vſur. l. ſideiuſſor qui D. de ſ. eiuſſ.
z l. vlt. D. de tabul. exhib.
a l. ſi reus. in fin D. de procur. l. ait prætor. D. de minor. l. 4. D. de ſtatulib. l. 1 §. ſi pecunia D. depoſ. i. l. 1. §. ſin autem ſotius C. de comſer. man.
b Lib. 5. Epiſt. vlt.

bus pecuniæ ſacro commendari ſolebant, quaſi tutiore loco eſſe non poſſent. Cuius rei exempla ex Græcis nobis idem Cicero in libris de legibus [c], ſuppeditat. Argumentoq; eſt, quod à noſtris agitatum videmus, rebus priuatorum in ædē ſacram depoſitis, ſubreptis, furtine an ſacrilegii ſit actio [d]. Et quod Herodia. ſcribit, in illo incendio, quo templum Pacis Romæ conflagrauit, magnam factam pecuniarum, quæ illic depoſitæ erant, iacturam. πλουσιώτατον δ' ἦν, ait, πάντων ἱερῶν δι' ἀσφάλειαν ἀναθήμασι κεκοσμημένον. χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἕκαστος δὲ, ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαυρίζετο. ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐκ τῆς νυκτὸς πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν. Quæ vero deponebantur pecuniæ, eæ in ſacculo conſignabantur, [f] ſignis, vt ego quidem ſentio, priuatis, non quod quidam ſomniant, publicis. Quorum opinionem præter varios Pandectarum locos [g], etiam illud Cicer. in Verrem [h]. ſatis refellit: Ipſe in tabellas refert, obſignat ſignis amicorum. Et pro Quintio: Tabulæ maximè ſignis hominum nobilium cōſignantur Plutarc. in Graccho: τῷ δὲ τοῦ Κρόνου ναῷ σφραγῖδας ἰδίας ἐπέβαλεν, ὅπως οἱ ταμίαι μηδὲν ἐξ αὐτοῦ λαμβάνοιεν. Atque ea ſigna anulis imprimebantur; quibus veteres non ornatus cauſa, ſed ſignandi vſos Macrobius ex Atteio Capitone ſcribit [k]: plurimusq; erat corū in teſtamentis [l], epiſtolis, tabulis, ceterisq;, prout res exigebat, obſignandis [m], vſus.

Obſignationem autem legitimo modo, & vt Diocletian. loquitur [n], ſollemniter fieri neceſſe eſt. In quo illud primum videndum eſt, vt teſtatò pecuniam creditori opportuno loco & tempore creditor offerat, & eo recuſante obſignatā apud æditυum vel tabularium vel alium quemlibet iudicis iuſſu deponat [o]. Nec enim obſignatio aliter vtilis eſt, quàm ſi eam oblatio præceſſerit [p], niſi ſi offerri non poſſit, vel quòd peregre abſit, vel quòd ſui copiam creditor non faciat: qua in ſpecie ſolam conſignationem iudice adito ſufficere receptum eſt [q]. Minus vero opportuno tempore [r], vel alio, quàm quo ſolui rectè poſſit, loco [s], vel iuſtis occupationibus diſtricto creditori [t], facta oblatio nullas vires habet. Valebit certè, ſi non multo poſt diem ſolutioni adiectum facta ſit, cum nihil propter moram creditoris intereſſet [u]. Ante diem verò creditoris æquè ac promiſſoris gratia adiectum fruſtra pecuniā

c lib. 2. de leg.
d l. 5. D. ad leg. Iul. pec.
e Lib. 1. hiſt.
f l. vlt. D. de lege commiſſ. l. cum heres. D. de ſtatu lib. l. 1. §. ſi pecunia D. depoſ. l. ſi ſoluturus. de ſolutio.
g l. videamus. §. qui vinum. D. loca. l. 1. §. ſi pecunia. D. depoſ.
h Actio. 7.
i l. argumento §. ornamenta. de aur. arg. l. ſignatorius. de verb. ſign.
k Lib. . ca. 13.
l l. ad teſtiū. §. ſignum. D. de teſtib.
m l. videam⁹ §. pe. D. loca.
n l. obſignatione. C. de ſolut. l. nec creditores. in fin. C. de pig. act.
o l. 6. C. de vſur.
p l. 2. C. de vſur.
q l. acceptā. C. de vſur.
r l. ſi ſoluturus. D. de ſolu.
s l. obſignatione. C. de ſolutio.
t l. Celſus. §. 1. D. de arbi.
u l ſi ita quis. § Seia. de ver. obl. l. ſed & ſi alia. D. de conſtit. pec.

offerri omnes ad vnum interpretes ſentiunt. Eoque Scæuolam [x] motum credunt, quem ego præterea etiam loci rationem habuiſſe exiſtimo, vt cum alio loco quàm in quem promiſſum eſt, inuito ſtipulatori ſolui non poteſt [y], ita & alibi facta oblatio quàm vbi ſolui debebat, nihil impedit quominus, in loco præſtituto ſua die petatur. Planè vſurarium debitum ante diem ſolutioni præſtitutum ſolui non poſſe, quod interpretum ſententiæ conſequens eſt, haud ſcio an æquus iudex probauerit, cùm nec iure cautum ſit, & in contrarium regula illa faciat, quæ indiſtinctè diei dilationem pro reo eſſe definit [z]. Ceterùm iis tantùm pecunia rectè offertur, quibus & vtiliter ſolueretur. Itaque cum minore xxv. annis, qui curatorem non habet, pecunia offertur, ne vel vſuris vltrà debitor oneretur, vel creditor minor pecuniã perdat, è re vtriuſque inſtitutum eſt, vt in loco publico conſignata deponeretur [a]. Præterea tota pecunia offerẽda eſt, Minore enim pecunia quàm deberetur, oblata obſignataq; cùm creditor totũ accipere paratus eſſet, non inhiberi vſurarum curſum Modeſtin. reſpondit [b]. Nam particulatim pecuniam debitam, de qua controuerſia non eſt, accipere non cogi creditorem, licet pleriſq; diſſentiant, veriſſimũ eſt [c]. Hoc amplius durare obſignatio debet, & in eadem cauſa manere: pro non depoſita enim habetur ea pecunia, quam poſtea debitor repetierit [d]. Atque hoc modo facta obſignatio debitorem haud aliter atque ſi ſolluiſſet, liberat: vt quicumque poſtea caſus inciderit, ſecurus debitor in portu nauiget. Vſurarum etiam in poſterum curſum ſiſtit [e], pignorumq; in eam cauſam datorũ perſecutionem [f], & venditionem inhibet, & ex diuerſo debitori eorum repetitionem tribuit [g]. Etiam illud adiunge fideiuſſori poſt oblatum debitum & conſignatum, non ſecus ac ſolutum mandati confeſtim competere actionem [h]. Extantem ſane pecuniam petere a depoſitario creditori non prohibebitur [i]. Quinetiã quemadmodum debitor poſt moram ſolutione factam offerens purgat moram, ita & recuſatam prius à ſe pecuniam, ſi creditor accipere paratus ſit, debitor non det, vſurarum ratio ex eo die habebitur. ſiquidem vſurarium debitum fuit [k]. Idq; ex eo pendet, quod vulgo dicitur, Vltimam moram nocere [l].

x In l. qui Romæ. D. de verbor. obl.
y l. 1. D. de eo quod cer. loc.
z l. cum tempus. de reg. iu. l. quod in diẽ. de ſolut.
a l. ait prætor. §. de minor. l. fideiuſſor. qui D. de fideiuſſor.
b l. tutor. §. Lucius. D. de vſur.
c Tractatur in l. quidam D. ſi cer. pet.
d l. 1. C. qui pot. in pig. l. ſi priuſquam. C. de diſtr. pign.
e l. debitor. D de vſur.
f l. acceptam. C. de vſur.
g l. ſolutum. in fi. D. de pig. act. l. vlt. C. eo.
h l. qui mutuã in fi. prin. D. mand. l. fideiuſſor. qui. D. de fideiuſſ.
i d l. acceptã.
k l. debitor. D. de vſur.
l l. illud. D. de pericul. & comm.

DE INTERITV REI ANTE MORAM.

EST & illa liberationis ſpecies, ſi res promiſſa abſq; mora, culpa, factóue debitoris intereat [a]. Quo genere naturaliter obligationem reſolui noſtri tradunt [b]: cum hoc naturali facto contingat, quòd naturalis quoq; præſtationis loco habeatur [c]. Proinde ſi ſpecies in ſtipulatum deducta, antequam dies vel condicio ſtipulationis extitiſſet, fato, mortalitateq; perierit, deſinet promiſſor teneri [d]. Similiq; modo qui certos nũmos, veluti qui in arca ſunt, promiſit, iis ſine culpa ſua deperditis liberabitur [e], quoniam pecuniæ non genus, ſed certo loco concluſã quantitatem promiſerit, quæ cuiuſlibet corporis exemplo æſtimanda eſt [f]. Alioquin ſi incerti nummi obligatione contineantur, nullo caſu debitor liberari poteſt [g], qui eos ipſos, qui perierint, nummos promiſiſſe non videtur. Idemq; in omnibus quæ non in corpore, ſed in quantitate cõſiſtunt [h], dicendum eſt: quæ quòd functionem in ſuo genere, permutationemq; recipiant [i]: certo corpore conſtringuntur, cuius interitu poſſit dici eorum extincta obligatio. Sed hoc in pecunia numerata ita ſeruatur, ſi non eius periculum in ſe creditor ſuſceperit. Contractus enim ex conuentione legem accipere ſcitum eſt [k]. Idq; in nautica pecunia, quam traiectitiam appellamus, fieri ſolebat [l]: quo nomine & maius centeſima fænus ante Iuſtiniani conſtitutionem creditori ſtipulari licebat [m]. Porrò & qui illam aut illam rẽ promiſit, altera extincta, non eo magis liberatur, quòd eligendi vtram præſtaret, liberum arbitrium habebat: ſed quæ ſupereſt, in obligatione manet [n], ſi modò non eam ipſam, quæ periit, offerente eo, accipere creditor antè recuſaſſet. Pro ſoluto enim id accipitur, quod poſt moram à creditore in accipiendo factam periit [o]. Benè autem illud exigimus, vt abſq; facto, culpa, mora debitoris res interierit. Nam ſi vel ipſe occiderit, vel culpa eius morti cauſam præbuerit, vel per eum ſteterit, quominus daret periculũ ad eum pertinet [p]. Fruſtratori quippe & moroſo, vt & furi ſimilibusq; perſonis [q], omnes in re debita contingentes caſus adſcribuntur. Quod tamen adhibita cautione ita temperandum cenſuit Martinus, vt ſi eo

a l. ſi mihi, de ſolut.
b l. penul. D. de ſolut.
c l. cùm emptor §. mortuo. de reſcin. vend.
d l. ſi Stichus de verb. obl.
e l. ſi certos. D. de ver. obl.
f l. planè §. ſed ſi non corpus. D. de le. i.
l. in ratione. §. diligẽter. D. ad l. Falcid.
g l. incendiũ. C. ſi cer. pet.
h d. l. in ration. §. diligẽter. ad l. Falc.
i l. 2. §. mutuũ. D. ſi cert. pet.
k l. cõtract⁹. de regul. iur.
l l. 1. in nautica. D. de nautic. fæn.
m l. eos §. 1. C. de vſur. Paulus lib. 2. Sent. tit. de vſur.
n l. 3. D. quod cer. loc. l. ſi in emptione §. vlt. D. de cõt. empt.
o l. ſtipulatus ſum Damã. de verb. obl.
p l. ſi ex legati l. ſi ſeruũ l. n. mo. in fin. D. de ver obl. l. quod te. D. ſi cert. pet.
q l. ſubtract⁹ C. de furtis. l. merito. D. de vi & vi ar. l. vlt. D. de condict. ex l.

caſu interierit res, qui omnino incidiſſet, etſi res creditori præſtita fuiſſet, nihilominus debitor liberetur, quamquam interpellatus non dederit [r]. Quod non eſſe extra æquitatem poſitum non negauerim, licet in contrariam Ioannis ſentẽtiam frequentes interpretes eant. Cùm verò poſt morã res interiit, quia per rerum naturam impoſſibilis ipſius corporis præſtatio eſt, & ſuam tamen moram debitori nocere ratio poſtulat, in æſtimationem condemnatio fiet [s]. Verum ita periculo debitorem onerat mora, ſi non ea legitimis modis purgata fuerit. Nam qui rem promiſſam obtulit [t], vel ſtipulanti creditori nouandi cauſa ſpopondit [u], ea poſtea perempta liberatur, licet antè moram fecerit. Sed & ſi merentem ſeruum, puta in facinore deprehenſum, promiſſor occiderit, nihil in obligationem peccat, & ante moram & inculpatum id factum eſt [x]. Itaque qui Stichum aut Pamphilum promiſit, ſi alterum iuſta de cauſa occiderit, altero poſtea nulla eius mora interueniente mortuo liberabitur: quoniam quo tempore is moritur nihil in ſtipulationem committit, qui vel alium eligere potuit [y]. Quòd ſi ſine iuſta cauſa occiderit, ne impunitum ſit maleficium [z], meritò in eum de dolo actio deſiderabitur. Ab alio ſanè re debita occiſa, etiam ſi à fideiuſſore, debitorem liberari exploratum eſt [a]. Nec promiſſori quicquam nocet, quòd Stichum promiſſum ante moram manumiſerit, ſi is priuſquam ſuper eo interpellaretur, deceſſerit [b]. Non tam enim facto eius, quàm fato ipſo ſtipulatori homo ereptus eſt. Diuerſum meritò probatum eſt in eo, qui rem penes ſe depoſitam vendidit, eamq; pœnitentia ductus pòſt reuocauit [c]. Dolo enim fecit, qui rem ſuæ creditam fidei, ſuæ mandatam cuſtodiæ alienauit, nec dolus purgatur pœnitentia [d]: denique nec ſecutus caſus eum, qui dolo fecit, liberat [e]. Quod idem de eo dici non poteſt, qui ſeruũ ſuum nulla adhuc mora facta manumiſit, cùm iure ſuo vſus ſit [f], nec in ſpeciem delicti ea res cadat. Atque hæc leuiter attingere, quantum ad rem noſtram faciebant, volui. Plenior verò eorum cognitio ex his quæ de mora ſuis locis tractantur, petenda eſt.

r l. ſi plures. §. viti depoſ. l. ſi cum exceptione. §. quatenus. D. quod met. cauſ.
ſ l. item ſi verb. rerũ. §. vlt. de rei vend.
t l. cum ſeruus. § in vſurarũ. d. l. g. i. in condicione. §. 1. de cond. ſurt.
u l. interdũ. §. vlt. de ver. ob.
x l. qui decẽ. §. 1. de ſolut.
x l. qui ſeruũ D. de verb ob. l. quod ergo § ſi heres. de leg. 1
y l. Stichum. §. de ſolut.
z l. ita. vulneratus. D. ad legem Aquil.
a l. ſi d bitor. D. de dolo. l. mora. in fin. D. de verb. oblig.
b l. is qui ex ſtipulatu de oblig. & act.
c l. 1. §. ſi rẽ. D. depoſ.
d Arg. l. qui ea mente. D. de furt.
e l. ſi heres. D. de noxal. act.
f Arg. l. non videtur. D. de regul. iur.

DE

DE EXEMPTIONE A COMMERCIO.

SVPERIORI ſpeciei hæc quoque perſimilis eſt, & eaſdem vires habet, ſi res promiſſa citra moram culpam, factumque debitoris commercio ſubducatur a. Vt enim in his rebus ab initio obligatio non contrahitur, quarum commercium non eſt b, ita & cùm in eam cauſam condicionemque ex poſt facto recidit, neceſſario ſoluitur: quia dari iam res non poteſt, promiſſorque non aliter atque ſi rebus humanis mortalitate res ſubtracta eſſet, deſinit teneri. Nam quod pro regula traditur c, ea quæ ſemel vtiliter conſtituta ſunt, durare, licet ille caſus exciterit, à quo incipere non poſſint, eò pertinet, vt re ſemel perfecta, nihil officiat in perſona efficientéue cauſa poſtea contingens vitium d, Quod ſi ſuperueniens caſus vim effectumq; negotii penitus tollat, aut etiam rem ipſam ſubtrahat, quemadmodum incipere non potuit rē ita conſtituta, ita nec remanebit obligatio e. Quod accidit, cùm res ex hominum commercio eximitur. Dari enim ea iam non poteſt f. ac ne pretium quidem præſtari, quando nec res ſacra g, vel liberum corpus h recipiat æſtimationem, neq; pecunia reparetur, Ea porrò tantùm in obligatione conſiſtunt, quæ vel vſibus ſubiici, dominioq; noſtro poſſunt, vel pecunia lui i. Vnde & nihil agit, qui ſecus ſtipulatur: & qui rem prophanam vel Stichum ſeruum promiſerit, liberatur, ſi ſine facto eius ſacra religioſáue res facta k, vel Stichus à domino manumiſſus, l, aut ad libertatem pro præmio perductus fuerit m. Aliter, atque ſi res promiſſa ab hoſtibus capta ſit. Hic enim in ſuſpenſo eſt, non etiam extinguitur obligatio n, propterea quòd ſpes ſit fore vt ea quãdoq; redeat o. Quæ ſpes facit, vt legari etiam ea res p, & venire q poſſit. Ceterùm vt planiora fiant omnia, adhibenda eſt Iuliani, quam Paulus probat, diſtinctio r, vt ſi quidem promiſſoris fuerit ſeruus tempore ſtipulationis, & poſtea is manumiſſus ſit, promiſſor teneatur, cui non eſt concedendũ vt facto ſuo obligationẽ ſua tollat. Quòd ſi alienus fuerit nõ te-

a l. ſi mihi alienum. D. de ſol l. inter. D. de furt.
b §. 1. Inſt. de inutil ſtipu. §. vlt. Inſtit. de empt. & vend.
c l. in ambiguis §. 1. de regul. iur.
d l. is cui D. de teſtamen, l. patre furioſo. de ſtatu ho. l. 1. §. ſi quis inter. D de ſecund. tab.
e l. Vranius D. de fideiuſſ.
f l. liber homo. de ver. obl. l. 90. §. pe. de ſtatulib.
g l. ſanctũ. in fi. D. de rer. diuiſ. l. idem Inſanus, in fi. de leg. j.
h l. 2. D. ſi quadrup. paup fe.
i l. 9 §. illud. D. de ſtatulib. l. inter
k inter ſtipulantem § ſacrã. de verb obl.
l l. inter ſtipulantem. §. ſacram.
l l. ſi mihi alienum. D. de ſolut. l. is qui alienum. D. de verbo. obl. l. ſi alienum. de legat. i.
m l. § ſi ex ſtipulatu. D. ad S C. Silan

m l. qui res. §. aream. D. de ſolut.
o l. item Labeo §.. vlt. cum l. ſeq. D. famil. erciſc.
p l. ld quod. D. de legat i.
q l. vlt D. de actio. empt.
r l. ſi ſeruum. §. 1. D. de verbor. obligat.

neatur, niſi poſtquam ſolutionem moratus ſit, tale quid contigerit. Nec enim ei qui Stichum interpellatus non dedit, prodeſſe debet, quòd is à domino poſtea manumiſſus eſt, quem habere licuiſſet, ſi in tempore ſolut⁹ eſſet. Planè ſi ſeruus promiſſus à debitore manumiſſus, antequā in eo ſoluendo moram feciſſet, deceſſerit nihilominus liberabitur debitor [s]. quoniam per eum factum non ſit quominus ſtipulator habeat. Nec tam manumiſſio quàm mortalitas ipſa eum obligatione ſubtraxit. Deceſſiſſet enim vtique, etſi manumiſſus non fuiſſet. Ex hac cauſa ita extinguitur obligatio, vt ne reuocetur quidem, ſi rurſus aliquo modo in commercium res redeat [t]: veluti ſi res ſacra prophana eſſe cœperit, vel liber homo in ſeruitutem reciderit. In totum enim ſublata ſemel obligatio amplius exuſcitari reſtituiq; non poteſt [u]. Quod Paul. contra Celſi ſententiam, cuius etiamnum in Pandectis quædam veſtigia [x] relicta ſunt, obtinuiſſe ſcribit. Seruo verò manumiſſo non rectè ille caſus comparatur, ſi aliena area promiſſa eſt, & in ea dominus ædificium poſuit. Quippe adhuc area extat, nec eſſe deſiit, quamquam ædificium ſuſtineat. Itaque eius æſtimatio rectè petetur [y].

DE COMPENSATIONE.

PERTINET ad hanc partem Compenſatio, qua ipſo iure debitor æquè ac ſolutione liberatur. Soluere enim videtur qui compenſat [a], etiamſi de implenda condicione agatur [b], in qua à propria verborum ſignificatione niſi duce voluntate recedi non ſolet [c]. Adeo autem pro ſoluto habetur quod compenſari poteſt [d], vt eius pecuniæ, quæ compenſationis ratione non habita ſoluta eſt, tamquam indebitæ, condictio e, pignoriſq; in eā cauſā dati, quæ compenſatione ſummoueri poſſit, repetitio [f] cōpetat: ſed nec eius quantitatis, cuius petitionem ratio compenſationis excludit, vſuræ peti poſſint [g]. Ideoq; ſi alter gratuitam, alter ſub vſuris pecuniam debeat, cōcurrentis vtrinque quantitatis vſura non præſtabitur [h]: & quamquam ſub diuerſis vſuris debeatur, eius tamen quæ vltro citroq; debebitur, ſortis compenſatione facta eatenus vſurarum curſus impedietur [i]. Quibus conſequens eſt, vt & ab initio minus

s l. is qui ex ſtipulatu. de oblig. & act. l. inter ſtipulantem §. ſacram.
t l. qui res §. aream. de ſolut.
x l. ſi chorus. in fi. de leg. iij.
y d. §. aream.
a l. 4. D. qui potior. in pig. l. vel permutauit. D. de lib. cau.
b l. ſi peculiū. §. de illo. D. de ſtatulib.
c l. qui heredi. l. in condicionibus. de cond. & dē.
d l. 3. C. de compenſ.
e l. ſi ambo. §. 1. D. de cōpenſat. l. quod dicitur. § vlti. de impenſ. in res dot.
f l. inuicem. C. de cōpenſ.
g l. 7. C. de ſolutio.
h l. cū alter. D. de cōpenſ. l. 3 C. eo.
i l. idem. in fi. D. eod.

peti debeat, quatenus compenſatio obiecta detrahat [x]. Nec intereſt qua ex cauſa debeatur. Hoc enim iure poſt Iuſtinia. conſtitutionem vtimur, vt tam in ſtrictis quàm bonæ fidei iudiciis ipſo iure compenſatio fiat. quæ antea ipſo iure in his dumtaxat, in illis oppoſita doli exceptione ex D. Marci reſcripto inducebatur [l], quemadmodum & in omni ferè iure quæ in ſtrictis per doli exceptionem, & in bonæ fidei iudiciis ipſo iure fiunt [m], propterea quòd illis, vt antea attigimus, doli exceptio continetur [n]. Hodie eò ventum eſt, vt ne oppoſita quidem compenſationis exceptio ſolutionem debiti moretur, niſi principalis reſcripti auxilium accedat [o].

Compenſatione vtuntur quicumque obligatum ſibi habent eum, qui petit. Planè fideiuſſores à reo conuenti, non tantùm quod ſibi, verumetiam quod reo debetur, rectè compenſant [p]. Nec enim in maiorem quantitatem, quàm reus condemnari poſſit, tenentur [q], & eis eædem quæ & reo exceptiones proſunt [r]. Abſentis etiam defenſor eius quod inui ceim ab actore abſenti debetur, compenſationem obiicere poteſt: nec neceſſe habebit de rato cauere, cùm nihil petere ipſe, ſed hoc minus ab initio ab eo peti intellegatur [s]. Alioquin nec alius, quàm cui debetur, compenſatione vti: nec quod alij, quàm ei qui conuenitur, debet, compenſare creditor cogitur [t]. Proinde ſi cum filiofam. agatur, ita ille quod patri debetur, compenſare poterit [u], ſi cauerat, Amplius non peti, ne à patre poſtea creditor appelletur, cuius actionem ſine mandato exigens filius non conſumpſit. In rem vtique ſuam datus procurator poſt litis conteſtationem, eius debiti nomine, cuius ei mandatæ ſunt actiones, ſi vice mutua conueniatur, compenſationem habebit [x]. Hoc enim lex nominatim addit, *poſt litis conteſtationem*. Credo, quia litis conteſtatione res procuratoris fit [y], eamq; deinceps ſuo nomine quaſi delegatione in ſe tranſlata [z], exequitur. Itaque & propriam cauſam perſequi dicitur [a], nimirum cuius emolumentum & damnum ad eum ſuo nomine pertinet: quiq; per omnia domini loco eſt [b]. Vnus ex duobus reis quod alteri ſtipulator debet, compenſare, niſi ſocii ſint, non poteſt [c]. Bonorum plané ſocietas efficit, vt vnius perſonæ vice omnimodo fungatur, vt quod alter pactus fuerit, alteri proſit, alterumq; releuet [d]

x l. poſteaquam. D. de compenſat.
l §. in bonæ. Inſti. de act.
m l. ſed ſi ideo. in fin. D. ſol. matr. l. qui decem. D. de ſolu. l. prædia D. de act. emp.
n l. in bonæ. D. de pecul. l. huiuſmodi §. qui ſeruum. D. de leg. i.
o Boer. in comment. cõſuet. Bitur. tit. de iuriſdict. §. 8.
p l. 5. D. de compenſ.
q l. 4. D. eod.
r l. exceptiones. D. de fideiuſſo.
s l. poſteaquam. D. de compenſ.
t l. in rem §. vlt. D. de cõpenſ. l. eius. C. eod.
u l. ſi cum filiofa. D. eod.
x l. in rẽ. D. eod.
y l. ſi procurator §. . de doli excep.
z l. 2. C. de oblig. & act. l. delegare. D. de nouat: l. 3. C. eod.
a l. §. in propria D. quãdo apell. ſit.
b l. ſed ſi tantũ D. de pact.
c l. ſi duo rei. D. de duo. re.
d l. ſi duo. D. de arbi. l. 5. D. ſi quis caut.

quod alteri debetur [e]. Secundùm hæc ſi quod pupillo debetur, tutor petat, eius quod ipſe ei quocum agit, debet, compenſationem non patietur [f]. Eius verò æris quod ipſe pupillus debeat, compenſatio petenti tutori vtilier obiicitur, etſi ex ea cauſa debeatur, quæ ad adminiſtrationem tutoris agentis non pertinet [g]. Diuiſio enim tutelæ cùm non ipſo iure nec à lege fiat, ſed prætore partes ſuas interponente [h], modum quidem geſtioni & adminiſtrationi inter ipſos facit [i], vt agere quiſque, vel actiones excipere, de iis tantùm rebus cogatur, quæ ex eius adminiſtratione pendent [k]. Creditoribus verò pupillaribus, qui vnius pupilli perſonam intuentur, cuius vnum patrimonium eſt [l], quod vniuerſum æri alieno tenetur [m], nihil obſtat: nec compenſationem remoratur, cuius ope ipſo iure pupillo teneri deſinit is, vnde petitur: quippe cui tantùmdem ex alia cauſa pupillo debeatur. Et ita obſcura Papiniani verba [n] interpretanda cenſeo. Contrà ſi militi caſtrenſium bonorum alius, ceterorum alius heres exiſtat, non audietur alteri heredum obligatus, ſi quod ſibi defunctus debuit, cuius diſſoluendi onus ad alium pertinet, compenſare velit [o]. Nam ſeparata prorſus vtriuſq; heredũ cauſa eſt, quaſi duorum hominum hereditates adierint: adeo vt æri alieno in caſtris contracto is ſolus qui caſtrenſium, extra caſtra verò contracto, ſolus is, qui ceterarum rerum heres ſcriptus eſt, obligetur [p]. Imperatoribus quoq; placet eius, quod vna fiſci ſtatio debet, alteri argenti compenſationem obiici non poſſe [q]: ne fiſcalium officiorum ordo ac ratio perturbetur. Nunc tractemus, quæ ſint ad compenſandum idoneæ cauſæ. Compenſationi locus eſt quacumque ex cauſa debeatur, etiamſi natura tantùm [r]. Nam quod Iauol. ex Caſſio ſcripſit, quæcumque per exceptionem perimi poſſunt, in compenſationem non venire, id ex ipſis verbis perſpicuum eſt ad obligationem naturalem, quæ ſola per ſe ſubſiſtat, non pertinere quæ cùm in iudicium non veniat [t], per conſequens nec exceptione, quæ actionis excludendæ cauſa comparata eſt [u]: repellitur. Proinde ſic & illa ſententia accipienda eſt, vt non compenſentur, quorum petitio exceptione naturalem obligationem elidente, ſolutiq; repetitionem tribuente ſubmouetur: qualia ſunt, quæ propter perpetui pacti iuſiurandi,

e l. eandem §. pen. de duob. l. 4 §. nũc de offe. tu. de lib. leg. l. idẽ eſt. D. de pa li
f l. pen. D. de compenſat.
g l. inter tutores. D. de adm. tut.
h l. 3. in fi. D. de adm. tut.
i l. quæro. D. de ſolutio.
k l. vlt. C. de diuid. tut. l. 4. D. de adm. tu. l. 3 § ſi tutor. D. iud. ſol.
l l. iuriſperiti. § cum o omnibus. D. de excuſ. tut.
m l. ſi fideicõmiſſum. § 1. D. de iudic.
n In d. l. inter tutores.
o l. ſi cum milites. D. de cõpenſat.
p l. ſi certarum. D. de milit. teſt.
q l. 1. C. de compenſat.
r l. etiam. D. de compenſ.
s l. quæcumque. D. eod
t l. 1 § id q. o l. D ad l. Falcid. l. naturales. de oblig. & act.
u l. exceptio. D. de except.

doli exceptionem, peti non poſſunt x. Enimuerò iniuria abſoluto debitori obiici, ſi ex alia cauſa petat, eius quòd debet compenſario poteſt y, licet petentem creditorem rei iudicatæ exceptione repelleret, quoniam ea exceptio naturalem obligationem non immutat z. Nec diſſimiliter ex negotio cum his geſto, qui alienæ poteſtati ſubiacent, ſolidum, quod nobis debetur, per compenſationem agente ex eadem cauſa domino vel patre ſeruamus, quamquam peculio tenus dumraxat nobis actio competiiſſet a. Siue quòd exceptio facilius, quàm actio datur b, retentioneq; multa ſeruantur, quæ actione non exigerentur c: ſiue quòd ex eo contractu à filio ſeruóue inito agens dominus ratũ habere negotium videatur d. Idcirco enim cùm ſeruus quid emit, agenti ex empto domino non aliter venditor damnatur, quàm ſi ſolidum & quæcumque, ſi cum libero contractum eſſet, deberentur, dominus præſtet e. Ceterùm perperam condemnatus, quemadmodum ex ea cauſa ſolutum repetere non poteſt f, ita quod ſoluit tamquam natura indebitum, compenſare non poteſt g, ex alia cauſa poſtea ſecum agente eo, cui condemnatus ſoluit. Tam autem in priuatorum, quàm ciuitatum h, & fiſci i cauſis compenſatio locum habet, hoc tamen obſeruato, vt qui aduerſus fiſcum compẽſatione vtitur, intra duos menſes ſibi debitum doceat k, & eadem fiſci ſtatio debeat, quæ & petit l. Nec tantùm ſi ex contractu, ſed etiamſi ex maleficio agatur compenſatio inducitur m. Fideicommiſſi petitionem compenſatio excludit n. Stipulationibus quoque prætoriis, quæ vicem præſentant actionum, rectè opponitur o, veluti ſi ſatiſdari quis ſibi legatorum vel damni infecti poſtulet. Agere enim videtur, qui eas cautiones interponi deſiderat p. Et quæ prædij, quod liberum venierat, liberandi cauſa erogauit, agenti venditori ope compenſationis reputare emptor poteſt q. Necnon qui iudicati conuenitur, compenſationem ſibi aliunde ab eo, qui agit, debitæ pecuniæ implorare poteſt r. Venit & in compenſationem id, quo nomine lis cum actore conteſtata eſt s, Nam aliud admittentibus, damnoſa ei, qui ad iudicẽ prouocauit, ſua diligentia couſtitueretur, com-

x l. Stichũ §. natural. ſ. de ſolu. l. qui exceptionem. D de condi. ind.
y l. procurator. §. 1. D. rẽ rat. hab.
z l. Iulia nu D. de cond indeb.
a l ſi cum fideiuſſ. D. de compenſat.
b l. 1. §. 1. de pignorib.
c l. Paulus. D. de dol. excep. l natural. ſ. le oblig. & act.
d l. ſi ſeruus alienus. D. de fideiuſſo.
e l. cum fundus. in fin. D. ſi cert. pet. l. ſi ſeruus. D. de adil. ed.
f l. 1. C. de cõdi. ind. l. ſi fideiuſſor §. in omnibus. D. mandi.
g l. 2. C. de compenſat.
h l. 3. C. de compenſ.
i l. vlt. C. eo.
k l. auferetur. §. qui compẽſationem. D. de iur. fiſ.
l l. 1. C. de compenſat.
m l. ſi ambo § 1. de cõpenſ.
n l. 4 C. eod.
o d l ſi ambo §. vlt.
p l. actionis. D. de oblig. & act. l. non ſolum D. rem rat. hab.

q l quoniam C. de compenſat.
r l. 2. C. de compenſat.
s l. in compenſatione. D. eod.

penſatione eius debiti denegata, quam re in iudicium no deducta fuerat habiturus. Nemo autem deteriorem ſuam cauſam litem exercendo facit[t]. Ad ſummam ex omni obliga tione actioneq; compenſatio recte fit. Depoſiti cauſam exci- pio, cuius reſtitutionem oppoſita compenſatione nō differri placuit[u], ſed re ipſa protinus & abſque mora reddita, tum de debito quæri. Quòd à Iuſtiniano primum cōſtitutum credi- tur, cum tamen id ipſum in Pauli Sententiis legatur[x]. Quod niſi ab his qui manus illi libro attulerunt, additum eſt, idem olim optinuiſſe indicat, vt immeritò Iuſtinianus antiquitus conſtituta renouans, ea ſibi tribuere[y] atque abrogare argua- tur. Ceterum ea demum compenſantur, quæ apparent. Nam obſcuri debiti cum eo quod conſtat compenſatio non iure poſtulatur[z]. Itaque qui illud aut illud, vtrū vellet, ſtipulatus eſt, ita compenſationem ex hoc debito impetrabit, ſi palam dixerit vtrum vellet[a]. Æqualia quoque ſolum debita, & quæ inter ſe conſentiunt, compenſantur: velut ſi vtrinque pecu- nia, vel aliud quod in ſuo genere functionem recipit, debea- tur. Corporibus enim debitis compenſatio non admittetur propter inæqualem eorum inter ſe æſtimationem[b]. Sed nec corporis ad quantitatem fit compenſatio[c]. Et hoc eſt quod Paulus ait[d], compenſationem debiti ex pari ſpecie procede- re. Nam parem ſpeciem appellat, quæ in ſuo genere alterius vicem præſtat, eandemq; æſtimationem & functionem ha- bet. Cuiuſmodi res communi ſpecie contineri eodem modo Vlpianus ait[e]. Quod in diem debetur, antequam dies vene- rit quo dari oporteat, eius pecuniæ, quæ præſenti die debea- tur, petitionem compenſationis ratione non excludit[f]: cùm necdum ad eius exolutionem debitor compelli poſſit, qui medii temporis commodo, quod & ad ſoluendum datum eſt, fraudari non debet. Nec quicquam facit, quòd obligatio nata eſt, quando exactio in diem dilata ſit, quem creditor vt petendo, ita compenſando anteuertere non poteſt. Petere enim videtur & qui aduerſus petentem compenſatione vti- tur[g]. Hoc idem & Curiæ Pariſienſis placitis confirmatum eſt[h]. Planè ſi intra tempus, quod poſt condemnationem reis indulgetur, condemnatus agat, eius quoque quod ex iudica- to debet, compenſationem patietur[i]. Hic enim aliter atque in ſupe-

t l. aliu. D. de nouatio.
u l. vlti. C. de cōpenſ. l. pen. C. depoſ.
x Lib. 2. Sentent. tit. 12.
y § ſed neque Inſt. de teſta. l. qui teſtamē- to D. de teſta.
z l. vlt. C. de compenſat.
a l. ſi debeas. D eod.
b l. ſi conue- nerit ij D. de pign. act. l. quod dicitur D. de impenſ. in res dot.
c l. ſi non ſor- tē. § ſi cētum. de condi. ind.
d Lib 2. Sen- tent. tit. 3.
e l. cum Sti- chus. D. de ſo- lutio.
f l. quod in diem. D. de compenſat.
g l. amplius. D. rē rat hab.
h Ioā. Luc. in lib. placit. cur. tit. de cōpenſ.
i l. ſi cum mu- lius. § vlt. D. de compenſat.

in ſuperiori ſpecie dies obligationis venit, quamquam humanitatis cauſa lege hæc ad ſoluendum cōdemnato dilatio tribuatur k. Cùm verò ei, qui certo loco dare promiſit, alibi agenti compenſatio eius debiti obiicitur, vtilitas loci in æſtimationem venit: eiuſq; ratio habetur, quòd creditoris interſit ſuo loco pecuniam ſolui l. Plerumque autem ex earum rerum, quæ debentur, qualitate, compēſatio impeditur. Nec enim compenſantur, quæ ex cauſa annonarum m, tributorum ſtipendiorum, vectigalium, vel ex pretio rei à fiſco emptæ n, vel ex frumenti oleiue publici pecunia o, debentur. Publice enim intereſt horum ſolutionem obtentu alterius debiti non retardari. Annonas intellegimus tam eas, quæ populo viritim ex imperatoris largitionibus diuidebātur, quàm quæ exercitui, palatiniſq;, & militaribus officiis in ſpeciebus vel in ære ex prouincialium illatione præbebantur. Quas in lege p, copias eſſe appellatas bene quidam notat. Nam verbum hoc commeatum plerumque ſignificat, vt apud Valer. Max. illo loco q: Obuiam illi P. Cornelium Scypionem Quæſtorem Capuam miſit, cenſuitq;, vt ei domus Romæ quàm optima conduceretur, & copiæ non ſolùm ipſi, ſed etiam comitibus eius publicè præberentur. Et apud Plinium r: Emit fiſcus quidquid videtur emere. Inde copiæ, inde annona. Et alio loco: Refudimus Nilo ſuas copias, recepit alimenta quæ miſerat. Non compenſantur item quæ ex Kalendario, Sitonia, Eleemporiáue Reipub. vel ciuitati debētur s. Enimuerò Ædilis idcirco condemnatus, quod artiorem annonam præſtiterit, quia frumentariæ pecuniæ debitor non videtur, compenſationem habebit t. Ipſa certè ad frumenti comparationem data pecunia, in erogata non compenſatur u. Eadem eſt alimentorum, quæ de publico præſtantur, cauſa x. Nam plerumque ciuitatibus in alimenta puerorum puellarumq; annuum quid relinquebatur y. Plerumque etiā Imperatores, quò ſe plebi commendarent, eiuſmodi alimenta decernebant. Quod à Nerua z primum per Italiæ oppida inſtitutum, Sext. Aurel. Victor ſcribit: poſt deinde à Traiano ſeruatum, de quo ſic Plinius: Indici iuſſiſti vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur: creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, alimentiſq; tuis

k l. debitoribus. D. de re iudic.
l l. pecuniam. D. de compēſ.
m arg. l. 3 § nūc de officio. D. quod cer. loc.
m l. ob negotiū. D. de compenſatio.
n l. aufertur. §. vt debitoribus D. de iure fiſci.
o l. 3. C. de compenſat.
p l. ob negotium D. de cōpenſat.
q Lib. 5. ca. 1.
r In Panegyrico.
s l. 3. C. de compenſat.
t l. ideo. D de compenſ.
u l. 1. § ad ſinmenti. de admini. ad ciuit.
x d. l. 3. C. de compenſ.
y l. ſi quid relictum l. ciuitatibus D. de leg. 1. l. Diui. D ad l. Falcid.
z In Panegyrico.

ad ſtipēdia peruenirēt. Et paulo pòſt: Paulo minus P. C. quinque milia ingeniorū fuerūt, quæ liberalitas noſtri principis cōquiſiuit, inuenit, adſciuit. Hi ſubſidium bellorū, ornamentū pacis puplicis ſumptibus aluntur. Cui Traiani liberalitati etiam incrementum addidiſſe Hadrianum Spartian.[a] ſcribit. Eiq; perceptioni Diuos fratres nouorum quoque hominum pueros, puellaſq; adſcribi iuſſiſſe Capitolinus auctor eſt [b]. Sed & Plinium antiquum monumētum Mediolani effoſſum reſtatur in alimenta & puellarū pleb. Vrbanæ H-S. CCC. dediſſe.

a In Hadria.
b In M. Anto. philoſ.

DE PIGNORIS VENDITIONE.

NON EST & illud omittendum abſque ſolutione debitori liberationem procedere, ſi tantum ex pignoris à ſe dati venditione redactum ſit, quantum deberur[a]. Nec refert, creditor alii pignus vendiderit, an ipſe à debitore emerit[b], niſi quòd hoc caſu confeſtim, illo non niſi percepta ab emptore pecunia debitor liberatur. Itaque ſi pretium ab emptore ſeruare creditor non poſſit, & culpa vacet, manet debitor obligatus [c]. Sed ſi pretium emptori acceptum fecerit, vel ab eo fuerit ſtipulatus, contrà dicemus[d], quia voluntate eius pretij pētitio ei ſublata eſt. Veruntamen ne pretio quidem accepto antè debitor liberatur, quàm certum ſit omnimodo id apud emptorem remanſurum[e]. Nam ſi re euicta ad creditorem, qui communi iure de euictione promiſit, emptor recurrere poſſit, debitor non liberabitur[f]. Quod ſi iure creditoris vendiderit, nihil liberationi officiet, quòd res vendita euinci poſſit, quando hoc caſu ad debitorem ſolum, non etiam ad creditorem emptor regreſſum ſit habiturus[g]. Quamdiu certè venditio re ſolui, & res inempta fieri poteſt, debitori liberatio non contingit[h]. Integrum verò eſt creditori pignus diſtrahenti pretium inde acceptum in eum quam velit cauſam, acceptum referre[i]. Proinde & in eam quantitatem, quæ natura tantum debetur, imputare poterit, cum in eam quoque cauſam pignus iure retineatur[k], nec aliter id reſtituere creditor cogi poſſit, quàm eo quoque debito ſibi perſoluto[l]. Naturales enim obligationes etſi non exactionem, retentionem tamen habent. Quinetiam ſi ob triginta

a l. ſi creditor. D. de ſolutio.
b l. in numerationibus. D. de ſolutio.
c l. quæſitum. D. de diſtract. pig.
d l. ſi creditor. de ſolut.
e l. reſcriptū. circa fin. D. de diſtr. pig.
f l. ſi mandato §. creditor. D. manda.
g Toto titu. credi. euictio. pig. non praſt.
h d l. ſi creditor. in fi.
i l. Paulus reſpondit. in fin. D. de ſolutio.
k l. naturaliter. in fi. prin. de cond. ind.
l l. pignoribus. C de vſur.
l Argu l. vn. C. etiā ob chirographi.

nũmos pecuniæ creditæ fideiuſſorẽ in viginti, pignus in decem creditor acceperit, redacta ex venditione pignoris decẽ in id quod ſolus reus debet, non etiam in viginti quę fideiuſſor promiſerat, accepto ferre reus poteſt m. Et ſi vſuris fideiuſſores obſtricti non ſint, confecta ex pignorũ vẽditione pecunia in vſuras cedet, fideiuſſores in id quod ſorti deerit, cõuenientur n. Planè ſi eodem tẽpore duobus cõtractibus pignora ſint obligata, idem arbitriũ creditori non permittitur, ſed pro modo pecunię cuiuſq; cõtractus ſibi id acceptũ ferre creditor neceſſe habet o. Ceterùm ſi minor, quã debeatur, pecunia ex pignore vendito redacta ſit, in reliquũ quod deeſt, creditori ſua actio ſupererit p. Vt autẽ vẽdito pignore, ſed ita & ſi tantum fructuũ ex pignore perceperit creditor quantũ ſorte & vſuris ſatis ſit, debitor liberatur. Nã ex pignore perceptos fructus lucro creditoris non cedere, ſed in ſortẽ & vſuras cõputari oportere exploratum eſt q: niſi ſi vti vſurarũ loco fructus creditor percipiat, conuenerit r. Quod genus pignoris ἀντίχρησιν appellant s. Hinc Marcellus vxorem in bona mariti dotis ſeruandæ cauſę miſſam reditus exactos, & pretium mouentium diſtractorum imputaturã ſibi in ſortem reſpondit t, vſurarum habita ratione, ſi eas arbiter dotis recuperandę adiudicauerit: quaſi pro ſoluto id habitura quod ex fructibus acceperit: cui diſſimilis longe illa ſpecies eſt, quam Accurſius pro pugnanti adfert, in qua creditorem ponimus nihil ad ſe pertinentem debitoris hereditatẽ poſſediſſe. Quamquam enim ex bonis tantum perceperit, quantum ſi quilibet alius bonorum poſſeſſor ei ſolueret, liberaret heredem, nihilominus duraturam fideiuſſorum obligationẽ Africanus ſcribit u, illa ratione, quòd pro ſoluto haberi non poſſit id, quod ad eũ peruenit ex hereditate quæ euincitur, quando nec pro pignore hereditatem, ſed pro domino poſſederit, & de fructibus reſtituendis teneatur. Etſi deducere quod ſibi debetur, ſi iuſtus poſſeſſor fuit, ei permittatur x. Quę in ſuperiori ſpecie contrà ſe habẽt omnia. Sola porrò pignoris ceſſione debitor non liberatur, ſi non ex pignore debitum colligi poſſit y. Nã & qui non idoneum pignus accepit, debitæ quantitatis, in quam pignus non ſufficit, exactionem amittit z, & vel pignore perempto integra debiti perſecutio eſt a.

FINIS.

m l. ob triginta. D. de ſolut.
n l. fideiuſſores. in fi. D. de fideiuſſo.
o l. pupilli. §. pen. de ſolut.
p l. 3. C. de diſtr. pig.
q l. 1. C. de pig. act. l. ſi pignore. in prin. D. de pig. act.
r l. ſi ea pactione. l. ſi ea lege. C. de vſuris.
s l. ſi is qui. D. de pignor.
t l. Titia. D. de ſolutio.
u l. Stichum § ſi creditor. D. de ſolutio.
x l. ſi quid poſſeſſor. § ſed & ipſi in fin. de petit. hered.
y l. 1. C. de pignor.
z l. creditor. D. ſi cert. pet.
a l. 25. C. de pig. act.

B. BRISSONII DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS, LIBER TERTIVS.

DIXIMVS, vt mihi quidẽ videtur abundè de his liberationũ generibus quibus ipſo iure obligationes tolluntur. Tẽpus eſt ad ea tranſeamus, quibus per exceptionem demum ab obligationis nexu abſolutio cõtingit. Quo in numero primas ſibi partes Pactum vindicat, per quod ipſo iure ęquè atq; per ſtipulationẽ obligatio iuris ciuilis approbatione, auxilioq; deficiente, nõ tollitur a. Naturali quidẽ certè æquitate motus Prætor, quæ fidem ſeruandã monet b, pacta ſe ſeruaturũ edicto profeſſus eſt c. Sed Prętoris tuitio nihilomagis facit, vt ipſo iure obligationẽ pacta tollãt. Ipſo enim iure ea tantũ valent, quę eo iure quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſcõſultis principum conſtitutionibus deſcẽdit, adiuuãtur. Et in vniuerſum ipſius iuris appellatio ἐμφαθικῶς ſic exaudienda eſt, vt à prætorio ſeparetur d, quod ad vnius hominis voluntatem propoſitum, in libera ciuitate legum populi iudicio receptarum e auctoritate non cenſebatur: ipſius dumtaxat prætoris imperio iuriſdictioneq; propter vtilitatem publicam f vim habebat: ideoq; & cum imperio vnà concidebat g, quoad vt ex edictis perpetuis Prætores ius dicerent, lege cautum fuit h. Quo fiebat, vt tota pactorum vis ex Prætorum iuriſdictione penderet, qui ea datis exceptionibus, ſi in iure apud ſe oppoſita eſſẽt, ſeruari curabant. Exceptiones enim, prætorij iuris, vt ita dicã, arma ſunt i. Quod & Rhethoricorum ad Herennium auctor tradit k. Ita verba hæc ipſo iure, & per exceptionem l, vel prætoris tuitione m, auctores noſtri aduerſa faciunt. Quorum ſunt pleni exemplorũ libri,

a §. itẽ ſi creditor. Inſti. de exceptio. l. ſi vnus. §. pact°. D. de pact.
b l. 1. D. de pact. l. 1. D. de conſtit. pec.
c l. iurigent. § prætor ait. de pact.
d l. 1. § vlt. de ſuperficiebus. § non autem omnes. Inſtitut. de perpe. & tem § hac exempli Inſt. de except. §. ſed iſte Inſt. de actio.
e l. de quibus. D. de l gib.
f l. ius autem. D. de iuſt. & iur.
g Cicer 3. in Verr Inſtit. de perpet. & tẽp.
h Aſcon. in Cornelia.
i l. 3. §. 1. D. de conſt. pec. l creditori. C. de pact.
k Lib. 2. cap. penult.
l l. 4. D. de ſeruituti. l. qui ſeruum. § ſi is cui rem. D. de oblig. & act. l. nec ex prætorio. D. de reg. iur.
m l. 9. §. illud. D. vſufr. quemadmo. caue. l. 1 in fin. D. quod fal. tut.

quæ nos latius tractare inſtituti ratio non patitur. Sic igitur cum Paulo [n] ſtatuamus, in pactis factũ, in ſtipulationibus ius verſari. Pacta enim ex ſolo conuentu & conſenſu valen's: ſoloque conuentionis facto ſuſtinentur, propter quod ſeruari ea naturali rationi cõgruum prætor putauit. Conuentiones autem facti ſunt [o]. ipſa quoque quæ ex pactis proficiſcitur, ſi modò aliqua proficiſcitur, ad factum referenda obligatio eſt [p]. Proinde pactis quæ facti ſunt, pacta ipſo iure tolli non poſſunt. Stipulationes cõtra, quibus præter conſenſum iuris auctoritas ineſt, per ſtipulationes ipſo iure tolluntur, id eſt, vt planiſsimè dicam, mero iure, ipſaq; poteſtate & auctoritate legis abſque auxilio prætoris. Nam vbi quid ipſo iure efficax, vel inutile eſt, prætor ſe interponere non debet [q]. fit quippe hoc vt Conſtantinus ait, ἀπ' αὐτονόμου Pretoris q; in eo partes ceſſant: quemadmodum acceptilationis exemplo, quæ ſtipulatione conſtat, demonſtrari liquidò poteſt: per quam tota funditus obligatio tollitur, vt eum, qui poſtea petat, non exceptione à prætore implorata repellere neceſſe habeamus, ſed rectè intendamus actionem non habere. Similiq; modo & eæ, quæ lege aliqua approbantur, conuentiones ipſo iure obligationem tollunt [r]. Cuiuſmodi ſunt, quæ de furto iniuriáue interponuntur. [s] Eas enim pactiones lex xij. tab. confirmat [t]: cuius verba, qua parte de iniuria paciſci permittebat, hæc fuiſſe accepimus [u]. SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. Ceteras per ſe infirmas & legum auxilio deſtitutas conuentiones exceptione, quæ agentem ſummoueat, propoſita, Prætor tuetur, Id quod à Cornificio [x], Ciceroneq; ſignificatur, cũ pacta quædam ſine legibus ex conuentu ſeruari tradunt, quæ iure præſtare dicantur [y]. Quæ verba hanc, niſi fallor, habent ſententiam, pacta conuenta, quæ ex nuda conuentione ſoloq; placito abſque iuris adminiculo conſiſtunt, ita Prætoriarũ exceptionum ope ſeruari, vt vel iure ipſo rectè inſtitutas actiones repellant, quemadmodũ a Iuſtiniano in Inſtitutio. explicatur [z]. Sed iam qui paciſcendi ius habeant, conſideremus. Paciſci ne petant, vtiliter ii demum poſſunt, qui ſui iuris ſunt. Nam qui alienæ poteſtati ſubiacent, ita paciſcẽdo nihil agũt, etiãſi maxime liberã habeant peculii adminiſtra-

n d. § pactus ne peteret.
o l. conſilio. §. quæſitum D. de cur. fur.
p l. nec debere D. de pecul.
q gl. in cauſæ. §. Pomponius D. de minorib.
r l. legitima D. de pact.
s l. ſi tibi § 1. D. de pact.
t l. iuriſg. § ſi paciſcar. de pact.
u Gell libro 20. cap. 1.
x Libro 2. ad Herenn. cap. de iuriſd. abſol.
y Libro 2. de inuentio. ca. 1
z Tit de exceptio.

tionem a, propterea quod huiuſmodi pactio donationis v
cem obtineat, quæ libera adminiſtratione conceſſa, ipſa t
men conceſſa non videtur b, cùm ab adminiſtratione alie
ſit, & ad profuſionem dilapidationẽq; magis accedat. Qu
circa donationis ſuſpicione ab eo pacto amota. rata habeb
tur pactio c, veluti ſi pro eo, vt ita paciſcerentur, aliquid,
quo non minus vel etiam amplius eſſet, conſecuti fuerint
At ſi filii actio eſt, eiq; ſuo nomine competit, vt iniuriarum
videndum erit, num pactio valitura ſit. Et cum ex iniuria
liofam. facta patri tam ſuo quàm filii nomine actio quęratu
f dubitandum non eſt, quin filii pactio ius ſuum perſequen
patri nihil ſit nocitura g, cuius condicio pactione filii det
rior conſtitui non potuit h. Planè de eo, quod ſub condici
ne ſibi legatum eſt, filiusfamil. rectè paciſcitur i, & quod
ipſum attinet, vtile pactum erit, quia poſſit exiſtentis conc
cionis tempore ſui iuris factus ſibi capere k: patris verò i
nullatenus minuit. Eodemq; modo & filiafamil. ne de dc
agat, cùm ſui iuris eſſe cœperit, vtiliter paciſcitur l. Quan
quam enim eo tempore hæc conuentio fiat, quo dotis ac
ſibi cum patre communis eius ſolius pacto remitti non p
ſet m, quia tamen in id tempus vis pactionis excurrit, quo d
eius propria futura eſt n, idcirco perinde valet, atque ſi
emancipata factum eſſet o. Quod poſtremum nullam alia
difficultatem habet. Prius illud ex eo dubitationem recip
quod ſub condicione relictum fruſtra remitti videatur p. S
quamquam inutiliter, quæ ſub condicione legata ſunt, an
quam eorum condicio extiterit, repudientur q, vtiliter ta
de his non petendis paciſcimur r, eoq; modo futuri iuris ſp
remittimus. Repudiatione enim ea tantùm amittuntur, q
in ea cauſa ſunt, vt adgnoſcentibus nobis ſtatim adquir
tur s. Pacto etiam ea quæ nondum competunt, rectè ab
cantur t. Verum inſtitutam de paciſcentium perſonis q
ſtionem abſoluamus. Pupillus ſine tutore paciſcendo r
debitore petat, nihil agit, cùm eo modo deteriorem ſu
cauſam faciat, quod ſine tutore facere non poteſt u. Sed

a l. contra. §. vlt. D. de pac. l. ſicut §. an filius. D. quib. mod. pig.
b l. filiusfa. D. de donat.
c l. ſi quis vxori. §. ſi ſeruus meus. D. de furt.
d d. l. cõtra. in fi.
e l. filiusfa nullam. D. de oblig. & act.
f l. ſed & ſi. § filio. D. de iniur.
g l. in perſona. D. de pa.
h l. 3. & l. 23. C. de pa.
i l. ei heredi. §. penulti. de pact.
k l. quæ legata. D. de regul. iur.
l d. l. ei heredi. §. pen.
m l. 2. §. 1. D. ſolu. mat.
n l. vn. §. videamus. C. de rei vx. act. l. ſi ſocer. D. ſoluto matr.
o l. in tempus. de hered. inſti.
p l. quod ſponſa. de donat. inter vir.
q l. ſi ita ſcriptum § ſi ſub condicione. de leg. 2.
q d § ſi ſub condicione.
r l. 1. C. de pa.
s l 1. §. decretalis. de ſucceſſ. ed. l. qui poteſt. in fin. D. de regul. iur.
t l. pactum. D. de pact.
u l. contra. in princ. D. de pact.

tutores quidem, vel furioſorum ac prodigorũ curatores ita paciſcendo, his perſonis, quorum res gerendæ eis mandantur, nocent[x]. Quamquam ſi non donationis cauſa, ſed ita adminiſtratione exigente, vel vtilitate ferente pacti ſint, pactionem recipiendam puto[y], Eademq; & in Reipub. curatoribus erunt dicenda[z]. Litis procurator, & qui ad agendum tantum, vel ad vnam aliquam ſpeciem cõſtitutus eſt, paciſci non poteſt, ne petat[a]. Vtroque enim caſu mandatum egreſſus, de iure domini nihil detrahit[b]. Sed ſi hoc ei ſpecialiter mandatum, vt paciſceretur, vel libera totorum bonorum adminiſtratio conceſſa fuerit[c], paciſci poterit. Idem dicemus & ſi in rem ſuam datus ſit[d]. Vnde ab emptore hereditatis, qui in rem ſuam procuratorio nomine agit[e], cum debitoribus hereditariis factum venditori, quandoque poſtea agenti pactum obſtat[f]. Vtique enim domino præfertur, qui in rem ſuam mandatas ſibi actiones exercet[g]. Immò & ipſe domini loco eſt[h]: quandoquidem ad eum periculum omne litis, emolumentumq; pertinet[i]. Si tamen præueniens dominus cum ignaris debitoribus ante litem à procuratore conteſtatã, vel partem debiti acceptam, vel mandatum actionum editum[k], prolatumque pactus ſit exceptio contra procuratorem illis propter ſuam ignorantiam accommodabitur[l]. Iuſta enim exiſtimatione ducti ſunt ad paciſcendum: imputareque ſibi procurator debet, qui eos de mandato certiores non fecerit, ne à domino circumuenirentur. Porrò quod diximus vniuerſorum bonorum adminiſtrationem ſuſtinentem procuratorem paciſcendi ius habere, quod tutoribus, & curatoribus & liberam peculii adminiſtrationem habẽtibus denegatur, ne cui ſcrupulum iniicere vel attẽtari aliqua ratione poſſit, ſic accipiendum cenſeo, vt ita demum pactum valeat, ſi negotiorum adminiſtratione exigente pacti ſint. Alioquin durũ hoc & permirum facta ſuperiorum perſonarum cõtentione apparebit. Nec enim eis magis profundendi, perdendi, dilapidandi poteſtas eſt[m], quàm his, quibus libera peculii vel pupillarium rerum adminiſtratio datur. Si vnus ex argentariis ſociis cum debitore pactus ſit, alteri nihil nocet. *Tantum enim*, ait Paulus[n], *conſtitutum eſt, vt ſolidum alter petere poſſit.* Conſtitutum lege fortaſſe, vel principum conſtitutio-

x In d. l. cõtra iuſ. prin. l. pactum. curatoris. C. eod.
y Argu l. tutor quantum. D. adm tu. & l. intor. D. de curetor.
z l. Imperatores D. de pactis. l. præſes. C de trãſ.
a l. ſed ſi tantũ. D. de pact.
b l. ſi procurator. C. de procur
c l. 13. D de pact.
d l. 14. D. eo l. 8 §. ſi procurator. D. quib. mod. pig.
e l. ſi quis in rẽ. D. de procur.
f l. ſi cum emptori. D. de pact.
g l. procuratore. D. de procur.
h l. ſed ſi tãtũ. de pact.
i l. 1 §. in propria. D. quãdo appel. ſit.
k l. 3. C. de nouat.
l l. vlt. D. de tranſact.
m l. creditor. §. Lucius. D. manda.
n l. ſi vnus. D. de pact.

ne: ſic enim hoc verbum in libris noſtris exaudiendum eſt [o]. Extitiſſe verò aliquam de ea re legem indicio eſt Quintiliani locus, cuius hæc verba ſunt [p]: Lex eſt. vt argentarii dimidium ex eo, quod debebant, ſoluerent, creditum ſuum totum exigerent. Argẽtarius ab argentario ſolidum petit, proprium ex materia eſt argumentum creditoris, idcirco adiectum eſſe in lege, vt argentarius totum exigeret. Aduerſus alios enim non opus fuiſſe lege, cùm omnes præterquam ab argentariis totum exigendi ius haberent. Quã de lege nihil aliud ſuccurrit. Ex ea verò ducit Paul. paciſcendi ius alterum ex argentariis ſociis ius non habere, quoniam de ſola petitione lex loquatur, quam non eſt æquum ad alias ſpecies, quæ ab expreſsis abhorrent porrigi [q]. Idem in duobus reis ſtipulandi dicendum eſſe lex [r] ait, propria & iſtud ratione. Nam ſolutionem quidem accipiendo, vel acceptum ferendo, vel nouando vnus ex duobus reis alterius perimit obligationem [s]: quæ cùm in vtriuſque perſona ſolida conſiſtat [t], ſolida quoque ab vtrouis eorum, quibus id iure contingit modis, tollitur. Paciſcendo verò ne petat, cùm obligationem non extinguat, correo petitionem non aufert, qui ſaluum ſibi & integrum ius ſuum poſt huiuſmodi pactionẽ relictum exercere poteſt contrà atque ſi legitimis modis obligatio ſublata, vel certè iudicio debitor præuentus eſſet [u]. Minus dubium eſt eum, qui ſolutionis gratia ſtipulationi adiicitur, paciſcendi ius non habere [x]. Maioris partis creditorum pactio, qua ad adeundam hereditatem parte debiti remiſſa heres inuitatur, minori nocet [y]. Quod, tametſi de ea re agatur, quæ ad ſingulos priuatim pertineat, quæq; omnium conſenſu approbanda videatur [z], ſingulari iure receptum eſt, cùm vt heres aliquis defuncto exiſtat, tum vt commodius creditores ad ſuũ perueniant, allecto eo modo herede, qui abſq; eo eſſet, timidius ſe oneribus hereditariis implicaret.

NVNC videndum eſt, quibus proficiat, pactio, & ad quos pacti exceptio porrigatur. Multum verò quod ad hoc caput attinet, intereſt, in rem ſit pactum, an in perſonam. In rem pactum eſt, quotiens generaliter paciſcor ne petam. In perſonam, quotiens ne à certa perſona petam [a]. Pacta in rem omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe ei intereſt

o l. adulter. D de adulter. l. Neſennius. D. de neg. geſt. l. 6. D. de in integ. reſtit. l. in heredem. D. de de calumn. l d. minor §. 1. D. de queſtio. l. Statius. in fi. D. de iure fi.

p Lib. 5. ca. 10.

q Arg. l. ſi vero. § de viro. D. ſol. ma.

r d. l. ſi vnus.

s l. 2. D. de duob. re l. ſi rem. §. 1. D. de nouat. l. & per iuſiurandum §. pe. de acceptilatio.

t d. l. 2.

u l. 2. & l. ex duobus. D. de duob. re.

x l. quod quis D. de ſolut.

y l. & ſuñ. cum l. ſeq. D. de pact.

z l. per fundũ. D. de ſeruit. ruſt. ca. quod ocis. de regul. iur. in vi.

a l. iuriſgentium. § pactorũ. de pa.

intereſt, qui paciſcitur [b]. Itaque fideiuſſori cum debitore facta conuentio prodeſt, niſi vel aliud actum ſit [c], vel in rem ſuam [d], aut donandi animo [e], fideiuſſerit. Addo ego, aut pro inuito & vetãte fideiuſſerit. In paribus enim cauſis paria iura ſtatuenda ſunt [f]. Atquin vt illo, ita & hoc caſu, quia mandati actione non eſt ad reum fideiuſſor regreſſum habiturus [g], rei nihil intereſt ab eo peti. Quotiens verò mandati vel negotiorum geſtorum actio fideiuſſori competit, totiens & ei rei conuentio proficit, ad tamdiu quidem, quamdiu & reo. Itaque ſi cum reo ad certum tempus pactum factum ſit, vltrà nec ipſi, nec fideiuſſori eius proderit [h]. Quæſita ſanè ſemel ei ex pacto perpetuo exceptio, vlterius contraria rei conuentione minimè conſentienti adimi non poteſt [i]. At ex cõtrario fideiuſſoris conuentio, niſi hoc quoque in paciſcendo actum ſit [k], reo vel confideiuſſoribus non prodeſt: cùm eius nihil interſit, à quoquam eorum peti [l]. Nam affectus in hac cauſa ratio nulla habetur, principaliterq; & pecuniariè intereſſe neceſſe eſt ad alium conuentionis exceptionem tranſire, atque ita, vt aliter ei qui pactus eſt, conſuli non poſſit, quàm ſi alii quoque conſulatur. Planè ſi in rem ſuam fideiuſſor ſit acceptus, pro procuratore puta, vel ſeruo ſuo, eius pactio reo proderit [m], quoniam pro reo principali ipſemet habetur, qui ſuam verius quàm alienam obligationem interceſſione ſuſcepit [n], & qui ex pacto commodum ſentire non poteſt, ſi nõ eius quoque auxilio reis ſe tueri concedatur. Cum altero ex duobus promittendi reis vel argentariis ſociis factam conuentionem alteri prodeſſe Paul. ſcribit [o]: cuius reſponſum non ad proximè præcedens caput referendum, ſed fini capitis xxiiii. [p] annectendum eſt quòd & eiuſdem auctoris eſt, & ex eodem libro ſumptum. in quo hanc quæſtionem Paul. latiſſimè tractauerat [q]. Id quod Accurſium aliquantulum turbauit, qui in duas ſententias diuersè tractus, quo conſiſtat, & vbi gradum figat, reperire non poteſt. Sed enim ſuperiori à nobis ex eodem Paulo poſitæ regulæ, qua duce numquam aberrabimus, conſentaneum eſt vnius ex duobus reis conuentionem alteri prodeſſe, ſi ſocii ſint, propterea quòd paciſcentis hoc intereſt, cui ſocietatis iudicio, quod communi creditori ſoluerit, alter ſit reputaturus [r] ab eo, vt vi ipſa peti

b l. & heredi §. vlt. de pactis.
c d §. vlti. cũ l ſeq.
d Argu. l. ſed ſi fideiuſſor. D. de pact.
e l. quod dictum. D. eod.
f Cic. in Topic. l. illud. D. ad l. Aquil.
g l. ſi remunerandi. §. ſi paſſus l. ſi pro te. D. mand.
i l. 6. D. de liber. leg.
h l. ſi vnus §. ſi cum reo. D. de pact.
i l. vlt. D. eo.
k l. videlicet. D. eod.
l l. fideiuſſoris. D. de pact.
l. ſi ſtipulatus §. vlt. D. de fideiuſſ.
m l. ſ. d ſi fideiuſſor. D. de pact.
n l. de die. §. ..D. de pact.
l. 25. D. ad Velei.
o l. idem in duobus. D de pact.
p l. fideiuſſoris. D. eo.
q l. & heredi l. ſi vnus. D. eod.
r l. omne æs. D. pro ſoc.

videatur,dum à correo petitur [s]:non prodeſſe contrà,ſi nulla inter eos ſocietas fuerit [t]. Nam ſolutione quidem ab vno facta, vel ſi ei accepto latum ſit, alter liberatur. Vtique enim cùm vna ſit obligatio,& vna etiam ſumma eſt [u], vt ſiue vnus ſoluat,ſiue vni accepto feratur,vterque liberetur , cum ſolutionis exemplo acceptilatio totã obligationẽ tollat [x], omnibusq; proficiat,qui eadem obligatione adſtringãtur [y].Quod in pacto ſecus eſt, quod iis tantum prodeſt, qui vel eo comprehenſi ſunt, vel obligationis ita participes, vt eorum quoque obligationem diſſolutam eſſe principaliter paciſcentis interſit [z]. Nec abſimiliter cõfuſione inter creditorem & reũ promittendi facta alter eiuſdem pecuniæ reus, ſi nulla interceſſerit ſocietas,nullatenus liberatur,tamquam eo modo exempta tantum perſona [a], non etiam obligatio tota perempta videatur: ſin ſocietas fuerit, in eam partem liberabitur, cuius ſolido ſoluto repetitionẽ ab ipſomet creditore haberet [b]. Secundum hæc ſi ex duobus reis promittendi alter pactus ne à ſe petãtur, poſtmodum ſoluerit, quia ſolutum per condictionem indebiti reuocare poteſt,durare alterius obligationem dicemus [c]. Enimuerò qui pro duobus promittendi reis mandator extitit, quorum vnus,ne à ſe peteretur, cũ creditore pactus fuerit, poſt ſolutam creditori pecuniam vel eum, qui pactus eſt,eligere poteſt [d],quia non eſt ei electio ſua creditoris pacto adempta.

Pacta conuenta his qui in rem ſucceſſerint, proſunt [e]. His enim eædem ſolent,quæ & auctoribus,competere exceptiones [f], paciſcentiſq; plerumque intereſt ab his non peti, cùm ad eum ex ea cauſa rediri poſſit. His verò, qui in ius vniuerſum ſucceſſerint, quin pactio proficiat,non dubitatur: quorum perſona ſuperuacuè pactis comprehenditur,cùm ad eos ea etiam non adiecta, tranſeant [g]. Quinimmò plerique teneant [h] licet debitoris perſona pactione expreſſa ſit, ad heredem nihilominus pactum pertinere,niſi nominatim conueniſſe probetur, vt ab ipſo dumtaxat debitore non petatur. Quorum ſententia mihi ſemper falſa viſa eſt. Certo enim conſtat, & ita à prudentibus definitur, in perſonam pactum eſſe,quotiens debitoris nomen pactioni inſeritur [i], niſi cùm non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur cum quo

s l. ſi duo D. de arbitr.
t l. 4. §. nũc de effectu. D. de lib. leg.
u l. 2. in ſi D. de duob. re.
x l. in diem. D. de accepti l.
y l. ſi ex pluribus. D. de acceptil.
z l. & heredi. §. vlti. l. ſi vnus. §. ante omnia. D. de pact.
a Arg. l. vlti. D. de duo re.
b l. Vranius. D. de fideiuſ.
c l. qui hominem. §. vlt. de ſolutio.
d l. Vranius. § ſi ponamus D de fideiuſ.
e l. ſi tibi. §. pactũ. de pact.
f l. doli a §. 1. D. de cõtrah. empt.
g l. ſi pactũ. D. de probat. l. ſicut. § ſi debitori D. quibus mod. pig.
h Bart. cum aliis in l. iuriſgent. §. pactorum
i l. iuriſgent. §. pactorum. l. acquirere. in ſi. coniunct. l. & heredi l. qui in futurum. §. vlti. D. de pa.

pactum fiat, perſonam adiici non dubiis argumentis conſtet. Quæ autem in perſonam ſunt pacta, æquè exploratum eſt ad heredem non tranſire [k], vt qui horum alterutrum in dubium reuocat, ſtultitiæ reprehenſionem effugere non poſſit. Quibus conceſſis, hoc quoque detur neceſſe eſt, pacto inſertum debitoris nomen impedire, quominus ad heredes id tranſeat. Hoc enim ex ſuperioribus efficitur neceſſariò. Nec me mouet quod Pomponius reſpondit[l], ſi creditoris dumtaxat perſona ea pactione comprehenſa ſit, qua de vendendo pignore conuenit, heredem tamen iure venditurum, ſi nihil in contrarium actum ſit. Nam hoc idcirco eſt, quoniam in obligationem creditæ pecuniæ ſuccedit, cuius iure pignus in eam cauſam datum diſtrahere ei licet, ſi modò non côuenerit, vt ne liceat [m]. Eum enim pactiones à defuncto interpoſitę tenent[n], quibus niſi conſtringatur, eadem ei circa pignus quę & defuncto licent [o]. Quod verò obiici ſolet, tale pactum, *Profiteor te non teneri*, inter heredes locum habere [p]. expeditam ac facilem ſolutionem habet. Nec enim in perſonam pactum hoc dirigitur, ſed generale & vagum eſt: nec artandi pacti, ſed demonſtrandæ obligationis cauſa perſonam hic adiici manifeſtum eſt. Ipſaq; adeò verborum conceptio multum inter hoc & illud ſuperius pacti in perſonam poſitum exemplum intereſſe oſtendit. Nam qui ita dicit, *Profiteor te non teneri*, de tota obligationis ſubſtãtia loquitur, quam non ſubeſſe atteſtatur, nec ſibi quicquam deberi, profitetur, vt meritò cùm obligatio deficiat, nihil ſit quod ab heredibus petatur. At qui à Titio, verbi gratia, ſe non petiturum pollicetur, nihil in obligationem egit, ſibi tantum petendi à Titio facultatem præcidit: itaque cùm obligatio maneat, ab heredibus rectè petit. Celſi verò reſponſum [q], in quo opinionis ſuæ arcem ſtatuunt, qui contra nos ſentiunt, de pacto in rem facto accipiendum impellente iuris ratione verè dicere poſſumus, cuiuſmodi pactum, licet heredum in eo mentio nulla fiat, ad eos tamen tranſit, ſi non aliud actum manifeſtis argumẽtis appareat. Lõgius progreſſus ſum, quàm putaram. Vt ad pacta in rem redeam, concludendæ totius diſputationis cauſa ſtatuamus, cum alio factam conuentionem alii nõ prodeſſe, ſi paciſcentis nihil intersit[r]: ac proinde cum poſſeſ-

[k] l. idem. in duobus. §. vlt. l. qui in futurum. in fi. D. de pact.

[l] l. ſi neceſſarias, §. de vẽdendo. D. de pig. act.

[m] l. 4. D. de pig. act. l. 1. C. de pact. pig.

[n] l. ex qua. D. de reg. iur. l. ſi tibi. §. ſi quis paciſcatur l. epiſtola. D. de pact.

[o] l. heredem. D. de reg. iur.

[p] l. tale pactum. D. de pact.

[q] In l. ſi pactũ D. de probatio.

[r] l. ſi vnus §. ante omnia. D. de pact.

ſore hereditatis factum pactum ei qui hereditatem euicerit non prodeſſe s: quamquam ſi poſſeſſori conſtituta fuerit pecunia, poſt euictam hereditatem actionẽ heredi decerni placet t. Nam ea quidem, quæ circa hereditariam obligationem geruntur, cuicumque qui hereditatẽ optinebit, proſunt: pacta verò hæc, quæ debiti remiſſionem continent, cùm ob meritum plerumque fiant, & ex liberalitate proficiſcantur, intuitu magis poſſeſſoris, quàm hereditatis contemplatione facta intelleguntur. De illo itaque quæri & dubitari poterit, num cum herede facta pactio fideicommiſſario reſtituta hereditate proſit. Et ſi cum eo pactus ſit creditor, ne res pignori ſit, fideicommiſſario id profuturum Vlpian. reſpõdit. u De conſtituta quoq; heredi pecunia actionẽ eum habiturum x conſentiens omnium opinio eſt, quamquam circa fideiuſſores & pignora diſſentire videantur y. Porrò ſi creditores cum extraneo adituro pacti ſint, vt minus ſoluatur, eam conuentionem etiam neceſſariis perſonis, ſi idoneæ ſint, & oneribus ſe hereditatis implicare velint, profuturã quidem aiũt, eumq; efficiunt reſcripti Antonini z ſenſum. Perſonale pactũ ad alium non pertinet, ne ad heredem quidem a, niſi aliud actum ſit b. Proinde ſi conuenerit, ne à te ego petam, & heres meus à te rectè petet, & ab herede tuo rectè petam c. Item ſi filiusfa. pactus fuerit, ne à ſe petatur: patri quidem, ſi ex perſona filii viuo eo conueniatur, pactio proderit, poſt mortem verò eius, nec patri, nec heredi proderit, cùm ſit perſonale d.

Sibi autem quiſque paciſci debet alii inutiliter paſciſcitur. e Quæcumque enim ciuiliter gerũtur (quo in numero pacta ſunt) niſi à noſtra perſona initium capiant, inanem habent exitum f. Ideoq; nec paciſcendo, nec ſtipulando, nec vendendo, nec aliàs contrahendo extra quàm per eas perſonas, quę iuri eius ſubſũt, alii caueris, vel liberatio adquiri poteſt. Planè per quos ſtipulationibus adquiritur, per eoſdem & pactis adquiri poſſe lex ait h. Cui conſequens eſt filiosfa. vel ſeruos paciſcentes, ne à patre dominóue petatur, eis exceptionem adquirere i. Hereditarium tamen ſeruum heredi poſt adituro nomine eius expreſſo inutiliter, vt ſtipulari, ita & paciſci traditum eſt, cum perinde id ſit ac ſi extraneæ perſonæ paciſcatur k: propterea quòd nondum dominus eſt is, cui pa-

s l. ſi tibi. §. cum poſſeſſor eod.
t l. ſi poſt. D. de conſti. pec.
u l. ſicut. §. 1. D. quib. mod. pign.
x d. l. ſi. poſt.
y l. ſi heres. D. ad Tre. bell. l. heres. D. de fideiuſſorib.
z l. Imperator. D. de pa.
a l. idem in fi. D. de pact.
b l. videlicet. D. eod.
c l. qui in futurum in fi. D. eod.
d l. adquirũt. §. vlt. cum duabus ſeq. D. de pact.
e l. quæ tutela. in fin. D. de reg. iur.
f l. quæcũque D. de oblig. & act. l. ea quæ D. de acq. rer. dom.
g l. ſtipulatio iſta. §. alteri. de verb. obl. l. multum. C. ſi quis alt. vel ſibi.
h l. per quos. D. de pact.
i l. ſi tibi §. vlt. cum is. ſeq. D. eod.
k l. ſi vnus. in fin. D. eod.

ciſcitur, ac nec iuris quicquam habere intellegitur[l]. Sed ſi generaliter pactus ſit ne petatur, vel ne ab hereditate petatur, pactio valebit, & hereditati interea, quæ defuncti perſonam ſuſtinet, quæſita pacti vtilitas ad heredem poſtea adeuntem trãsferetur. Iacente enim hereditate ſeruus vniuerſo hereditatis iure continetur, & ceterarum rerum hereditariarũ exẽplo dominam hereditatẽ habet[m]. Proinde omnia ſibi vtiliter ſtipulatur, præter ea quę perſonam, perſonęq; factum deſiderant[n]. Quinetiam ſi proprio nomine non expreſſo heredi futuro ſeruus pactus ſit, admittendum eſt pactionẽ valere[o], quę in id tempus confertur, quo heres adeat: cuius aditio, quãtocumq; poſt interuallo ſecuta, retro tamen ad mortis tẽpus trahitur[p], & quæ interim geſta ſunt, confirmat. Nec tantùm per ſeruos noſtros, ſed & per eos, quos bona fide poſſidemus, nobis pacti exceptio adquiritur[q], quia re noſtra adquiri nobis videtur, cùm obligatione liberamur[r]. Quamobrem & ex ſerui fructuarij vſuariíue pacto ei qui vſumfructum vel vſum tantum habeat, adquiritur[s]. Quòd ſi ne à ſe petatur ſeruus pactus ſit, inutile pactum eſſe Paulus ait[t]. Ego exiſtimo magis inane & deriſorium eſſe, quàm nullum: quia nec à ſeruo aliàs peti potuiſſet, quo cum nec actio eſt[u], nec iudicium conſiſtit[x]. Verbum enim petendi hic, vt aliàs ferè ſemper, ad iudicia referendum eſt[y]. Sed quamquam pacti exceptio ex eiuſmodi ſerui conuentione domino non detur, doli tamen competituram Paul. probat: è contrario ſi filiusfamilias ne à ſe petatur, pactus ſit, non æquè inane pactum eſt, cùm in filium vtiliter actio competat[z]: & hæc pactio patri ſi de peculio, vel in rem verſo, vel quaſi defenſor filij conueniatur, necnon & heredi quoque eius viuo filio proderit, poſt filij mortem nulli proderit: quia perſonalis eſt[a]. Ex diuerſo autem his qui in noſtra poteſtate ſunt (niſi vt heredibus paciſcamur[b]) paciſcendo prodeſſe non poſſumus[c]: ſic vt directa eis pacti exceptio adquiratur. Doli certe ex æquo & bono exceptio accommodabitur[d], quæ deficiente pacti exceptione plerumque competit[e]. Heredibus certè noſtris paciſci nos poſſe, & vel vni ex his conſulere, non dubium eſt[f]. Nec huic ſimile eſt, quod ſi ſe & heredem ſuum Titium daturum quis ſpoponderit, non ob eam rem minus coheredes Titio adie-

l l. pretia. in fi. prin. D. ad l. Falcid.
m l. quod ſeruus. in fi. D. de ſtipul. ſeru.
n l. vſusfructus. D. de ſtipul. ſeru.
o l. ſi ex reſ. vel. l. ſeru. hereditarius. D. de ſtip. ſeru.
p l. heres quãdocũq; D. de acq. her.
q l. adquirẽt. D. de pact.
r l. ſpecies. D. de acceptil.
s l. ſi debitor. D. de pac. l. ſed & ſicut D. de vſufr. d. l. ſpecies. §. itẽ per liberos. & ibi Theoph. per quas perſo. nob. oblig.
t l. & heredi §. 1. de pact.
u l. cũ ſeruus. de reg. iur.
x l. ſeruus. C. de iudic.
y l. amplius. D. rẽ rat. hab.
z l. ſi quis ſtipulatus. D. de ſolutio. l. tã ex contractibus. D. de iudic.
a l. adquirẽt. §. 1. cũ ll. ſeq. de pact.
b l. avus. D. de pact.
c l. ſi tibi. §. ſi pactus. l. & heredi. §. nos autem. D. de pact.
d d. l. & heredi. §. Iulianus.
e l. reſcriptũ. §. vl. D. de pac.
f l. ſtianus. D. eo.

ƈti tenenturg, quoniam ex defunƈti perſona obligãtur, quam vnà cum Titio reptæſentant. Ceterum non vt qui ſe daturum promiſit, heredes quoque ſuos obligatos relinquit, ita qui ne à ſe peteretur pactus eſt, heredibus liberationem quærit: quorum vni dumtaxat prouidere eum, quemadmodum & vnum legatis onerare h, nihil vetat. Sed hoc tum admittendum erit, cùm diſertè vni ex heredibus defunƈtus cauit. Alioquin enim coheredes exceptione vterentur. Quinimmo ſi vni tantùm paƈtus ſit quis, quod eum ſolum heredem ſibi exciturũ putabat, ſuſceptis poſtea liberis, & heredibus teſtamento relictis exceptio proderit i, propter veriſimilẽ paciſcentis voluntatem k, qui heredi cauere in animo habuit: plures expreſſurus, ſi plures habiturum ſe præſenſiſſet. Tutorum etiam l, curatorumq; m paƈta pupillis, furioſis, prodigis proſunt. Eadem cauſa eſt eorum, qui ſocietatibus præſunt. Horum enim paƈtiones ſodalitati proficiunt n. Quinetiam procurator paƈtus ne à domino petatur, ei doli exceptionem adquiret o, quamquam obligationem vix vmquam adquirat p. Denique & reus Ne à fideiuſſore petatur, reƈtè paciſcitur, cùm non tam alij adquirere, quàm ipſe ſibi conſulere videatur q.

Atque vt cum alio faƈta conuentio alii neque nocet neq; prodeſt, ita nec in alia re faƈta ad aliam trahitur r. Planè ſi decem debitor paƈtus ſit cum creditore ne viginti petat, in decem exceptione ſe tuebitur: quoniam qui viginti ſe non peti turum promiſit, re ipſa quoque paƈtus ſit, ne decem petat s. Sed ſi viginti debeantur, & de decem paƈtus ſit, reliqua decem petenti exceptio non nocebit t. Decem verò aut Stichum ſtipulatus, ſi de Sticho paƈtus ſit, nec decem reƈtè petet: quandoquidem illius aut illius rei promiſſio ad alteram tantùm præſtandam promiſſorem obligat: & ſiue ſoluta vna, ſiue accepto lata, ſiue in iudicium deduƈta fuerit, ſiue de ea non petenda paƈtum interceſſerit, in ſumma, quoquomodo creditoris voluntate ab obligatione altera exempta ſit, tota obligatio conſumitur, & ab altera liberatio contingit. Nam vnius certè morte ante moram in accipiendo faƈtam contingente non tollitur obligatio, ſed in ea quæ ſupereſt conſiſtit, quoniam reo competens eleƈtio alterius morte finiatur u.

g l. cum qui ita §. te & Titiũ. D. de verbo. obl.
h l. legatorũ. §. vlti. l. Titia. §. Lucius. l. cum ab vno de legat. ii.
i l. tale paƈtum § vlt. de paƈt.
k Arg. l. ſi vnquam. C. de reuoc. don.
l l. tutoris. D. de paƈt.
m l. cõtra. in fi. prin. D. eod.
n l. item magiſtri. D. de paƈtis.
o l. reſcriptũ. §. vlti. cum l. ſeq. D. eod.
p l. ſolutum §. per liberã. de pig. aƈt.
q l. ſi vnus §. 2. D. de paƈt.
r d l. ſi vnus. §. ante omnia.
s l. 1. §. ſi ſtipulanti. de verbor obl.
t d. l. ſi vnus. §. ſi cum mihi.
u l. 3. D. quod cert. loc.

nec creditor ſatis accepiſſe hic vt in ſuperioribus ſpeciebus videatur. At ſi alicui incertus homo ita debeatur, vt ad eum electio pertineat, ex legato fortè, & pactus ſit, ne Stichum petat, Stichum quidem petenti exceptio obiicietur, contrà atque ſi Stichum repudiaſſe eum proponeremus. Homine enim legato fruſtra Stichus repudiatur[x], qui ante optionem ad nos non pertinet, eligiq; adhuc poteſt, pacto verò non inutiliter remittitur. Idq; ea ratione contingit, quam in hoc tractatu notauimus, quòd repudiatione ea tantum amittantur, quæ nobis eo ipſo tempore competunt, quo repudiantur[y]: pacto verò etiam ſpes iuris abdicari poſſit[z]. Et ideo is cui homo legatus eſt, Stichum ne petat pactus, Stichum poſtea petens exceptione repelletur: alium verò quemlibet hominem electionis ſibi competentis iure petenti exceptio non obſtabit. Itaque in hac obligatione vbi electio debitori competeret, idem quod in diſiunctiua admittendum eſſe iuris ratione ductus crederem[a]. Quod enim inuito ſolui potuit, quare non pacto remiſſum liberationem pariet? Et alioquin quæ vtilitas pacti eſſet, cùm ad eum hominem ſoluendum abſque eo cogi non potuiſſet? Et ita Paulum[b] interpretandum multi ſummi iudicii viri ſentiunt: quibus accedo. Iuſto pacto naturalem obligationē ipſo iure tolli Paulus ait[c]. Iuſta autem pacta ſic accipio, quę rationi & æquitati conſentanea ſunt: quæq; eiuſmodi ſunt, vt à prætore ſeruari debeant, id eſt neque vi, neque metu, neque dolo malo extorta, neque contra leges, plebiſcita, Senatuſconſulta, principum conſtitutiones, edicta, neque quo fraus cuiquam eorum fiat, facta[d]. Nam vt illis aſſentiar, qui iuſtum pactum legitimum interpretantur, adduci nullo modo poſſum, cùm & iuſto pacto iuſiurandum comparetur[e], & iuriſiurandi iuſta eſſe conuentio dicatur[f]. Quod ad ius ciuile planè referri non poteſt, quia nec lege aliqua iuriſiurandi conuentio confirmatur, & prætoris dumtaxat iuriſdictione ſuſtinetur, qui exceptionem iureiurando interpoſito tribuit[g], aut ſi ad obligandum pertineat, actionem[h]. Magis eſt autem, vt & in ſuperiore loco & aliis omnibus auctorum noſtrorum locis[i], iuſtas conuentiones intellegamus, quæ turpes improbæq; non ſint, quæ ab æquitate naturali, ad quam potiſſimùm redigendæ ſunt, non re-

x l. homine. D. de opt. leg.
y l. 1 §. decretalis D. de ſucceſſ. ed. l. ſi ſtilla ſcriptum § ſi ſub condicione de leg. ij
z l. & heredi. §. filiaſfam. D. de pact.
a Arg. l. & pro iuſiurādū. §. ſi is qui hominem. D. de acceptil.
b In d. l. ſi vnus §. ſed ſi generaliter.
c l. Stichum. § naturalis. D. de ſolut.
d l. iuriſgen. §. prætor. ait D. de pact.
e In d. §. naturalis.
f l. ſi quis cū debitore. D. de iureiur.
g §. æquè ſi creditor. Inſt. de exceptio.
h Inſtitut. de actio.
i l. cum emptio. D. de reſcind. vendit.

cedant,quo modo & pactum illud,quo conuenit,vt pecunia intra diem certum non ſoluta iudicatis debitor ſatisfaciat, & item illud,quo placuit vt tributa prædij pignori nexi debitor pendat, quod ad ipſos, qui pacti ſunt, attinet, iuſta eſſe, & ideò ſeruanda Iureconſulti dicunt[k], quòd ſcilicet æquitate conuentionis nitantur,neque legibus repugnent, nec vllam turpem cauſam contineant. Nō quod legis alicuius auctoritate firmentur. Atque ita etiam iuſtam cauſam conuentionis[l] & iuſtam exceptionem[m], dicunt. Vnus reſtat ſcrupulus qui multos malè habet,quòd ipſo iure pacto naturalem obligationem tolli Paulus ait[n]. Quòd certè ſi ſubtilem verborum obſeruationem, quam initio huius libri expoſui, ſequamur, vix conſiſtet, quoniam ipſo iure ciuili pactum obligationem non tollit. Sed hoc ita à Paulo σημαντικῶς dictum eſt,vt vim iſpam naturalis obligationis pacto, æquo iuſtoq; interpoſito tolli ſignificet, nec vllas iam eius reliquias ſupereſſe. Nam nec ſolutæ poſtea pecuniæ repetitio inhibebitur,nec compenſatio ex priſtina obligatione admittetur, nec ei fideiuſſor rectè accedet, nec pignus in eam cauſam datum tenebit: quæ sūt naturalis obligationis clariſſima indicia[o]. Ipſo certè iure ciuili tolli non ſenſit, qui cōuentionis æquitate hoc fieri ſubiunxit: quam ſolam ſine ciuilis iuris conſideratione ſpectari hic oportet. Non enim iuris ciuilis poteſtate,quod fit in ſtipulationibus & legitimis conuentionibus, ſed contraria conuentionis æquitate,naturale vinculum diſſolui ſubdit.

k l. tale pactum. §. 1. l. epiſtola §. pactū. D. de pact.

l l. ſi conuenerit. D. de pact.

m l. Marcellus. D. de reg. iur.

n d. §. naturalis.

o l. naturales. de oblig. & act. l. etiā. D. de compēſ. l naturaliter. in fin. prin. de cond. inde. l. 1. D. de fideiuſſ.

Omiſſa verborum quæſtione, maneat illud, Pacto conuento iuſto exceptionem acquiri, qua qui tutus poſtea per errorem ſoluerit, indebiti condictionem habebit[p], ſi modò pactum perpetuum eſt. Nam ſi ad certum tempus pactio facta ſit, ſoluti ante tēpus condictio non magis dabitur, quàm ſi debitor ex ea die ſoluiſſet[q]. Non tantùm autem, ſi diſertè pactus ſit creditor, ſed & ſi debitori ſuo cautionem reddiderit, profutura debitori exceptio eſt, quaſi tacito conſenſu cōuenerit, ne creditor petat[r]. aliter atque pignore reddito ſtatuatur[s], ex cuius redditione cùm aliæ naſcantur vtilitates, remiſſi debiti coniectura numquam capietur. Quæ vna ex chirographi reditione vtilitas fingi poteſt. Eadem differentia & in teſtamentis ſeruatur[t], vt ſi debitori ſuo decedens quis

p l. qui hominem §. vlti. de ſolutio.

q l. ſufficit D. de cond. indeb.

r l. 2. D de pact.

s l. 3. D. de pact.

t l. 1. 2. & 4. D. de lib. leg.

quis chirographum legauerit pro liberatione legata id ſit: pignore verò legato non ita. Redditum certè debitori contra creditoris voluntatem chirographum, creditori debitæ pecuniæ petitionem non admittit [u]. Nihil verò ad pacti vtilitatem neceſſe eſt paciſcendi cauſam exprimi. Hoc enim in cautionibus dumtaxat, quæ ad obligandum pertinent, exigitur [x]: in pactis non locum non habet, cum quibus certa plerumque res & indubitata ex liberalitate remittitur [y]. Hæc de pactis, quæ liberandi cauſa interponũtur, dicta ſunto. De reliquis alius nobis eſt ad dicendum conſtitutus locus.

Liberari etiam teſtamento debitor poteſt. Vtiliter enim quacumque ex cauſa obligato debitori, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto eum dare facere oporteat, liberatio legatur [z]. Nec noſtro tantùm vel heredis noſtri, ſed & cuiuſlibet alterius debitori per fideicommiſſum liberatio relinqui poteſt [a]. Quæ res nullam alieno creditori iniuriam facit [b]: heredem dumtaxat onerat, qui re ipſa tantam pecuniam inferre damnatur: quantam legatarius debet. Et vel his, qui honorario tantum iure adſtringũtur, liberatio rectè legatur. Sic enim patri, quorum ex filij contractu honoraria de peculio actio eſt, liberatio relinquitur, vtileq; eſt legatum, etſi die eius cedente nihil in peculio fuerit [c], cùm potuerit rei iudicandæ tempore aliquid eſſe: quod tempus in actione de peculio obſeruandum eſſe placet. [d] Similiter ſi marito dotis liberatio legetur, legatum valet, licet die eius cedente facere maritus nihil poſſit: Tanto magis, quòd hic nihilominus debitor eſt, quamquam ſoluendo non ſit, vſque adeò, vt eius quod vltrà quam facere poſſet, ſoluerit, condictionem non habeat [e]. Ideoq; liberationis commodum ſentiens, longè magis legatarius habendus eſt, quàm pater, cui tum cùm in peculio nihil eſſet, liberatio eſt relicta. Quem propterea quod nondum debeat, nec niſi propter ſpem futuri peculij ex legato commodum percipere poſſit, legatarium eſſe abſolutè Tryphoninus non definit, ſed hoc in pendẽti eſſe ſtatuit [f], perinde ac ſi qua alia cauſa incertam ac dubiam ſpem legati faceret. Atque hac quidem in parte inſcitè Accurſ. Iulianum Iuliano aduerſantem facit [g]: quem hoc dicere malè exiſtimat, marito, cui liberatio legata eſt, ſoluti per errorem condictio-

[u] l. quod debitori. C. de ſolutio.
[x] l. cùm de indebito. in fi. D. de probat. l. 2. §. circa. D. de doli excep.
[y] l. 1. D. de tranſactio.
[z] l. 9. §. vlt. l. ſi ei. D. de liber. leg.
[a] l. non ſolum ũ. D. de liber. leg.
[b] Argum. l. ſi ſtichum. in fi. D. de nouatio.
[c] l. ſi quis reũ. §. idem Iulianus. alias l. ſi filiusfa. D. de liber. leg.
[d] l. qu ſ[illegible]. D. de pecul.
[e] l. quod nomine. l. nã & ſi cum maritus. D. de cõ. l. ind. b.
[f] l. vl. [illegible] D. d[illegible] lib. leg.
[g] [illegible] l. ſi filiuſ[illegible]. D. de lib. le[illegible] l. ſi nõ [illegible] tem. § [illegible] D. de cons[illegible] l. b.

nem denegari. Quod Iuliano numquam in mentem venit: qui vt legatarium probet eſſe maritum, cui eo tempore, quo facere nō poterat, liberatio eſt legata, hoc pro ratione affert, non eo minus omni iure maritum debere quod ſoluendo non ſit: in tantum vt ſolutæ quantitatis eo nomine repetitionem non habeat h. Quamquam humanitatis cauſa ei indulgeatur, vt eatenus exigatur, quatenus ſalua dignitate facere poteſt. Contra atque (vt bene Marcellus Iulianum notans animaduertit i) in patre dicendum ſit, qui tunc cùm in peculio nihil eſſet, pro filio ſoluit. hic enim cum ex filij contractu ciuiliter non obligetur k, ſed prætorio dumtaxat iure hactenus teneatur, quatenus in peculio eſt l, indebitum ſoluiſſe exiſtimatur: & ideò repetit. Ceterùm poſt legatam liberationem à marito ſolutam pecuniam condici poſſe Iulianus illic non negat. Et aliàs m, non obſcurè ſignificat, atque adeo apertè oſtendit, ex liberationis legato exceptionē perpetuam quæri, quæ poſtea per errorem ſoluti condictionem tribuat. Sed de his ſatis. Etiam fideiuſſori ſuo debitor liberationem rectè legat, tametſi creditori à debitore eo modo legari videatur, quòd futurum ſit, vt ſoluta à fideiuſſore pecunia mandati heredes obſtringantur. Sed cùm fideiuſſoris interſit pecuniam retinere potius, quàm ſolutam repetere n, non bene eius legati commodum eſt, ex quo vltrò agere vt liberetur fideiuſſor, poteſt o. Debitori ſanè, qui ſe perpetua exceptione tueri poſſit, inutiliter liberatio legatur p. Nec enim debere videtur, qui perpetua exceptione ſubmouere petentem poteſt q.

Nunc quis ſit legatæ liberationis effectus, videamus, eo antè præmiſſo, quod nihil intereſt, prohibeat quis heredē ſuum non exigere, damnet non petere, iubeat liberare, aut debitori ipſi id quod debet leget r, cùm his omnibus modis debitori liberatio præſtanda ſit: nec exceptione tantum doli, ſi ab eo petatur, ſe tueri, ſed & vltrò agere, vt accepto liberetur: aut pacto, ſi ad alios liberationem porrigi teſtator noluerit s, & velut fideicommiſſam vt liberetur, petere poſſit t. Et quidem ſi à reo non petere heres damnatus ſit, ne à fideiuſſore quidem eius rectè petet u, propterea quòd cùm fideiuſſor conuenitur, vt ipſa cōueniri reus videtur x, qui de refundēda

h l. nam & ſi maritus D. de cōd. indeb.
i in d. l. ſi ſi-libusfam.
k l. an inutilis. in ſi D. de acceptil.
l §. actiones autem Inſt. de actio.
m d. l. ſi non fortē §. adeo.
n l. ſi ſtipulatus. D. de fideiuſſor. l. ad eo. D de cōpenſa.
o l. ſi debitor. D. de lib. leg.
p l. ſi creditor. D. de lib. leg.
q l. creditor. D. de verb. ſig.
r l. 1. l. ſi ei cui D. de lib. leg.
s l. 4. §. nunc de effectu de liber. leg.
t l. legaui. D. de liber. leg. l. 26 ſi debitori D. vt in poſſeſſ. leg.
u l. 1. D. de liber. leg.
x l. 1. D. rem rat. hab.

pecunia tenetur, vt aliter ex legato commodum ſentire non poſſit, quàm ſi fideiuſſori quoque liberatio proficiat. Proinde acceptilatione hic erit reus liberandus, etiam ſi qui ab eo petere vetitus eſt, damnatus ſit, quod fideiuſſor eius debet, Titio præſtare. Quo caſu cùm reo liberato & ipſe fideiuſſor obligatione dimittatur, litis æſtimationem legatario præſtare heres cogetur [y], quaſi facto eius fideiuſſor liberatus ſit [z]. Si tamen donationis cauſa fideiuſſor vel pro inuito, vel in rem ſuã intercesſerit, pacto erit reus liberandus [a], nullum damnũ paſſurus, licet à fideiuſſore petatur, qui ſolutæ pecuniæ nomine ad eum non ſit recurſurus. [b]E diuerſo, ſi fideiuſſori liberatio legata ſit, non eo minus à reo rectè petetur [c]. Igitur pacto fideiuſſor erit liberandus, niſi vel verè reus, vel ſocius reus fuerit [d]. Secundùm hæc ſi vni ex duobus reis debendi teſtamento liberatio legetur, ſi quidem ei ſoli conſultum teſtator voluit, & ſocii non ſint, pacto: ſi ſocii ſint, acceptilatione liberatio præſtabitur [e]. Cùm enim ſocietas inter reos intercedit, non poteſt vni legati vtilitas præſtari, quin & ſocio proficiat, & ab ipſo peti videtur, dum à correo petitur [f]. Proinde ſi duos reos liberare heres iuſſus eſt, & alter ex his capere non poteſt, nec vlla eſt inter eos ſocietas, delegari debebit is qui nihil capit, ei qui capere poteſt. Ita enim effectum legati ſentiet, cui ſolidi liberatio eſt legata. Si ſocii ſint, acceptilatione qui capit liberabitur, atque ita propter eum & ille qui capere non poteſt, per conſequẽtiam dimittetur [g]. Sic enim plerumq; ex ſocij perſona conſequimur, quod ex noſtra conſequi non poſſumus [h] cùm videlicet vtriuſque cauſa ita commixta eſt, vt ſeparari non poſſit [i]. Patri, qui pro filio fideiuſſit, ſi liberatio legetur, vt fideiuſſor pacto liberabitur, non etiam de peculio tamquam pater, niſi & hoc teſtator voluerit [k r]. Quo caſu, poſt filii etiam emancipationem, patri in id actio competet, vt eo liberetur quod de peculio vel de in rem verſo actione fuerat præſtaturus. Filio verò inde liberatio peti non poterit, cuius obligatio ſeparatam cauſam habet, cùm nec patris vltrà interſit, quàm vt eo quod heredi præſtaturus fuerit, liberetur [l]. At ex contrario ſi filio liberatio legetur, acceptilatione is liberandus erit, ni aliud teſtator ſenſerit. Quæ res & patri proficiet, qui ex filii perſona honoraria actione c

y l. ſi damnatus. D. de lib. leg.
z Argu. l. qui duos. D. de rogat. iu.
a l. 5. D. de liber. leg.
b l. quod dictum D. de pactis. l. 6. § ſi paſſus. l ſi promeo. D. mãd.
c l. 2. D. de liber. leg.
d l. 5. D. de liber. leg. l. ſed etſi. D. de pac.
e l. 4 § nunc. de effectu. D. de liber. leg.
f l. ſi duo. D. de arbitr l. 1. D. rẽrat. hab.
g l ſi is qui duos. D. de liber. leg.
h l ſi commu-nẽ. D. quẽad. ſer. am.
i l ſi ſponſus. §. generaliter. D. de donat inter vir.
k l. 6. §. vlt. D. de liber. leg.
l l. 7. in princ.
c §. 1. D. eod.

conueniri potuiſſet[m]. Non multum enim pater ab acceſſore diſtat[n], cùm ſuo nomine non teneatur. Illiuſque exemplo etiam iuuari eum non repugnante æquum eſt teſtatoris voluntate, liberatione ei legata, cuius nomine in eum actio competiiſſet.

Herede porrò petere prohibito nec heredis heres petere poterit[o]. Sed nec à debitoris herede rectè petetur, ſi in rem concepta ſint legati verba: alioquin ſi perſonæ eius, cui relinquitur, liberatio cohæreat, ab herede petetur[p], veluti ſi ita teſtator ſcripſerit, *Heres meus à ſolo Titio ne petita.* Vel ita, *A Titio quamdiu viuet, exigi nolo*[q]. Perſpicuum eſt enim vtroq; caſu ſoli debitori proſpicere teſtatorem voluiſſe, cuius morte liberationis commodum euaneſcit. Quamquam autem rationes à tutore, curatore, negotiorum geſtore, procuratore exigi teſtator vetuerit, nihilominus tamen quod dolo feciſſe vel ex rebus teſtatoris penes ſe habere arguentur, id eis remiſſum intellegetur[r], nec reliqua exigere, debitáue ex contractibus tutorio aut procuratorio nomine geſtis pecuniam repetere, chartáſue in quibus rationes conſcriptæ ſunt petere heres prohibebitur[s]. Et omnino ſimpliciter reddendarum rationum neceſſitate remiſſa, culpa remiſſa intellegitur, non etiam dolus[t]. Quòd ſi quis reliqua & quæ fraudulenter geſta fuerint, remittere velit, damnare heredē debet, quidquid illa vel illa exegerit, id ei reſtituere, vel actionem remittere. Ita enim & quę fraudulenter admiſſa fuerint, vi ipſa remittuntur[u]. Itaque & heres damnatus aliquem liberare, quòd is negotia defuncti geſſerit, & ſi quid ex ea cauſa eum dare facere oportet, id ab eo exigere prohibitus, ne creditas quidem ex adminiſtrationis ratione pecunias ab eo exigere poterit[x]. Sed etſi patrem actione tutelæ liberari filius voluerit propter naturalem affectum, pecunias quoque ex venditionibus rerum confectas, vel ex nominibus exactis in eius vſus verſas, remiſſas accipimus, ſi non aliud filium ſēſiſſe heredes manifeſtis argumentis probent[y]. Liberatione colono relictæ, ſi iure locationis heres quid retineat, ex teſtamento obligabitur, & agi cum eo poteſt, vt non illatarum penſionum & conductionis liberatio præſtetur[z]. Non tantum autē quod teſtamenti tempore debebatur, ſed & quod ex

m d. l. 6. § ſi quis reum.
n l. cū filiusfa. l. ſi ſeruus §. an filiusfa. de verb. obl.
o l. 2. l ſi quis in teſtamēto. D. de lib. leg.
p l. 9 § tale. D. eod.
q l. Aurelio. D. eod.
r l. 9 ſi heres. l Aurelio. in fi. l. Aurelius § Mæuia D. de liber. leg.
s l. ſi quis rationes. l. procurator. l. vlt. § inter. D. eo.
t l. cum tale. §. 1. in fi. D. de cond. & demon. l. ſi ſeruus vetitus. D. de legat 1.
u l. ſi quis rationes in fin. D eod.
x l. cum ita. D eod.
y l. Aurelius. § Titius teſtamento. D. de liber. leg.
z l. ſi cui. l. Caſsius. D eo.

ſumma debita vſurarum nomine poſtea acceſſerit, liberationis legato cedet, cùm totam debiti cauſam, omnemq́; obligationem diſſolui teſtator voluerit[a]. Planè ſi poſtea nouatione facta ampliata ſumma ſit, id tantum quod ex vetere contractu debebatur, ſi tamē manſiſſe in voluntate teſtator probabitur, legato comprehendetur. Vix enim eſt, vt nō huiuſmodi nouatione receſſiſſe à priore voluntate videatur[b]. Ampliata vtique ſumma perinde ac nouū quodlibet poſt teſtamentum debitum contractum, vtiliter à legatario petetur. Etenim quæ poſt legatam liberationem credita ſunt, in legatum venire non poſſunt, cuius in præſens vel in præteritum verba conferuntur[c]. Itaque ſic ſtatuamus, liberationē legatam ad ea tantum quæ teſtamenti tempore debentur, non etiam quæ poſtea deberi cœperint, pertinere, niſi ea acceſſionis dumtaxat loco ſorti addita ſint[d]. Quamquam autem Stichum aut decem ſtipulatus, heredem dumtaxat decem non petere damnauerit, tota tamen obligatione debitor erit liberandus[e]: quæ cùm ad alterum tantum præſtandum debitorem obſtringat, altero vel ſoluto vel acceptolato, vel ſi de eo non petendo pactum interceſſerit, tota tollitur[f].

a l. Aurelio. § legatum. l. vlt. §. Caio. de liber. leg.
b l. vlt. in fi. D. eod.
c l. Aurelio. §. 1. §. Titius Seio de liber. leg.
d l. Aurelio. §. legatum. l. vlt. §. vlt. eo.
e l 8. §. 1. D. eod.

Liberatio legata ita effectum habet[g], ſi in diem mortis obligatio manſerit. Quòd ſi à debitore, dum teſtator viuit, exactum vel ſponte ſolutum fuerit quod debetur, aut aliàs eo nomine ſatisfactum, extinguitur legatum. Sed & ſi heres debitorem ſuum liberare rogat⁹ ſit, quod ante apertas tabulas exactum fuerit, fidei commiſſo non cōprehendetur. Probabiliter enim potuit heres nondum reſignatis tabulis, quæ teſtamento continerentur, ignorare: poſt apertas ſanè tabulas, licet ante aditam hereditatem, exactum, cùm doli ſuſpicio heredem vrgeat, reuocabitur[h]. Quinetiam ſi cùm debitori ſub condicione liberatio legata eſſet, pendente condicione heres exegerit, (exigere verò oblata cautione iure poteſt) exiſtente poſt condicione cum eo actio erit, vt quod acceperit reſtituat, aut ſi litem conteſtatus nondum ad ſententiam peruenerit, vt actiones remittat[i]. Huiuſmodi legatario ſimilem facimus eum, cui à pupilli ſubſtituto liberatio legatur. Quem ſi ad ſolutionem pupillus adegerit, intra pubertatem poſtea mortuo eo, ex teſtamento ſubſtitutus tene-

f l. ſi vnus. §. ſed ſi ſtipulatus D. de pa.
g l. 8. §. liberatio. D. eod.
h l. cùm heres. D. eod.
i l. 8. in fin. ſi. il quod D. de liber. leg.

bitur, cùm ea, quæ ſecundis tabulis relinquũtur, quaſi in primis ſub condicione relicta intellegantur [k]. Ceterùm quod imprudens heredi poſt aditam hereditatem ſoluerit, is cui teſtamento liberatio legata eſt, eius conditionem habet [l]. Quæ omnia ita ſe habent, ſi in perpetuum & ſine temporis præfinitione liberatio ſit legata. Nam ſi ad certum duntaxat tempus, intra id quidem nec à debitore, nec ab eius herede recte petetur, ſed & vſurarum curſus & obligatione comprehenſa pœna inhibebitur [m] poſt tempus verò vltra neque debitori, neque heredi eius, neque fideiuſſori proderit.

In hvnc ordinem etiam iuſiurandum refertur. Nam qui ſe creditore deferente non debere iurauit, ipſo quidem iure obligatus manet. Sed quia iniquum eſt de periurio queri, imputareq; ſibi debeat, qui ad delationem proceſſerit, ideò exceptiò ei ex Prætoris iuriſdictione datur, qua petentem creditorem repellat [n], vt de eo amplius non quæratur, debitum fuerit nec ne, ſed perinde quaſi pactio interceſſerit [o], ita & naturalis obligatio tollatur [p], & pignus liberetur, & ſoluta pòſt pecunia condicatur [q]. Eaq; ratione eleganter Labeorius iuſiurandum emplaſtrum eſſe æris alieni dixit [r], cuius inuolucro plerumque debiti veritas tegitur. Hæc de iureiurando quantum ad inſtitutum neceſſe eſt, breuiter attigiſſe ſatis eſt. In aptiorem enim locum totam iuriſiurãdi quęſtionem reiiciendam cenſeo.

Tempore quoque liberamur, & quidem exceptionis beneficio, non etiam ipſo iure. Semel enim conſtituta iure ciuili obligatio, tempore tolli nequit [s], quod alicui deberi cœperit, id certis modis deberi deſinit, non tempore, nõ pacto, ceterisq; lege ad eam rem minimè comparatis modis. Sed cùm pactis conuentis ſtari prætor ratione naturali adductus velit, idcirco contra placita poſt tempus petenti per pacti vel doli exceptionem occurretur [t]. Itaque & tempore liberati his comparantur, qui ſatisfecerunt, cùm habeàt quod creditori opponere poſſint [u]. vſque adeò, vt datus ab his fideiuſſor, quia nulla iam res ſubſit, cui accedat, non obligetur [x], & ſoluta ab his poſt tempus per errorem pecunia, condicetur [y]. Idemq; in his qui temporali actione tenebantur, poſtquam dies actionis exierit, dicendum eſt.

[k] l. in ratione. §. quod vulgo. D. ad leg. Falcid.
[l] l. ſi non ſortem. §. ad iò. D. de condi. ind.
[m] l. 9. in prin. l. Aurelianus. §. centum. de liber. leg.
[n] §. aquè ſi creditor. Inſt. de exceptio.
[o] l. ſi quis cũ debitore. D. de iureiur.
[p] l. Stichum. §. naturalis de ſolutio.
[q] l. iuſiurandum à debitore. l. vlti. D. de iureiur.
[r] Gell. lib. 16. cap. 7.
[s] l. obligationum ferè. §. placet. de verbor. obl.
[t] §. at ſi ita ſtipuleris. Inſtit. de ver. ob. argu. l. 4. D. de ſeruit.
[u] l. ſi pupillus in fi. D. de administ. tut.
[x] l. ſi quis poſte aquam. D. de fid. iuſ.
[y] l. vlt. §. vlt. D. rẽ rat. ha.

PRAETEREA qui iudicis ſententia abſolutus eſt, liberatur. Petentem enim creditorem rei iudicatæ exceptione ſubmouere poteſt. Sed cùm verè debuerit, perperam abſolutus nihilominus natura debitor manet[z]. Et ideo ſolutum nō repetit[a].

Poſtremò generaliter debitori liberationem competere ſtatuendum eſt, cùm res debita ſic ad creditorem peruenerit, vt nec poſſit auocari ab eo, nec ei ob eam cauſam aliquid abſit. Itaq; quicumque ex cauſa lucratiua ſpeciem debent, liberantur, cum ea alicunde ad creditores ex cauſa lucratiua peruenit ſic, vt auelli his nulla ratione poſſit[c]. Etenim ſi quo caſu ab his eius rei dominium diſceſſurum ſit, non protinus obligatio perimetur[d]. Atq; hi ferè omnes ſunt liberationum modi. Nam & capitis tam maxima quàm media minutione debitorem liberari[e], non ſum neſcius, veluti ſi deportetur[f], vel ademptis bonis exulare iubeatur[g], vel in opus publicū damnetur. Sed cum in locum ita damnatorum fiſcus publicatis bonis ſuccedat[h], actiones quoq; in eum transferuntur[i].

z l. Iulianus D. de cond. ind.
a l. iudex. D. eod.
b l. quotiens. l. Stichus §. ſi creditor. D. de ſolutio.
c l. omnis D. de oblig. & act. l. non quecumque D. de leg. 1.
d l. inter ſtipulantē § ſi rem. D. de verbor. obl. l. non quecumque.
e l. vlt. D. de duob. re.
f l. ſi debitori. D. de fideiuſ.
g l. 1. C de fideiuſſor.
h l. actione. §. publicatione D. pro ſoc.
i l. 2. C. ad l. Iul. de vi. pub. l. 5. C. de bon. proſcript. l. 2. D. de capit. de minut.

FINIS.



BIBLIOTECA NAZIONALE C. V. E.
ROMA